IOANNIS
DE GVEVARA
CLERICORVM REGVLARIVM
MINORVM
DE INTERIORI SENSV
LIBRI TRES.



ROMAE, Ex Typographia Iacobi Mascardi, MDC[illegible]

SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISSIMO

FRANCISCO MARIAE

SECVNDO

VRBINI DVCI SEXTO.

Ioannes de Gueuara.



RVDENTER excogitatum consilium apud veteres extimabatur (Serenissime Princeps) ad instituendos optimos mores, virum aliquem bonitate conspicuum nobis eligendum esse, ac semper ante oculos habendum, vt sic tanquam illo spectante viueremus, & omnia tanquam illo vidente faceremus. Hoc & à Zenone primò desumptum comperimus, & ab Epicuro præceptum fuisse tradit Seneca ad Lucillum, monens & ipse: Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. Quod profectò (si licet moralia ad speculationem quandoque transferre) non abs re mihi dictum putaui, cum superioribus annis tractationes quasdam instituerem de interiori sensu ex his, quæ vel tecum agendo, vel cum dissertissimis aulæ tuæ familiaribus coram Celsitudine tua nonnunquam disserui. Etenim si cogitatus etiam, & secreta, quæ non proferuntur, ad similem conspectum emendantur, vt ait Seneca; Quam corre-

ctionem, prout à me ipso adhiberi poterat, non sperarem, te veluti præsentem constituens, ac legentem, vel audientem, quæ de interiori sensu intimè sentio? Quod si arduum, ac periculosum magis, quàm tutum sit, coram sensatissimo viro omnium scientiarum cognitione referto, de sensu, quem natura condens, interius recondidit, propriam ferre sententiam: à suscepto tamen consilio me non deterruit; Cum & Platonem sciamus de natura prolaturum, quæ senserat, non modo Timæum, quem maximè verebatur, quasi interlocutorem in Dialogo de ipsa natura instituisse, sed & sub illius nomine doctrinam tradidisse, ac Timæum, ipsum opus cognominasse. Fortè (reor) vt illo spectante, in suæ mentis conspectu, accuratius, quæ scripturus erat disponeret. Et vt mittam Eschinem Cotocididem nunquam melius locutum fuisse, aut orasse, quám cum Philippum Regem Macedonum adesse intelligeret: nihil planè limatius Aristotelem edidisse comperimus eo quod de mundo ad Alexandrum opus inscripsit. Sed num ego id cogitans, Celsitudinemq. tuam mihi ante oculos in qualibet nota exaranda constituens; mihi tantum consulere studui; An etiam tibi hoc pacto melius rependendum esse quod debui? Cui enim primitias pullulantis in me olim Philosophiæ dicare maluerim, quàm Celsitudini tuæ, quæ tunc mihi hiscemet speculationibus vacare tribuit, cum apud tuam eandem Celsitudinem detinerer, & à qua innumeris, ac præstantissimis honoribus auctus, quidquid ad propagandam propriam Religionem in tua ditione optaueram, cumulatissimè semper obtinui? Ita vt non minus erga Religionem pietas, quàm erga me ipsum

ſum benignitas tibi tua animum meum ſemper deuinxerit. Quid ſi hoc ipſum ex proprio genere tibi debeam, vtpote ex Gueuaræ familia, quam ſemper maximis fauoribus, ſummaque beneuolentia es proſecutus? Nam & in Italia Franciſco Bouinenſium Ducis germano equite Hieroſolymitano familiariſſimè vſus es; & in Hiſpania apud Regem Philippum Secundum, Ognatenſium Comite, aliiſque eiuſdem familiæ conſanguineis meis. Te igitur Sereniſſime Dux cum has tractationes, & quæſtiones ederem, animo ſemper inſpexi, vt ſcribenti mihi, tua veneratione conſulerem: nunc editas tibi dico, ac mitto, vt grati animi ſignum aliquod, vel perexiguum darem, & vt quantum apud me valeat auctoritas tua, quidque partum in me ſit, concepta tantum præſentia tua, ipſe inſpicias, ac maxima tua benignitate & prudentia corrigas, correctumq. tanquam omni ex parte tuum libenter accipias. Vale. Romæ Pridie Idus Auguſti MDCXXII.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. M. Sacri Pal. Apost.

P. Episcopus de Curte Vicesgerens.

MAndante Reuerendissimo Patre Sacri Palatij Magistro, Ego Michael Angelus Tontus Sacræ Theologiæ, & V. I. Doctor diligenter perlegi opus hoc de Interiori Sensu in tres libros distinctum, Auctore Reuerendissimo Patre Ioanne de Gueuara Clericorum Regularium Minorum Præposito Generali: & cum nihil in eo reperetim, quod vel minimum Catholicæ fidei, aut moribus officiat; imo ob variam eruditionem, & insignem doctrinam in eo contentam, non paruum afferre possit Reipublicæ litterariæ, & commodum, & incrementum, dignum publica luce existimo. Romæ die 24. Iunij 1622.

Michael Angelus Tontus.

Imprimatur,

Fr. Gregorius Donatus Rom. Mag. & Reuerendiss. P. F. Hyacinthi Petronij Rom. S. Pal. Apost. Mag. Socius, Ord. Præd.

INDEX TRACTATIONVM,

ET CAPITVM

LIBRI PRIMI.

In quo ea continentur, quæ ad essentialem, & indiuidualem constitutionem sensus interioris pertinent.

PRAEFATIO.

TRACTATIO PRIMA

De Existentia Sensus Interioris.



TRACTATIO SECVNDA

De obiecto adæquato Sensus Interioris.

TRACTATIO TERTIA

De modo, quo explicatum obiectum constituitur perceptibile ab interiori sensu.

TRACTATIO QVARTA

De Actibus, seu sensationibus sensus interioris.

TRACTATIO QVINTA
De communi quidditate, & essentia sensus interioris in vniuersum.

Quænam

TRACTATIO SEXTA

De diuersitate specifica sub communi ratione, & quidditate sensus interioris.

TRACTATIO SEPTIMA

De ratione, ac diuersitate numerica, seu indiuiduali sensus interioris.

INDEX TRACTATIONVM, ET CAPITVM LIBRI SECVNDI.

In quo ea continentur, quæ ad accidentalem constitutionem ſenſus interioris pertinent.

PRAEFATIO.

TRACTATIO PRIMA

De propria ſede, & organo ſenſus interioris in vnoquoque animali.

TRACTATIO SECVNDA

De varietate accidentium, ac diſpoſitionum, quæ in organo ſenſus interioris reperiuntur.

De

TRACTATIO TERTIA

De dispositionibus aliarum partium animalis, quæ cum cerebri dispositionibus concurrunt.

TRACTATIO QVARTA

De causis extrinsecè alterantibus, ac modificantibus dispositiones cerebri.

TRACTATIO QVINTA
De Passionibus, & habitibus naturalibus sensus interioris.

TRACTATIO SEXTA
De habitibus acquisitis sensus interioris, eorumq. caussis proximis, ac remotis.

TRA-

TRACTATIO SEPTIMA
De effectibus habitus, & operationes sensus interioris consequentibus.

INDEX QVAESTIONVM, LIBRI TERTII.

In quo variæ Quæstiones problematicæ, ad sensum interiorem pertinentes, discutiuntur.

PRAEFATIO.

Qua-



DE

DE INTERIORI SENSV

LIBER PRIMVS.

In quo ea continentur, quæ ad essentialem, & indiuidualem constitutionem illius pertinent.

PRAEFATIO.

INTER Philosophicas contemplationes, quæ aciem nostrę mentis euehere maximè solent ad res subtilissimas, ac præstantissimas intuendas; ea sanè magnopere extimari debet, quæ circa primariam, ac reconditam facultatem, qua animalia cuncta cognoscunt, ac sentiunt, profunda peruestigatione versatur. Quippe cum ex ea pendeat, non modo exacta scientia, quam habemus de sensationibus omnibus, appetitionibus, ac motionibus animalium: Verum & notitia modi, quo mens nostra incorporea cum sit, corporea cum facultate communicet, ac ità in homine, omnium animalium diuinissimo, sit ei naturaliter colligata, vt absque ipsa operari nequeat, & sic tam distantes naturæ in vnum conueniant ad constituendum adæquatum principium humanæ cognitionis. Etenim anima corpori sociata, siue terrena cogitet, siue cœlestia contempletur, siue seipsam, aut conditorem suum, vel alias res immateriales pro arbitrio appræhendere, ac indagare conetur, interiori sensu simul cor-

porearum rerum phantasmata ministrante, id opus consequitur. Cum oporteat (inquit Philosophus) intelligentem, phantasmata speculari. Quare sensum hunc in homine, speculum dixerim, vnde visibilium, ac sensibilium omnium, quæ in tam lato mundi campo dispersa sunt, imagines congregatæ, ac multipliciter congestæ, & copulatæ, ad mentis oculos reflectuntur. Nisi potius quis librum nuncupauerit, in quo intellectus cuncta quasi descripta intuetur, ac legit; vbi species omnium rerum corporearum tanquam caracteres in membrana scriptoria, vt Stoici aiebant, visuntur impressæ; Ex quo earundem rerum vocabula tanquam ex Dictionario depromuntur: Vnde micant rationes abstractæ, ac signa spiritualium rerum. Et ex quo licet scientias omnes tanquam ex promptuario rationum, veraciumq. cognitionum thesauro colligere. Vt hinc meritò magnus ille Areopagita postquam à diuina sapientia animos vim ratiocinandi habere asseruisset, statim addiderit: Quin etiam si quis dixerit sensus ipsos, sapientię quandam esse particulam, & vestigium, is non aberrabit. Quod potissimum de interiori sensu verificatur, cum in eo longe clarius diuina sapientia per species innumerabilium rerum corporearum eluceat. Quæ omnia, & similia cum aliquando contemplaretur D. Augustinus, secum agens intus in ingenti aula (vt ipse inquit) memoriæ suæ, multaq. illi super hæc oboriretur admiratio, statim ait: Et eunt homines admirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latissimos lapsus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros syderum, & relinquunt se ipsos, nec mirantur! Quasi nimirum in hac parte philosophiæ, quæ ad interiorem hominem spectat, non eadem esset iucunditas, maiorq. dignitas, atque vtilitas, nec maius putandum esset miraculum, omnia illa, & alia quam plura intus in homine tanquam in speculo, ineffabili quadam virtute repræsentari, vel ad exprimendam opificis potestatem, tanquam in compendioso libello recondi. Sed fortasse relinquunt homines se ipsos, nec mirantur: nam sese cognoscere, licet suauissimum, difficillimum tamen est, quemadmodum quidam dixere sapientes, vt refert Aristoteles.

3. de anima tex. 39.

Plutarch. lib 4. de placitis Philosoph. cap. 11.

De diuin. nomin. c. 7.

Lib. 10. confess. cap. 8.

Lib. 2. magnor. moral. c. 18.

Etenim

Etenim animus ad habendum se ipsum angustus est, vt idem Augustinus paulò ante adnotauerat. Qoniam vero, quæ simul tota nequaquam valent compræhendi, secundum partes facilius innotescunt: ex tot, tamq. varijs animi viribus, ac facultatibus, hanc mihi sensus interioris seorsum fusè in his tribus libris pertractandam assumpsi. Quam, etsi non intactam Disertissimi scriptores, cùm veteres, tum neoterici reliquerunt: nemo tamen ex professo, prout à multis desiderabatur; nec sicut de potentia intellectiua, externisq. sensibus, ita de illa copiosè, ac distinctè adhuc loquutus est. Arduum sanè opus, ac difficillimum, sensum à sensibus remotum, ac tam reconditum explorare, vberiusque, ac luculentius de illo agere, quò minus de eodem ab alijs fuerit pertractatum. Sed vt verbis vtar Ciceronis. Non est cur eorum, qui se studio Philosophiæ dediderunt, spes infringatur, aut languescat industria; Nam, inquit, neque idipsum, quod est optimum desperandum est, & in præsentibus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima, vel optima, dixerim, imitantur. Quare ex Peripateticę doctrinæ fontibus hausta principia extendendo, propriumuè sensum quoad reliqua intus interrogando (cum sibi natura interrogata respondeat, nec longè tendat, vt se inuenire præualeat, ait Cassiodorus) susceptum institutum aggrediar. Primumq. hunc librum de ijs, quæ ad essentialem, ac indiuidualem constitutionem huius facultatis pertinent instituam, quem sicut, & Secundum in Tractationes, easq. in Capita distribuam, quò distinctius quę tradenda sunt methodo doctrinæ teneantur; cum Tertium, non nisi problematicas ac varias quæstiones, earumq. solutiones, quæ ex eadem doctrina consequentur, complecti statuerim. Quod si in his omnibus aliquid noui, ac veri attigerim, dilucideque, Deo dante, explicuerim, ad suam ipsius auctricem sapientiam, affluentemq. bonitatem, cuius luce vniuscuiusque ignorationis tenebræ discutiuntur, & illuminantur mentes hominum, referendum exopto.

De perfecto Oratore ad Brutum circa initium.

In Præfat. lib. de anima.

TRACTATIO PRIMA
De Existentia Sensus Interioris.


NIVSCVIVSQVE rei naturam indagando, primo, An illa sit, quærendum esse cum Aristotele sentiunt omnes Philosophi; non modo, vt si non satis constet, id ante omnia planum fiat, ne in incertum vagari videatur oratio: sed vt existentia scientifico more ex principijs, causisq. naturalibus, & effectibus cognita, exactius, ac facilius deinceps innotescat essentia. Quapropter sensus interioris naturam in præsentibus inquirendo, vt consueta philosophantium progrediamur via, primam hanc Tractationem de illius existentia instituendam putauimus, vbi paucis de significatione vocis explicatis, mox ad eam ex principijs naturalibus deducendam, & ab experientia comprobandam perueniemus.

2. Post.c.1.

In qua vocis acceptione hic sumatur sensus interior. Cap. I.


NTEQVAM rem aggrediamur expetitam, oportet prius, vt ait Cassiodorus, nominum similitudines, quasi ramos obuiantes abscindere, ne semitam disputationis nostræ, vocabulorum consonantium sylua, vmbrosis imaginibus videatur intexere. Hoc itaque nomen, sensus interior, secundum communem loquendi modum, multas pati posset acceptiones, ex vtraque planè, qua constat particula: Nam primò sumi posset pro intima, & occulta hominum sententia, consilio, aut intentione, eo pacto, quo Tacitus, abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere, illicitũ ait. Et Cydippe Acõtio apud Ouidiũ scripsit, sensus sum tibi fassa meos: nã & sensus variã animi passionẽ potest significare, & interior non

In Præfat. lib. de anima.

Lib. 1.

Epist. 20.

secus

ſecus ac abditus ad connotandum quod exterius, ac palam non innoteſcit, apponitur, ſiue arte, ſiue natura lateat. Vnde Seneca. ò vita fallax (inquit) abditos ſenſus geris, intendens quàm diuerſi ſint ſenſus hominum interius ab eo, quod exterius præſeferunt. Deinde verò ſumi poſſet ſenſus interior pro ſenſu verborum, aut ſcripturæ, qui non ſtatim prima facie ſe ſe offert; ſed latere videtur ambagibus, alieniſq; ſignificationibus inuolutus. Vnde & penetrari dicitur ſenſus verborum reconditus quaſi intus latens, & interiores litteræ apud Ciceronem vocantur, quæ ſcrutatione indigent, vt iuxta verum, ac reconditum ſenſum capiantur. Denique pro alijs etiam vſurpari poſſet ſenſus interior, quæ cùm inutile, tùm longum eſſet exactius recenſere.

In Hippolito v. 12.

lib. 3. de nat. Deorum.

Naturales tamen Philoſophi propria ſignificatione prædictam vocem complexam ſumpſerunt ad ſignificandam facultatem quandam ſenſitiuam animalis proprio, & interiori organo affixam, qua ipſum animal interius obiecta imaginatur, ac ſentit. Quæque pariter modo primum ſenſitiuum, modo ſenſus communis, modo phantaſia, ſeu imaginatiua, alijſque nominibus nuncupatur, vt videre eſt apud Platonem, & Ariſtotelem, alioſque Philoſopos pluribus in locis, vel certè ad exprimenda diuerſa eiuſdem facultatis munera, vel ad connotandas plures ſpecies, in quas eius natura in communi ſumpta diſtinguitur, vt ſuo loco explicabitur.

Dicitur autem ſenſus, quia ſenſibilia percipit, ſenſitiuæque animæ propria paſſio eſt, eiuſque cognitionis proximum quoddam principium: in quibus conuenit cum ſenſu exteriori. Dicitur verò internus non quia intrinſecus ſit animali; nam hoc pacto etiam quinque ſenſus externi intrinſeci dicerentur, ſicut omnes qualitates intrinſecè dicuntur inhærere ſuis ſubiectis; ſed quia talis potentia eſt valdè recondita, eiuſque organum nulla ex parte extrinſecus patet, nec proinde immutatur immediatè ab obiectis externis per ſpecies, quas illa emittunt, quemadmodum immutantur quinque vulgati ſenſus: propterea nuncupati externi, nempe quòd exterius ipſorum organa pateant, exteriuſque ad ex-

cipiendas obiectorum imagines sint expositi. Rursumque dicitur internus, seu interior; nam animal hoc sensu suos interiores motus appetitus sensitiui, cœterorumquè sensuũ, quas ab intus dirigit functiones cognoscit, atque discernit, vt infra patebit. Quibus sic explicatis, sub hac & non alia vocis acceptione de sensu interiori nobis erit agendum.

Qua ratione negari, aut in dubium reuocari possit existentia sensus interioris. C A P. II.



X Priscis Philosophis non defuerunt, qui naturam, ac varietatem sensuum in quouis animalium genere exponentes nullam commemorarunt vim animæ sensitiuam, quæ intrinsecus præsideret, similique ferè modo, quo sensus externi in obiectorum perceptione afficeretur. Nam Stoici, quantum ex Plutarcho sparsim, ac intercisè colligi potest, quinque dumtaxat enumerauerunt sensus, qui à nobis cognominantur externi, nempe visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus, eosque à Principe parte animæ, quam ratiocinationem appellant, enasci, ac instar polypi acetabulorum per corpus extendi dixerunt. Illud pariter addentes, positis operationibus prædictorum sensuum, fieri quidem intrinsecus in Dijs, & hominibus, (vt inquiunt) visa illa, quæ à Græcis phantasmata vocantur, non tamen in cœteris, seu in ratione minime participantibus.

lib. 4. de placitis Philosophor. cap. 10. & 21.

Ibid. cap. 11.

Alij verò tametsi memoriam aliquando, aut imaginationem commemorent, illam nihilominus non videntur distinguere à parte discursiua, vel quia rationem aliquam concedebant in brutis, vt Diogenes, & Pythagora, vel quia solum de hominibus loquebantur. Sed quidquid sit de placitis antiquorum, illud nobis videndum est, qua ratione forsitan ducti, vel ipsi tunc sensum interiorem ponere, & cum cœteris sensibus connumerare omiserint, vel alij tunc eundem negare, ac de medio tollere probabiliter possent; vt hac ratione perpensa, solidaque minus reperta, deinceps quo fun-

Apud Plutar. lib. 5. cap. 20.

fundamento, qui rectius sunt philosophati illum constituant, clarius innotescat.

Ratio itaque dubitandi de existentia sensus interioris, illumque pariter negandi, ea forsitan esse potest. Nam vel huiusmodi potentia ponitur in animali sumpto in genere, tanquam proprietas quædam, vt aiunt, quarti prædicabilis, quæ omnibus suis speciebus semper, ac solis debeat competere, vel ponitur vt accidentalis perfectio quibusdam tantummodo conueniens speciebus animalium, non vero omnibus. At neutrum videtur necessariò verificari, igitur ponenda non est talis facultas in animali.

Primum non videtur verificari; nam multa sunt animantia, in quibus nec vestigium apparet sensus interni, vt sunt Conchylia, & belluæ omnes ad saxa natiuis testibus adhærentes, Cocleæ, siue terrestres, siue marinæ, Lumbrici, ac vermes vniuersi, cunctaque, quæ secta viuunt, ac vix tactum, & gustum, vt vescantur, & coalescant, ostendunt. Accedit quia in Embrione, quem anima sensitiua viuere, omnes concedunt, similiter, & in Mola, ex cunctis facultatibus sensitiuis, non nisi tactus adesse conspicitur, absque vllo inditio alterius sensus, siue interioris, siue exterioris. Vnde Aristoteles docet, aliqua animalia habere omnes sensus, alia verò quosdam, quædam verò vnum maximè necessarium tactum. Ac rursus apertè fatetur, quibusdam quidem animantibus nec imaginationem inesse: Non igitur sensus interior cunctis competit animantibus tanquam proprietas ipsius animalis in genere. Præterea idipsum coroboratur, quoniam si sensus aliquis interior necessario concedendus esset cuilibet animali, maximè huiusmodi esset virtus memoratiua, qua animalia moueantur ad quærenda, vel subterfugienda multa, quæ hactenus perceperunt, ne quod rursus cupiant, aut renuant ad tuendam, alendamque vitam ignorent. Veruntamen experientia clarè demonstrat, pleraque animantia esse, quæ memoria omnino carent ex propria constitutione suæ naturæ: à sensu enim, vt alibi ait Aristoteles, quibusdam innascitur memoria, quibusdam verò non inna-

2. de anima tex. 23.

Ibid. tex. 32.

1. metaph. ca. 1.

ſcitur;quibus autem memoria non innaſcitur; hæc & imaginatione, & extimatione pariter carere neceſſe eſt; quandoquidem vis, quæ imaginatur, ſeu pars animæ imaginatiua, quæcumque ea ſit hæc eadem recordari videtur,ait Galenus, ſumpſitque ex Ariſtotele,qui actum memorandi, ſeu memoriam actualem ad eam partem, ideſt potentiam animæ docet pertinere,ad quam pertinet imaginatio. Et extimatio ſemper inuoluit aliquid imaginationis, & memoriæ, ſeu cognitionem aliquam abſentium obiectorum. Igitur nec memoria, nec alius interior ſenſus neceſſariò concedendus eſt cuilibet animali.

Gale.lib. 2. de Muſculorũ motu; Ariſt. de memor. & remin. cap. 1.

Secundũ pariter videri poſſet,nõ neceſſariò verificari;nam licet in plurimis cœterorum animalium, quæ perfectiorem naturam, & organizationem adepta ſunt, veſtigia quædam appareant internarum cognitionum, ac morum animi humani, vt exquiſitè Ariſtoteles adnotauit; adeo vt illa nonniſi ad internorum ſenſuum participationem communi ſententia referantur. Nihilominus tamen ſi huiuſmodi veſtigia, & operationes articulatim, ac minutius expendantur, nullo admiſſo ſenſu interiori, commode intelligi poſſunt oriri à ſolo inſtinctu naturæ, quo potentiæ executiuæ ad diuerſa opera applicantur. Vnde Algazelus, & Auicenna in brutis aiunt; inſtinctum naturæ eſſe loco inquiſitionis, & S. Thomas eoſdem Auctores citans, conformiter docet, aliqua animalia percipere bonum, & conueniens, & nociuum ſolo inſtinctu naturæ, cum tamen vltra illum admittant ſenſum internum ad alia munera in animalibus obeunda, quæ forſitan eiuſdem, aut minoris notæ, & conditionis putantur. Semel igitur dicatur ad omnia illa, animal moueri inſtinctu naturæ, ac ſatellitio ſenſuum externorum, & ſic nullus erit neceſſarius ſenſus internus. Sed ſicut Ariſtoteles putat,muſcas non habere memoriam, etiamſi illæ ad loca diſtantia moueantur, ac pulſæ redeant importunè: nimirum quia vehementi appetitu, ac naturali inſtinctu pluries in idem eas ferri contingit: Ita ſimiliter, & reliquæ actiones brutorum, abſque memoria, alioue ſenſu interiori, per inſtinctum naturæ,

8. de Hiſt. animal. cap. 1. & ſeqq.

Opuſc. 43. quod eſt de potentijs animæ cap. 4.

turæ, ac sensus externos procedere putabuntur. Nam quod attinet ad hominem omnia ea munera, quæ sensibus internis tribui solent, facilè per intellectum obiri posse intelliguntur, aut etiam immediatè per ipsam animam intellectiuam, vt colligi videtur ex verbis quibusdam Platonis in Thæteto, vbi postquam ad singula genera sensibilium percipienda, singula organa externa deseruire posuisset, nullum tamen proprium organum in homine, his, & illis dixit, accommodari; sed ipsam potius per se ipsam animam communionem in omnibus iudicare. Nam, inquit, videtur anima quædam per se ipsam animaduertere, nonnulla per corporis vires apprehendere. At hæc omnia pro ratione dubitandi adducta, nec profectò subsistere, nec veraciter concludere constabit inferius, cum non modo illis experientia manifestè in pluribus aduersetur; sed illata quoque multa falsò ex antecedentibus inferantur. *In Thæteto post medium.*

Sensum interiorem constituendum esse in cunctis animantibus, cumque ex communi ipsorum natura deprehendi. CAP. III.



CÆteris igitur omissis, stabiliendum est cum communi omnium Philosophorum sententia, præter sensus externos, sensum aliquem internum inesse cunctis animantibus, siue ille simplex, & vnica facultas, in se sit à parte rei, siue pro obiectorum varietate, munerumque distinctione multiplex, vt infra examinabitur.

Id quod expresè, ac disertè primo tradidit Plato tum in alijs libris, vt notat Galenus, tum in Thæteto, vbi post multa argumenta, quibus ostenderat vna quadam vi animæ nos percipere, ac discernere quæcumque per visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum ingeruntur, atque etiam illis communia; nequis putaret hanc vim esse mentem seu rationem, inquit: statim natis hominibus, atque brutis naturalem huiusmodi facultatem adesse, qua passiones per corpus *Gal. 7. de placitis Hipocratis, & Platonis c. 14. Plato in Thæteto post medium vltra, ea qua docuerat initio.*

ma-

manantes in animam, sentiunt, cum ratiocinatio non nisi post longa curricula temporis adueniat quibus cõpetit: Vocat autem hanc facultatem sensum absolutè, nam quos sensus, quinque alij vocant, ipse organa quinque sensus, appellari vult, vt rectè adnotauit ibidem Ficinius quatenus omnes in vnum confluunt, varias passiones corporis eidem sensui intus representando.

Deinde idem ab Aristotele proditum esse constat, tum alibi, vt simul cum probationibus asseremus, tùm præcipue primo Metaphisicæ cap. 1. & 2. de anima tex. 20. & 138. & lib. 3. tex. 31. & 57. vbi docet sensum, imaginationem, & appetitum omnibus animalibus esse communia. Et certe neminem vnquam apertè, ac positiuè hoc videtur negasse, quamuis aliquot vetustiores Philosophi, vt notauimus de illo agere omnino prætermiserint, ac de natura, distinctione, & subiecto illius plerique etiam recentiores diffideant.

A necessitate autem naturæ animalis, & ab experientia rationem auspicando existentiam sensus interioris probare possumus. Primò, nam ad perfectionem, & conseruationem naturæ cuiusque animalis non sufficit, vt cuncta obiecta, quæ sub sensum externum illius cadunt animal absolutè cognoscat, nisi simul ea valeat aliquo modo distinguere, vnumque ab alio materialiter saltem discernere, vt album à dulci, sonum ab odore, tactile à commestibili, & similia, vt notat Aristoteles. Qui autem inter duo discernit, vtrumque debet cognoscere, vt idem Philosophus probat ibidem; sed quilibet sensus exterior in animali circa proprium sensibile tantummodo occupatur, nec potest visus quæ ad olfactum, vel auditum pertinent iudicare, ergo distincta in illo assignari debet potentia quæ omnia, & singula externorum sensuum obiecta communi quadam ipsorum participatione percipiat, ac intus residens tamquam extimator, & arbiter inter ea discernendo, apte diuidicet; Quo argumento videtur vsus fuisse Plato loco citato cũ multis adiectis interlocutionibus ait, ex eo, quod quæ per auditum eadem per visum sentiri non possint; per aliud quidpiam de alterutris, ac de vtriusque

2. de anima tex. 48
tex. 146.

que simul esse iudicandum. Et Aristoteles, enumeratis functionibus proprijs sensuum externorum, ex eo concludit esse communem quandam potentiam, qua animal, & quod videt, & audit, sentit, quia valet discernere, alia quidem esse dulcia ab albis, nec gustu, nec visu, nec ambobus sensibus operando, sed quadam communi particula omnium sensoriorum. Id quod etiam ipse alibi docet, & præclarè Diuus Gregorius Nissenus exequitur, sicut & alij disertissimi Auctores permulti.

cap. 2. de somno, & vigilia.

Arist. de sensu, & sensili cap. 8. in fine

Niss. lib. de virib. animæ c. 1.

Secundo idem probatur, quia ad vitam animalis traducendam non modo requiritur cognitio extrinsecorum omnium sensibilium in eorum præsentia pro vt habetur per sensum externum, sed etiam in absentia antequam voluptas, vel dolor ab illis præsentialiter inferatur, vt ea vel ad salutem, & iucunditatem appetat, ac perquirat, vel ad molestiam, & noxam euitandam renuat, atque diffugiat. Siquidem omnis actio, & motus animalis sequitur appræhensionem sensus, & quædam animalia motu progressiuo, quædam verò alio motu sibi victum comparare, ac necessaria quærere, vel contraria etiam remota diffugere constat, vitæque suæ per apprehensionem absentium obiectorum hoc pacto consulere. At hæc appræhensio pertinere non potest ad aliquem ex quinque vulgatis sensibus, cum illi non nisi præsentialiter immutentur à suis obiectis, vt experientia constat; ergo constituenda est in animali alia quædam interna facultas animæ sensitiuæ, quæ sensibilia obiecta extrinseca præfato modo dignoscat, sitque illi proximum principium prædictarum cognitionum.

Tertio nam præter obiecta iam dicta siue præsentia, siue absentia, quæ singulis externis sensibus assignantur, alia sunt, quæ ab animali omnino dignosci ipsa ipsius expostulat naturæ necessitas; cuiusmodi sunt ipsorummet sensuum externorum sensationes, quibus benè, vel malè afficitur animal, proindeque ab illo necessariò discernendæ; & motus omnes appetitus sensitiui, quibus famulari debent cæteræ facultates animales, vt assequi valeat natura, quod postulat,

lat, ac vitare quod renuit, ipsis prius motibus perceptis ad diuersa inclinantibus. Sed nequit sensus exterior prædicta percipere, quia visus verbi gratia, neque percipit famem, aut sitim ventriculi, neque cordis amorem, vel odium, sicut nec nares olfacere, aut linguam gustare, imo nec semet actu videre, & sic de cæteris; cum quilibet sensus exterior nõ nisi circa proprium sensibile, à quo immutatur absque vlla reflexione versetur, vt præclarè explicat S. Thomas. Ergo alia assignari debet facultas, qua huiusmodi sensationes, & motus animal in se ipso percipiat, quæque intus tamquam in centro ad eorum simulacra excipienda, ac varietatem discernendam præsideat. quod perspicue Aristoteles expressit, cum, non visu quidem (inquit) animal videre, hoc est cognoscere quod videt, sed communi potentia, & particula omnium sensoriorum.

1. par. quæst. 78. art. 4.

Cap. 2. de somno, & vigil.

Quarto Probatur, quia ad operationem ipsorummet sensuum externorum virtus aliqua interna requiritur, à qua, tamquam ex communi fonte quilibet ipsorum, vim competentem, ac proportionatam recipiat, ne plus, vel minus, quàm par est, exerceri valeat. At hoc fieri non potest nisi simul adsit intrinsecus communis sensationum ipsarum, singularumque circumstantiarum cognitio, ne cæca prouidentia eis necessaria suppeditari, vel improuida, aut inopportuna virtute succurri contingeret; Ergo dari debet in animali interior aliqua facultas cognoscitiua, vt pro vniuscuiusque sensus externi opportunitate vis ipsis ad operandũ proportionata suo veluti arbitrio impertiatur: Quæ profectò facultas siue eadẽ sit cũ potestate mittẽdi spiritus animales ad sensus externos, applicandique eorũ sensoria ad sentiendum, siue ab illa diuersa, & à parte rei distincta, tamquam potentia cognoscitiua à loco motiua, omnino tamen hæc duo principia simul debent esse interius coniuncta in eadem parte animalis, nam ab vtroque tamquam ab integro, & adęquato principio suæ applicationis in operando dependet quilibet sensus externus: Vnde Aristoteles sensuum (inquit) principium ab eadem parte est animalibus, à qua motus cum nequeant

De somno, & vigilia cap. 3.

queant ſentire abſque motu, & moueri ſine robore; robur autem ſenſibus per ſpiritus communicetur, vt ipſemet alibi docet. Quapropter dum in dormientibus per euaporationem alimenti ſurſum aſcendentem obſtruuntur meatus, per quos prædicti ſpiritus animales ad ſenſoria mittebantur, ſtatim deſinunt operari ſenſus externi, vt idem Ariſtoteles fusè proſequitur, qui propterea adhuc alibi docet: propriorum ſenſoriorum (nempe ſenſuum externorum) vnum aliquod eſſe commune ſenſorium, in quod eos, qui ſecundum actum ſenſus, neceſſarium eſt obuiare, hoc eſt conuenire. Vbi per commune ſenſorium intelligit ſedem ſenſus interioris, ad quam, tanquam ad centrum vndique confluunt rerum imagines, proprijs ſenſorijs exceptæ in actu ſentiendi ſenſuum externorum, modo, quo infra explicabitur. Quare ſenſus externi dum actu ſentiunt, illuc dicuntur conuenire, vnde per neruos, & meatus, vim ſentiendi accipiunt, & quò ſuas ſenſationes per propria ſimulacra transfundunt.

2. de partib. animal. c. 10.

Cap. 4. de ſomno, & vigilia.

De vita, & morte cap. 4.

Hinc autem alia oritur neceſſitas ponendi ſenſum internum, nimirum ad regimen, tum ipſorum ſenſuum externorum, tùm cæterarum quoque omnium facultatum animalis. Siquidem inter cunctas facultates illius, certus debet reperiri ordo, ac proportio, taliſque ſubalternatio, vt ad aliquam deueniatur potentiam, à qua primò cæteræ in ſuis operationibus aliquo modo regantur; & inde tota animalis, ſuarumq. operationum directio ſumat initium, vnde cuiusque dependet applicatio, atque cognitio. Verùm nullus eſt ſenſus exterior, à quo talis oriri poſſit applicatio, atque cognitio; quia vt diximus, nullus eorum eſt, qui poſſit ſuas, vel aliorum ſenſationes, ac motus appetitus ſenſitiui percipere. Igitur alia in animali dari debet facultas cognoſcitiua interius præſidens, ad quam tanquam ad communem terminum omnes motus animalis, & appræhenſiones externorum ſenſuum referantur, vt pro opportunitate, facultates à quibus procedunt, cum opus fuerit, vel ritè ad operandum applicet, vel omnino ab operatione compeſcat. Vnde Ariſtoteles, animalia phantaſijs, ac memorijs dixit viuere, quia nempe hu-

1. Metaph. c. 1.

huiusmodi cognitionibus cæteræ facultates reguntur in suis operationibus, & gubernantur. Quare etiam Themistius, interiorem sensum constituens, iudici assimilat intus pro tribunali sedenti, vt & iudicium de singulis promat, & pro iure, quæ sunt agenda, decernat.

Demum prædicta omnia vnico argumento recapitulantes, idem probare possumus, quia præter actus, ac sensationes cuiusque sensus externi, aliæ sunt cognitiones necessariò cócedendæ in animali, tum circa eadem obiecta sensuum externorum, modo, quo sensus externi nequaquam possunt procedere, vt discernendo vnum ab alio, vel ea in absentia quoque percipiendo: tùm circa alia obiecta, quæ nullo modo cadere possunt sub sensum externum, vt supra explicatumus: Sed actiones quæcumque reduci non possunt ad
1.p.q.78. art.4. vnum principium, vt inquit S. Thomas, requirunt in animali diuersas potentias, à quibus immediatè procedant: siquidem anima non est immediatè operatiua, sicut nec vlla substantia, vt est communis Peripateticorum sententia. Ergo necessariò constituenda erit in animali, præter sensum externum, distincta quædam potentia cognoscitiua, quæ circa descripta obiecta, quo diximus modo, sit proximum principium operandi ipsius animæ sensitiuæ, & hanc potentiam vocamus sensum internum.

Arist. de sensu, & sensili c. 4. & sæpe alibi.

Ex peculiari quoque vniuscuiusque illorum natura eundem sensum in animantibus depræhendi. *Cap. IV.*



OSTQVAM de existentia sensus interioris quantum ex communi animalium natura, functionumq. suarum necessitate colligi potest, iam satis constiterit: eandem nunc in singulis animalium generibus ex peculiaribus eorum rationibus probandam esse putauimus: Quamobrem à digniori sumentes initium, præclarum adest primo in hominum genere huius existentiæ argumentum, si phantasmatum, seu inter-

internarum sensationum necessitatem consideremus, ad ipsas quoque intellectus operationes naturaliter obeundas. Hic enim cum ex vi suæ conditionis, & consortio animæ rationalis cum corpore, nihil in hac vita percipere, nihilque attingere naturaliter valeat, quod pariter aliquo modo non fuerit in sensu, aut ad similitudinem eorum, quæ sensibus percipiuntur effinctum: imo cum non nisi simul cum viribus, cognitionibusque corporeis suas operationes edere queat, vt anima simul, & corpus in homine, tanquam vnum totum ex vtraque parte compositum, iugiter operetur; Nequaquam solo ministerio sensuum externorum, qui ab obiectis tantummodo in præsentia immutantur, hæc munera obire, suasque intellectiones, prout opus est, cum libuerit elicere posset, nisi per sensum interiorem, cooperationem assiduam sortiretur cognitionis corporeæ etiam in absentia obiectorum. Alioquin intellectus humanus, vel non nisi id, quod sensu exteriori actu percipitur, intelligere, vel sine aliquo concursu facultatis organicæ, aut corporeo instrumento, assiduè, & vt plurimum operaretur in corpore, quod est falsum. Nam vt docet Aristoteles; nunquam sine phantasmate intelligit anima, & paulo inferius ait, qui non sentit aliquid, nihil vtique addiscet, nec intelliget, & cum speculetur, necesse est simul phantasma aliquod speculari. *3. de anima textu 31. 38. et 39*

Rursus idem sensus in homine satis superque probatur experientia, & obseruatione nostrarum imaginationum, recordationumque sensibilium obiectorum; quandoquidem nisi spontè sensum nobis ipsi adimamus, negare non possumus interdum sensibilia remota à sensibus externis, ita nobis obijci, ac si præsentia essent, externisq. sensibus tunc actu oblata, adeo vt non satis homo quandoque aduertat, si exteriori aliquo sensu, an interiori conceptu ea ipsa, quæ imaginatur, percipiat, vt egregiè Diuus Augustinus declarat. *11. de Trinitat. cap. 4.* Nam inquit, voluntas illa, quæ hac, atque illac fert, & refert aciem formandam, si ad interiorem phantasiam tota confluxerit, atque ad eam, quæ intus cernitur, imaginem penitus conuerterit, tanta offenditur similitudo speciei corporalis

ralis

ralis expreſſa ex memoria, vt nec ipſa ratio diſcernere ſinatur, vtrum foris corpus ipſum videatur, an intus tale aliquid cogitetur. Et ex eodem genere affectionis ſubiungit eſſe illud, quo in ſomnis per imagines illudimur, dum animi acies varijs imaginibus ſenſibilium rerum formatur, tanquam ſi verè ipſa ſenſibilia extrinſecus ſentiantur. Vnde mouentur etiam plerique, dum dormiunt, multaque faciunt opera vigilantium, non tamen ſine imaginibus: inquit Philoſophus.

De ſomno, & vigil. c. 3.

Quæ ſanè cognitiones ab intellectiua tantùm, ac ſpirituali hominum facultate oriri nullo modo probatur, cum intellectus, vel ſolum circa ſpiritualia, & vniuerſalia occupetur, vel ſi particularia quoq; ſenſata cognoſcat, diuerſimodè per talem cognitionem hominem immutari contingat. Siquidem quæ mente diſcurrendo percipimus, numquam exteriori ſenſu percepta putamus, ſicut frequenter ea quæ imaginatione apprehendimus. Conſtat enim obſeruanti, fieri in nobis circa res ſenſatas duplicem apprehenſionem interiorem; vnam ſenſationi exteriori perſimilem, quam propterea ex inaduertentia circumſtantiarum ſæpe cum illa confundimus: alteram verò longè diuerſam, quæ celeri motione percurrens, abſtractè tantum obiecta pertingit: quia ipſam rem, non prout exteriori ſenſui obijcitur, ſed ſecundum diuerſas formalitates, quas includit, diſtincta quadam ratione perpendit. Sæpe nãque experimur, nos circa ſenſibile aliquod obiectum interius verſari, & vna quidem appræhẽſione illud tanquam ante oculos firmiter tenere, eodemque pacto totum ſimul cernere; alia vero appræhenſione, ſeu cognitione, nunc calorem illius, nunc magnitudinem, nunc figuram, vel pulchritudinem, nunc ſingularitatem, vel communem naturam, quam participat, contemplari. Per quam cognitionem, ſi obſeruetur, non exprimuntur imagines omnino ſimiles ijs, quæ oculis videmus, ſicut per præcedentem quæ immobiliter perſeuerat, repræſentando ſemper idem obiectum, tanquam intentionaliter depictum. Cum enim ſenſus exterior non percipiat colorem, ſed coloratum, imago, quæ de co-

lore

ſore etiam ſingulari præciſè formatur, valdè diuerſa eſt ab ea, quam de eodem obiecto, quaſi materialiter per viſum habemus. Quamobrem candor hic in abſtracto, non concipitur omnino vt candidum, ſed tanquam aliquid illius, cui præciſè nihil ſimile oculis videmus. Quod ſi contingat, nihil præciſè in obiecto conſiderari, ſed tantùm appræhendi hoc album ſimpliciter, tunc vel fit per priorem duntaxat appræhenſionem ſenſationi externæ perſimilem, vel ſi ſimul concurrat alia apprehenſio ſpiritualis, illa erit etiam abſtracta quædam repræſentatio talis indiuidui ad modum naturæ communis. Cum igitur intellectus nonniſi per huiuſmodi apprehenſiones intelligat, modo ſemper abſtracto, quamuis circa ſingularia verſetur, remanet, vt primæ illæ apprehenſiones ſuperius explicatæ, ad aliam interiorem facultatem cognoſcitiuam ipſo iure pertineant, quam diximus vocari ſenſum internum.

Præterea ſæpe obſeruamus, multa ante conſpectum imaginationis noſtræ verſari, tam in vigilia, quàm in ſomnis, quæ non ita ſe habere, quemadmodum obijciuntur, alia quadam cognitione tenemus, qua etiam viſa, approbamus, & improbamus, non ſecus, ac iudicio peritorum tabulam pictam: Sed non poteſt vtraque ſimul cognitio tam diuerſa ab eadem oriri potentia: Ergo per aliam facultatem obiecta intus repreſentantur tanquam ante ſenſus externos; per aliam verò de illis fertur iudicium ſi vera ſint an falſa, atque approbantur, ſi placent, vel improbantur. Quam obſeruationem proprio exemplo confirmat, & explicat Auguſtinus inquiens: Cum arcum pulchrè, ac æqualiter intortum, quem vidi Carthagine, animo reuoluo; res quædam menti nuntiata per oculos, memoriæque transfuſa, imaginarium conſpectum facit; ſed aliud mente conſpicio, ſecundum quod mihi opus illud placet, vnde etiam ſi diſpliceret, corrigerem. Itaque de iſtis ſecundum illam iudicamus, & illam cernimus rationalis mentis intuitu: iſta verò aut præſentia ſenſu corporis tangimus, aut imagines abſentium fixas in memoria recordamur, aut ex earum ſimili- *lib. 9. de Trinit. cap. 6.*

B litu-

litudine talia fingimus, qualia nos ipsi si vellemus, atque possemus, etiam opere moliremur. Hæc ille, qui propterea tandem concludit; aliter nos animo imagines corporum, aut per corpus corpora videre; aliter autem rationes, artemque ineffabiliter pulchram talium figurarum super aciem mentis simplici intelligentia capere.

Deinde si ad genus brutorum, quæ inter perfecta animalia computantur, ad probandam existentiam sensus interioris animum conuertamus; tot, ac tales in his belluis licebit motiones obseruare, quæ non modo minime ab exteriori aliquo sensu, sed nec ab interiori duntaxat absque rationis aliqua participatione dirigi vnquam posse, ex antiquis nonulli existimarent, vt videre est apud Plutarchum, tum propter morum sagacitatem, quam in pluribus actionibus ipsæ ostendunt simul cum prudentia, vel stultitia, (vt inquit Aristoteles) fortitudine, vel ignauia, clementia, vel acerbitate, & reliquis habitibus generis eiusdem; tum propter memoriam, quam simul præseferunt, dum ad loca distantia ad repetendas suas commoditates, vel ad vlciscendas iniurias, iterum, atque iterum se se mouent. Et quod etiam disciplinabilia se se reddunt, vt quæ more hominum saltare, aut voces emittere assuescunt. Ita vt hoc genus brutorum magnam videatur referre vitæ humanæ similitudinem; sensumque illorum habere quodammodo intelligentiæ rationem, vt testatur idem Philosophus. Non ergo in illis de existentia sensus interioris remanet amplius ambigendi locus.

de solertia animal.

9. de hist. animal. cap. 1.

9. de hist. animal. c. 7.

Denique nec desunt indicia, & obseruationes ad hunc ipsum sensum probandum in imperfectissimis quoque animantibus, vt in omni, vel infimo reptilium genere, sicut, & adhærescentium saxis marinis. Etenim illa paulatim reptando, hæc autem tametsi affixa scopulis, testarum quadam laxatione, aut strictiori adhæsione; sicut alia, concarum apertione, & reseratione, escam quærunt, quam expetunt; arcent, vel fugiunt quod abhorrent, adhuc sibi iniuria non illata; propriæque substentationi, & conserua-

tioni

tioni hoc pacto incumbunt. Quod certè exequi non valerent, nisi per sensum aliquem interiorem, & proprium appetitum materialiter dignoscerent, & appræhensionem quandam retinerent absentium obiectorum. Vnde Aristoteles de Spongia, quam vix sensum aliquem habere creditur, notat, quòd multò difficilius abstrahatur, nisi clanculum agatur, vt referunt auulsores: esseque alias, quæ adhærere solent, & quoties libuerit absolui, vt genus quoddam eius, quam Vrticam vocamus. Ex quibus certè, non tantum arguitur sensus exterior, sed etiam interior, quo auulsores eludunt, ne capiantur, & ad loca distantia expetenda, diriguntur quando mutantur. Accedit quòd inter tactile tantum, ac etiam gustabile, hæc pariter animalia debent discernere; Quare nisi sensu aliquo ditarentur interno, vel non vno, eodemque sensu, vtraque illa cognoscerent, inter quæ tenerentur discernere: vel escam cum cœteris tactilibus absolutè omnino confunderent, vitæque suæ nullo modo consulerent, quod est contra naturæ communem, & vniuersalem prouidentiam.

lib. 1. de histor. animal. c. 1.

Soluitur ex dictis omnis ratio dubitandi de existentia sensus interioris superius adducta.
CAP. V.



Eliquum est, vt ex dictis, formalem solutionem difficultatum pro ratione dubitandi in principio adducta colligamus. Ad primam igitur difficultatem, seu probationem assumpti argumenti ex imperfectis animantibus, in quibus vestigium non apparet sensus interni, respondetur, solum id aliquo modo verificari de organo huius potentiæ, prout ab alijs distincto, non autem de operationibus, cum hę præseferri non desint, vt iam supra paulò ante commonuimus. Nec propterea denegandum esse,

huiusmodi potentiam his animantibus, quod organum distinctum habere non videantur, quemadmodum cœtera animantia perfecta; siquidem ipsa eorum imperfectio hoc admittit propter paucitatem internarum functionum, quas tenentur exercere, ac dispositionem, quam iuxta naturam in tali subiecto possunt habere. Alioquin adhuc in his animalibus aliquid proportionale cerebro concedendum esse, quemmadmodum in eisdem aliquid proportionale cordi omnino concedunt omnes cum Aristotele; quamuis neutrum horum sensibiliter, vel in accuratissima dissectione quandoque conspiciatur; idque eadem prorsus ratione, qua pisces nullum continere membrum auditus, olfactusue manifestum, ait idem Aristoteles, audire tamen illos, atque olfacere palam esse; quod in specie de Delphinis asseuerat. Præterea si ob carentiam distinctionis in organo his denegandus esset sensus interior, ob eandem denegandus esset cunctis animantibus etiam tactus, saltē in organis, quæ ad functiones aliorum sensuum pariter deputantur: sed lingua, verbi gratia, secundum eandem partem tangibilia sentit, & saporem, vt notat etiam Aristoteles. Igitur argumentum in contrarium probat plusquam intendit, ac propterea nihil contra existentiam sensus interioris concludit.

lib. 4. de partibus animal. c. 5.

lib. 4. de hist. animalium c. 8. & lib. 2. de partib. animal. c. 10.

2. de anima tex. 112.

Quod autem de Embrione dicitur non nisi tactu eum pollere, intelligendum est secundum exercitium, non verò secundum potentiam, quæ licet ociosa maneat etiam post perfectum in vtero phetum, quo ad reliquorum sensuum functiones, quia tunc ille adhuc non audit, nec videt, nec odorat, nec gustat: præsertim cum tunc nequaquam ore, sed aliunde nutriatur; non tamen per hoc tam Embrioni, quàm infantulis præter tactum, sensus aliquis secundum potentiam deest, in quibus certè si contingeret pituitam aliquam ad palatum, ac linguam deferri, gustus etiam quoad exercitium probaretur.

De Mola verò maior est difficultas, cum in illa nec organum, nec operatio alterius sensus appareat præterquam tactus, quem etiam in ea non nulli negarunt, asserentes Molam

non

non nisi vita vegetatiua viuere. Sed distinguendum primo est de Mola exquisita, & non exquisita: quia non exquisita, cum tantum sit humor quidam durus in vtero genitus, qui etiam in virginibus non nunquam experitur, nullam habet facultatem sensitiuam, imo nec vegetatiuam. At Mola, quam vocant exquisitam, licet sit caro præter naturam in vtero genita ex imperfectis, & vitiatis seminibus orta, omnino tamen est animal, vt Philosophi, ac Medici communiter sentiunt, quantumuis imperfectum, ac in determinatum, vt aiunt, propter ablatam formationem humanam ex vitio, & imperfectione seminum. Et hoc ipso quod ex se moueatur, ac tangat, voluptati, ac dolori obnoxia esse debet; proindeque appetitum vlterius participare, qui sanè esse non potest absque vlla imaginatione saltem inperfectissima, & confusa, vt ex Aristotele supra retulimus. *3. de anima tex. 56.*

Quod verò nec gustum videatur habere quemadmodum cœtera animalia, vt per se valeant nutriri, ac sustentari, quia videlicet non habet partem, qua cibus recipiatur, vt commune est omnibus animalibus, teste Aristotele. *lib. 1. de hist. animal. cap. 2.* Hoc quoque incertum est, ac saltem ab intentu naturæ animalis omnino alienum; Quare aliquid ori proportionale fortasse reperitur in Mola, quo suaptè natura alimentum attraheretur, ac per cæteras partes distribueretur, si diutius ei extra vterum viuere aliunde permitteretur: siquidem in necessarijs nunquam deficere potest natura. Sed vt ait Plinius, cum *lib. 10. naturalis historiæ c. 71.* gustatus omnibus animalibus insit, non omnia eodem modo aluntur; alia enim cibum dentibus, alia vnguibus, alia rostri aduncitate carpunt, alia latitudine eruunt, alia acumine excauant, alia sugunt, alia lambunt, sorbent, mandunt, vorant. Vel sicut vniuersaliter in monstris multa cernũtur, & conceduntur inesse præter naturam, multaque experiuntur, abesse, quibus tamen ius naturæ quoad exigentiam, seu proprietatem potentiæ non propterea violatur: ita nequaquam tollitur proprium esse pariter gustum huic animali, etiamsi per accidens talis potentia ex indispositione materiæ aliquo pacto, quoad exercitium impediatur. Num quod affertur ex

Aristotele de animantibus, quæ solo tactu docet pollere, intelligēdū est de tactu largo modo sumpto, prout etiā gustū comprehendit. Nā 2. de anima tex. 27. postquā dixisset, omnia animalia habere vnū ex sensibus tactū, statim subiungit. Adhuc autem & aliméti sensum habere, quem tactum quendam denominat. Vnde saporem, vnum quoddam esse inquit tangibilium, quia siccis, & humidis, & calidis, & frigidis, (quæ sunt qualitates tangibiles) omnia aluntur, & hinc, ait, fames est concupiscentia calidi, & sicci; sitis autem frigidi, & humidi; sapor verò vt condimentum quoddam. Quibus congruunt quæ idem Philosophus docet 2. lib. de partibus animalium cap. 10. loquendo de gustu cum ait. Est enim hic etiam sensus quasi tactus quidam. Et de sensu, & sensil. cap. 2. Gustatiuum verò species quædam tactus est. Nec Aristoteles vnquam negat, omnem imaginationem etiam exilem, & quasi inchoatam quibusdam animantibus imperfectis, sed tantum imaginationem perfectam, quæ cum memoria in perfectioribus animalibus coniuncta est, ac loco ratiocinationis, de qua loquebatur, deseruit, vt exponit S. Thomas in 2. de anima tex. 56. nam duplicem imaginationem distinguit, determinatam vnam, ac propriam perfectorum animalium; indeterminatam alteram omnibus communem. Et hoc sensu Philosophus tex. 20. eiusdem libri dixerat, quæcunque sensum habent, imaginationem quoque habere.

Ad corroborationem vero eiusdem probationis, nempe quod memoria non omnibus competat animantibus, & per consequens nec alia virtus interior sensitiua; Respondetur hoc totum in rigore verificari de memoria actuali, imaginatione, & extimatione secundum perfectiones, ac formalitates, quas huiusmodi sensationes includunt in animantibus perfectis, vt sigillatim de illis agendo inferius patebit. Alioquin ex hoc non inferri omnem obiectorum absentium cognitionem à sua constitutione naturæ imperfectis animantibus denegari, cum & vermes ad loca distantia moueantur, & alia imperfectissima animalia, vt quæ testa intecta sunt

suis

suis motibus ciantur ad alimentum,quod adhuc non gustant comparandum, vel malum antequam inferatur vitandum, vt supra dictum est. Vnde colligitur præter sensationes externas, quæ non nisi in præsentia obiectorum eliciuntur, in his quoque animantibus dari cognitionem aliquam internam circa absentia, ad quæ mouentur, & à quibus auertuntur; principiumque huius cognitionis vocamus sensum internum, quamuis non sit eiusdem perfectionis cum sensu interiori, qui & formalem actum memoriæ, & imaginationis, & extimationis valet exprimere; nam hoc non est nisi perfectius, vel imperfectius, ac diuersimode circa eadem obiecta absentia, vel præsentia operari. Imo Aristoteles,qui sæpe de imaginatione loquitur secundum plures formalitates, ac præstantias,quas illa in perfectis animalibus sortitur, & ad eandem vim imaginatricem actum memoriæ pertinere concedit; ipsemet aliàs imaginationem cunctis animantibus indiscriminatim attribuit, hoc ipso, quòd animalia sint, voluptatemque, ac dolorem cum appetitu participent, vt patet 3. de anima tex. 56. & sequenti. In quo omnes postea philosophi conuenerunt, nam appetitus, seu desiderium animalis cum tendat in absẽs, ad quod certè sensus exterior non potest pertingere, non nisi imaginatione ducetur, ne in incognitum, vt appetitus naturalis inanimatorum, feratur. Quocirca notandus est locus Aristotelis 2. de anima tex. 20. vbi loquendo de imperfectissimis animantibus, quæ adhuc secta viuunt, docet,quod sensum, & motum vtraque partium habet. Deinde subiungit: si autem sensum, & imaginationem, & appetitum. vbi enim sensus est, & dolor, & voluptas consequitur. vbi autem hæc sunt, ex necessitate, & desiderium est.

Ad secundam autem difficultatem,seu probationem principalis argumenti, nimirum quòd operationes, quæ interiori sensui cõmuniter tribuuntur, per instinctum naturæ in brutis obiri commodè possint: Respondetur,instinctum naturæ dupliciter sumi apud Philosophos; primò enim formaliter, & absolutè sumitur pro inclinatione, seu propensione

illa, quę in vnoquoque animali circa hęc, vel alia obiecta peculiaria reperitur, orta ex tali, vel tali organizatione, ac dispositione qualitatum ipsius animalis tamquam quid consequens naturam illius. Vnde iuxta varietatem dispositionum naturalium, quæ in diuersis speciebus animalium reperiuntur, varios quoque in illis experimur instinctus. Secundo verò quia talis inclinatio semper elicitur, præuia aliqua cognitione obiecti, ad quod dicit propensionem, ad differentiam appetitus naturalis rerum insensatarum, quæ nulla cognitione feruntur in terminum, vt grauia deorsum, ac leuia sursum; hinc fit, vt rursus instinctus naturæ sumatur copulatim, tàm pro inclinatione prædicta, quàm pro cognitione, qua illa ducitur in obiectum. Quæ cognitio aut est solius sensus interioris, aut non est sine illo, quippe cum appetitus non moueatur immediatè absque aliqua imaginatione, seu apprehensione interna vltra omnem sensationem externam. Quare si instinctus naturæ sumatur primo modo, certum est, nequaquam ad illum reduci posse plures, ac plures actiones brutorum animalium, quæ ex se formaliter manare debent ab aliqua potentia cognoscitiua interiori, vt est discernere album à dulci, absentium signa percipere, multaque addiscere, ac memoria tenere, & similia quæ in Psitacis, equis, & canibus, alijsque licet obseruare. Si verò instinctus naturæ secundo modo sumatur, cum comprehendat potius, quam excludat sensum internum, non est inficiandum si ab Algazelo, & Auicenna ponatur in brutis loco inquisitionis, eoque dicat S. Thomas percipi conueniens, & nociuum. Nàm certè sensus interior obiecta appetitui immediatè, ac materialiter reprensentat, & inclinatio naturalis dum fertur in simile, vel sibi conueniens, & auertitur à contrario, vtrumque videtur cum sensu discernere, quod sano modo intelligendum est, vt suo loco explicabitur.

Nec propterea quòd Aristoteles, muscas carere memoria dixerit, etiamsi ad comestibilia redeant, rectè inde sequitur, cœteras quoque animalium functiones absque memoria, aliouc sensu interiori exerceri commodè posse per instinctum

ctum naturæ. Quoniam si pro suo munere non omnia animalia, nec semper requirunt formalem memoriam, requirunt tamen illam confusè quasi aliquid phantasiæ, seu imaginationis, quod requiritur ad sentiendum etiam exterius; & ideo sicut sentire, ita etiam imaginatione vti omnibus brutis est commune, vt optime explicant etiam nonnulli recentiores. *Suar. pri. tom. met. disp. 2. sect. 6. nu. 10.*

Deinde incertum quoque est, muscas carere memoria, eo quòd pulsæ, redeant: nam etiamsi percussionis, aut expulsionis meminerint, superare posset memoria delectationis obiecti, ac vehementia appetitus, omnem doloris, ac percussionis metum incussum, & sic eas iterum, atque iterum in idem ferri, atque conari, non ex defectu memoriæ vnius, sed ex abundantia cognitionis, ac recordationis alterius.

Ad illud postremò, quod intellectus in homine munia subeat, quæ internis sensibus communiter tribuuntur, satis patere potest solutio ex dictis de necessitate phantasmatum, & obseruatione nostrarum imaginationum in ipsis quoque intellectualibus operationibus obeundis.

Quòd si Plato in Theæteto animam intellectiuam in homine per se ipsam communionem omnium dixerit iudicare, nullo proprio organo his, & illis accomodato, nihil tollit in eius sententia de adminiculo organicæ potestatis sensus interioris, quem vt cap. præcedenti retulimus, & Galenus, ac Marsilius Ficinus exponunt, expresè concesserat: sed solum innuit potentiam intellectiuam addictam non esse organo aliquo corporeo omnibus accomodato, cum de corporibus sensibilibus, & formas sensibiles, & rationes abstractas considerat; dixerat enim hominem non solum vocem, & colorem, ac similia dignoscere; sed etiam esse, & non esse illorum, similitudinem, ac dissimilitudinem, par, & impar, & alia, quæ, vt patet sunt merè rationes abstractæ. His igitur, & illis, nempe rationibus abstractis, & formis materialibus, nullum dixit proprium, & commune organum accomodari, sed animam intellectiuam per se ipsam communionem omnium, seu conuenientiam singularium in abstractis iudicare;

alia

alia, verò nempe sensibilia materiali modo concepta per corporis vires appræhendere.

TRACTATIO SECVNDA
De Obiecto adæquato sensus interioris.


D inuestigandam naturam,& quidditatem huius potentiæ,quam inesse animalibus compertum,probatumque iam est,primo loco se se offert eius obiectum,in ordine ad quod adæquatè sumptum(vt commune est omnibus potẽtijs
2.de anima tex. 33. iuxta doctrinam Aristotelis) desumere debet propriam speciem. Et quamuis præcedẽti tractatione non nihil de ijs,quę ab huiusmodi potentia cognoscitiua percipiuntur, tactum, insinuatumque sit ex incidenti,suo tamen hoc loco seorsum, ac distinctè,omnia, quæ sub ratione huius adæquati obiecti cadere possent,peruestigare opus est, finesque illius à natura præscriptos describere; quod per singula rerum genera discurrendo præstare conabimur.

Ens vt sic nullo modo pertinere ad rationem huius obiecti.
CAP. I.


T autem ordinatè exordiamur, nihilq. intactum relinquamus, aliquid in primis de ente vt sic dicendum occurit: num scilicet per sensum internum aliquo modo dignoscatur. Agimus enim hic de sensu interiori secundũ totam latitudinem perfectionis, quam potest habere saltem in aliquo animali, vt in homine omnium perfectissimo.

Et

Et quidem videri fortasse alicui posset etiam bruta animalia quodammodo ens vt sic, posse appræhendere, cum illis non sit denegandum absque abstractione, cognoscere quasi per confusam quandam apprænhensionem, hoc esse aliquid, non autem nihil, seu prout distinguitur à nihilo: Quod sanè contingere videbitur quotiescumque accidentia specialia ipsius rei sensatæ propter aliquod impedimentum, sensui non innotescunt; vt cum quis adesse sentit aliquid, nihil videns, aut audiens, nihilque prorsus determinatum exteriori aliquo sensu percipiens, vnde sciat quidnam illud sit secundum proprias differentias. Nam idipsum fortasse sępe accidit brutis, vt cum canem, aut equum arrectis auribus, suspensoque gressu videmus subsistere, ac varijs sensibus exterius explorare, quod secundum quidpiam illis innotuit, aut secundum exilem quandam entitatem ipsi cõfuse intus appręhendunt.

Asserendum tamen est, sensum nullo modo posse ens vt sic sua cognitione percipere. Nam quamuis ex parte modi rectè videatur hoc procedere, explicando huiusmodi cognitionem quasi in concreto, & materialiter prout versatur circa aliquod particulare in confuso; nihilominus ex parte ipsius obiecti maximam inuoluit repugnantiam. Etenim hoc aliquid, si rectè consideretur, non est aliud nisi purus gradus entitatis contractus in indiuiduo: & vt sic cognitio illius necessariò inuoluit præcisionem, qua in ipso singulari, tantum consideratur ratio illa communis analoga tanquam natura vniuersalis contracta per differentiam indiuidualem, seclusis omnibus alijs prædicatis. Nequit autem sensus rationes communes & vniuersales percipere, vel per abstractionem, aut præcisionem sicut intellectus cognoscere, iuxta doctrinam Aristotelis, cœterorumque omnium Philosophorum. Nam vt docet S. Thomas, cum obiectum cuiuslibet sensitiuæ potentiæ, sit forma prout in materia corporali existit, & huiusmodi materia sit principiũ indiuiduationis, omnis potentia sensitiuæ partis, particularium tantũ, seu singularium constituetur cognoscitiua. Cum igitur non detur singulare aliquid sensibile in rerum natura, quod

2. de anima text. 60.

1. par. q. 85. Art. 1.

quod non sit huius, vel illius naturæ sensibilis in indiuiduo, ita percipi non potest, nisi cum varietate accidentium sensibilium, per quam constituitur talis naturæ, & iuxta quam sensus diuersimodè ab illa immutatur secundum proprias differentias.

Nec datur casus, in quo sensus aliquid verè dicatur percipere absque vlla differentia indiuiduali sensibilis accidentis; nā vel hoc homo putat ex deceptione intellectus, iudicādo se aliquid sensu percepisse, quod prorsus nullo modo percepit: vel si aliqua ex parte percepit, & ignorat, quid illud sit; non ignorat illud, secundum omnia accidentia, vel prædicata, sed tantū secundum aliqua. Nam si v. g. ignorat, an illud aliquid sit album, vel potius flauum; non ignorat esse coloratū, quandoquidem sensus circa proprium sensibile secundum rationem communem nō potest errare, vt Aristoteles animaduertit. Similiter & si non percipit esse coloratum, cognoscit tamen esse tangibile, vel quantum, & sic de singulis: ita vt nullo modo possit formare conceptum alicuius entitatis, nisi simul cum aliqua differentia sensibili, qua illa entitas constituitur talis, & per quam sensui innotescat, saltem secundum rationem communem rei visibilis, aut tangibilis &c. Quod si à multitudine prædicatorum, ac circunstantiarum, quas non percipit, nescit homo illud aliquid determinatè, ac distinctè denominare; Hoc non tollit per aliquod accidēs particulare, ac sensibile ei innotuisse ipsum aliquid, quod percepit. Ex quo colligitur, bruta animantia quandoque sistere quidem quasi suspensa, non tamen percipiendo aliquid vt sic, sed inquirendo vlteriores defferentias percepti sensibilis, vel pertinentes ad eundem sensum, vel alios exteriores, vt si vocem audierint, attendendo quænam vox illa sit, vel quid aliud secum portet coeterorum sensibilium: nam quidquid sit, semper ad aliquem sensum refertur secundum rationem eius obiecti, non autem entis vt sic.

2. de anima tex. 63.

Ex his autē vlterius patet, sēsum interiorē nō modo multo minus ens rationis quā ens, vt sic posse percipere, sed nec simile quidpiā ex se posse conficere. Nam ens rationis cū forma-

maliter nihil fit, ſed tantum effingatur ab intellectu, per nullam ſpeciem corpoream poteſt repręſentari: Cumque nihil ei ſimile in rerum natura poſſit effingi, etiam per ſpecies rerum ſenſibilium, abſque præciſione aliqua vel comparatione, proculdubio id pariter ſentientis facultatis omnino vires effugiet. Quod ſi ſenſus concurrat in homine cum intellectu ad conficiendum chimæras, imo ad effingendam naturam vniuerſalem, quæ concipitur quandoque ad modum cuiuſdam ſenſibilis realis, quamuis in ſe ſit ens rationis; ſemper tamen id, quod terminat eius cognitionem ſenſitiuam, ſunt ipſa ſenſibilia particularia, quæ vel quoquo modo copulantur, vt cum ex illis efformatur figura Hircocerui: vel ita ſimul ab intellectu intimas rerum naturas penetrando percipiuntur, vt ex illis abſtrahat quaſdam formalitates communes, quæ comparatæ ad ipſamet ſenſibilia particularia, dicuntur prædicata vniuerſalia. Quare huiuſmodi entia non niſi fundamentaliter dicuntur ab ipſo ſenſu per imaginationem dignoſci, quatenus hæc verſatur circa ſingularia, in quorum conuenientia vniuerſales abſtractiones fundantur, & quorum ſimilitudines, ſeu ſpecies in ſe gerit, ac variè poteſt pro arbitrio copulare, vt inde intellectus formaliter vniuerſalia ipſa, & chimæras, quas effingit, intelligat.

Excluduntur etiam à ratione huius obiecti paſſiones entis, vnitas, & veritas. Cap. II.

DE paſſionibus verò entis nulla remanet controuerſia, ſi præcisè, & abſtractè ſumantur, idq. propter eandem rationem, qua diximus, ens vt ſic ab interiori ſenſu non poſſe dignoſci: ſi tamen materialiter loquamur de vno, vero, & bono, prout ſunt à parte rei; cum hæc tranſcendentia identificentur cũ entitatibus ſingularibus diuerſorum generum, idem erit iudicium, ſi dicatur, ſenſum internum cognoſcere vnum vel non cognoſcere, ac ſi dicatur cognoſcere, vel non cognoſcere talem entitatem in particulari, quæ vna, vera, &

bo-

bona est. Verum autem quando cognoscit aliquod singulare, cognoscat illud vt vnum, aut verum, & bonum, sicut cognoscit, vt album, aut quantum, etiamsi modo concreto loquamur absque formali & expressa reduplicatione, dubium esse potest.

Et quidē vt ab vno incipiamus, si vnitas in rigore sumatur prout dicit negationem pluralitatis, certum est, illam affirmari, aut negari non posse de aliquo subiecto à sensu interiori præsertim in brutis, cum vix id efficiat, & assequatur intellectus. Quoniam verò aliud interdum est, quod huiusmodi attributa formaliter significant: aliud verò, quod per illa à nobis explicari intenditur (Nam estò per vnitatem formaliter significetur negatio; à nobis tamen per illam intelligitur, & explicatur positiua quędam perfectio rei; quemadmodum similis alia per simplicitatē, quæ formaliter dicit negationem compositionis) Videri posset alicui sensum internum etiam in brutis percipere. v. g. lapidem vt vnum, non quidem reduplicatiuè, quia inuolueret abstractionem, sed absolutè, & in concreto, apprehendendo illum quasi affectum tali proprietate, eo modo, quo appręhendit ipsummet esse album: tum vel maximè quia vt infra dicemus, de numero negari non potest, bruta cognoscere plura discreta, plures sonos, plures sapores, & similia. Ergo pariter vnum, à quo plura condistinguuntur; nam contrariorum, vt docet Aristoteles, eadem est disciplina: & numerus componitur ex pluribus vnitatibus.

Veruntamen probabilius censendū est, sensum interiorem non percipere vnitatem transcendentalem, de qua loquimur, nisi priuatiuè, quatenus dum percipit vnum, non percipit plura, eo modo, quo etiam dicitur audiri silentium, aut tenebras videri, dum non videtur lumen, aut non auditur sonus. Idque probatur ex eo, nam licet per negationem pluralitatis significetur à nobis positiua quædam perfectio rei, cum hæc sit omnino identificata cum ipsa re, nequit percipi à potentia sensitiua, quæ nullo modo valet abstrahere, ac præscindere, sicut intellectus. In quo dispar est ratio de albo

albo; siquidem cum albedo sit per se qualitas sensibilis distincta à subiecto, optimè potest simul terminare cognitionem sensus, qui diuersimodè per illam immutatur. Quod autem arguitur a paritate ex numero, qui sensu percipitur, tantùm procedit de vnitate quantitatiua, de qua inferius erit agendum; nam re vera sensus cognoscit vnum continuũ, quemadmodum plura discreta; at hic sermo est de vnitate transcendentali, quæ valde diuersa est, vt per se patet.

De veritate autem transcendentali, similiter, ac de vnitate philosophandum est. Hæc enim veritas, per quam ens denominatur verum tanquam per propriam passionem, in duobus consistit. Primo in realitate ipsius entitatis, quæ dicitur vera, & sic nullo modo distinguitur ab ente. Deinde in adæquatione, seu conformitate, quam habet vel potest habere cum conceptu cognoscentis. Qua ratione dicitur verum aurum, quod non modo putatur aurum, sed ita est, vt concipitur. E contra vero dicitur falsum id, quod aliud est quàm concipitur, licet aptitudine, omne ens sit verum, si quando apprehendatur, secundum realitatem, quam habet. Vnde S. Thomas inquit, veritatem inueniri in re, secundum quod habet esse conformabile intellectui. Et D. Augustinus ait verum esse, quod ita se habet, vt cognitori videtur, si velit, possitq. cognoscere. Quod si loquamur de conformitate respectu cognitionis diuinæ, quodlibet ens semper actu est verum.

1. par. quæst. 16. art. 5.

lib. 2. solilog. c. 5. tom. 1.

Cum igitur verum semper connotet pręfatam adęquationem, qua conformatur conceptui, & huiusmodi connotatio, imo & ipsa conformitas, formaliter sit ens rationis, apertè sequitur, verum vt verum, nullo pacto attingi posse à sensu interiori, sed tantum ab intellectu, cuius est huismodi formalitates abstrahere, ac distinctè percipere. Idemque dicendum est de veritate cognitionis, quæ consistit in ipso actu cognitionis cum connotatione obiecti ita se habentis, sicut per actum repræsentatur. Nam licet huiusmodi veritas etiam in cognitione sensitiua reperiatur; non tamen percipitur absque intellectus reflexione, qua in ipso actu cognitionis sensitiuæ, talem conformitatem aduertit. Præterquam

quod

quod propria, & speciali ratione, veritas solum reperitur in iudicijs, seu compositionibus, ac diuisionibus intellectus.

Explicatur, & expenditur Bonitas Cap. III.



DE Bono, seu bonitate adhuc difficilior sese offert speculatio: dupliciter enim bonum accipi potest, primo simpliciter, quatenus aliquid in se ipso bonum est. Secundo verò prout alteri bonum est; vt habetur ex Augustino; Et sub vtraque formalitate expositum, examinandum est: num ab interiori sensu dignoscatur. Formalis itaque ratio boni primo modo accepti, non est aliud, nisi integritas, & perfectio quædam rei in suo esse, vt sæpe docet S. Thomas. Idem enim est (inquit) perfectum, ac bonum hoc genere bonitatis. Quandoquidem si alicui rei desit quidquam ex his, quæ ad eius integritatem in suo genere pertinent, ex illius defectu, dicitur, & est absolutè mala. Perfectio autem hæc in primis concipi non potest à nobis absque negatione, vt per se patet, nec aliter illam exprimit Aristoteles cum dicit, perfectum est, cui nihil deest. Deinde concipi non potest absque præcisa cognitione ipsius generis, in ordine ad quod res dicitur integra, & perfecta. Nam quod cognoscitur integrari suis prædicatis essentialibus, supponitur præcognosci secundum essentiam; imo cognitio integritatis, & perfectionis indiuidui, semper inuoluit enumerationem partium, & comparationem illarum ad requisita communia in tali specie, vel genere.

lib. 8. de Trinitate cap. 3.

1. par. quæst. 5.

5. met. cap. 16.

Ratio verò formalis boni secundo modo accepti, est conuenientia quædam, ratione cuius habet res quòd sit appetibilis. Vnde est illud Philosophi. Bonũ est, quod omnia expetunt. Hæc autẽ bonitas, seu conuenientia concipitur à nobis, & explicatur tanquam perfectio rei, siue distincta, siue indistincta ab ipsa re, cũ connotatione naturalis cuiusdam cõnexionis respectu illius, cui dicitur conueniens; vt v. g. quando virtus dicitur bona hominibus, de formali significatur perfe-

1. Ethic. c. 1.

ctio

ctio ipsius virtutis, connotando connexionem, quam habet cum humana natura, seu inclinationem, quam natura habet ad illam. Quare propriè loquendo talis perfectio, dicitur perfectio respectiua. Ex quo plerique sumpserunt, huiusmodi bonitatem in relatione consistere. Idem igitur est cognoscere aliquòd esse bonum hoc genere bonitatis, ac cognoscere conuenientiam, seu perfectionem respectiuam illius, & naturalem connexionem, quam habet cum eo, cui dicitur conuenire.

Et quidem si loquamur de cognitione distincta, vt qua forma quælibet à suo subiecto discernitur, & secundum propria, & essentialia prædicata concipitur: nulli dubium est, bonum sub vtraque, vel alterutra formalitate sumptum, ab interiori sensu nequaquam dignosci: cum solius intellectus sit, huiusmodi formalitates præscindere, ac distinctè concipere. Si vero sermo sit de cognitione confusa, vt qua forma sensibilis appræhenditur in subiecto, vel cum subiecto per modum vnius concreti, vt albedo in albo, vel calor in calido: sic multis non videtur deneganda cognitio boni sub formali ratione bonitatis, siue absolutæ, siue relatę, cuilibet sensui interiori etiam brutorum animantium. Quandoquidem hæc in primis versantur circa sua obiecta, sicuti sunt, integra, ac perfecta: ac proinde in se absolutè bona. Secundo quia nisi aptè cognoscerent, quę sibi bona sunt, vel mala, salutaria, vel noxia, facillimè interirent, ac certis non vescerentur alimentis, nec sibi tam prouidè opitulari, aut consulere viderentur. Patet enim huiusmodi animantia, aliqua alimenta ad propriam, & quotidianam nutritionem impensa auiditate quærere, alia respuere statim vt vident, vel olfaciunt, non quidem propter colorem, vel odorem, cum ab eisdem iuxta positis non auertantur: neque propter saporem, cum adhuc non gustauerint; ergo propter disconuenientiam, quam appræhendunt in obiecto respectu suæ naturæ, aut dispositionis, vel etiam alterius sensus, licet eodem sensu id experta non fuerint. Tertio deinde, quia videmus eadem animantia, multa ad tuendam sanitatem, non ad

gustum demulcendum comedere, vt Canes, qui lumbricis infestantur, cum herbam tritici comedunt; & ægrescentes, herba quadam commesa, vomitant; aut cum Testudo post viperam, cunilam edit, ne intereat, & similia, quæ ab Aristotele disertissimè traduntur. Quarto nam aliæ alijs belluas quærunt, in quas naturali quadam affinitate, vel amicitia secum concepta feruntur. Vt Coruus in Vulpim, Merula in Turturem, Vulpis in serpentem: Cornix in Ardeolam &c. contra verò eædem, vel aliæ ab alijs auertuntur, dimicantq. si occurrant ad inuicem, vt Coruus cum Tauro, & Asino; Cornix cum Noctua; Leo cum Lupo Ceruario; Aquila cum Dracone; &c. vt idem Philosophus, & Plinius referunt. Quandoque etiam sibi, hatisq. cauent, ac nulla adhuc accepta iniuria, ad pugnam, vel defensionem se parant, aut vna cum prole, se in fugam conuertunt. Vnde Echinus terrestris, seu Ericium, quid insidiarum præsentiens, spinis suis clauditur, atque in sua arma se colligit, vt præclarè notat D. Ambrosius. Et Ichneumo Aegypti, vbi Aspidem anguem suum hostem aspexerit, socios vocat, & limo obducto, contra ictus, morsusque sese loricat. Necnon, & Mustela, quoties dimicatura est cum serpente, rutam comedit, cuius odor infestus serpentibus est, ait Aristoteles. Quod certè non faciunt propter indecentiam coloris, vel figuræ, vt notat S. Thomas; sed propter contrarietatem naturæ, inimicitiam, ac disconuenientiam, quam in illis apprehendunt. Quinto insuper, nam vt idem ait, aues colligunt paleas, non quia delectant sensum, sed quia vtiles sunt ad nidificandum, fouendisq. pullis deseruiunt: ergo bonum vtile verè à brutis per sensum internum discernitur, nec sola conuenientia, aut disconuenientia actualis, quæ in sentiendo experitur, ab illis percipitur (nimirum, quæ in delectatione, vel horrore cuiusque sensus constituitur, iuxta proportionem, vel improportionem, quam sensibile habet cum sensu) sed etiam conuenientia, vel disconuenientia obiecti remoti, quæ in vtilitate, & commoditate, vel in opposito illius consistit.

lib. 9. de Histor. animal. cap. 6.

Arist. lib. cit. c. 1. Plin. natur. hist. lib. 10. c. 4. & 74

In Hexameron.

Eod. lib. 9. c. 6.

1. p. q. 78. art. 4.

Præterea, & vltimò, quia negari non poteſt in brutis dari communes paſſiones amoris, & odij, timoris, & ſpei, gaudij, & meſtitiæ, & id genus alia, quæ cum actus quidam ſint eliciti ab appetitu ſenſitiuo, neceſſariò ſupponunt præexiſtentem cognitionem ſenſitiuam, qua proponatur ipſum obiectum amabile, aut odibile. Cumq; non ametur, nec appetatur, niſi bonum ſub ratione boni; nec reſpuatur, niſi malum ſub ratione mali: Hinc certè videtur inferri etiam prærequiſitam cognitionem ſenſitiuam interiorem attingere ipſam rationem boni, aut mali, ſub qua obiectum ab appetitu amatur, aut odio habetur.

Excluditur tandem ipſa quoque Bonitas. Cap. IV.



DICENDVM tamen erit, ſenſum internum percipere rem bonam, ſiue primo, ſiue ſecundo modo ſumptam, non quidem formaliter eliciendo cognitionem bonitatis illius, ſiue diſtinctè, ſiue confuſè; ſed abſolutè, & materialiter concipiendo rem ipſam, quæ in ſe eſt integra, vel conueniens per ſpecies ſenſatas, quas habet de illa; ita vt poſtea appetitus ſenſitiuus feratur in illam, non quia cognita eſt formaliter, vt bona, ſed quia id, quod proponitur, ſecundum ſe eſt illi bonum, ad quod dicit naturalem inclinationem.

Hæc concluſio ſumi poteſt ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 1. art. 2. vbi docet, bruta tendere quidem in finem appræhenſum, non tamen cognoſcere rationem finis, ſed quaſi ab alio acta, vel ducta, in ipſum ferri: Per finem autem in propoſito S. Doctor, idem quod bonum, ſeu obiectum appetitus intelligit, ſicut art. præced. vtrumque dixerat conſtituere obiectum voluntatis. Eſtque Ariſtotelis 1. Ethic. cap. 7. vbi vniuſcuiuſque bonum, inquit eſſe ipſum finem, cuius gratia operatur. Et 2. Phyſic. tex. 23. vbi docet, finem, & bonum idem eſſe; abſtrahendo ſcilicet à fine vltimo, vel intermedio, proximo, vel remoto, vt ſtatim ipſemet inferius diſtinguit

loco primo citato. Et lib. de motu animalium cap. 3. docet, bonum, quod mouet, esse tale inquantum gratia huius aliud, & inquantum est finis aliorum, quæ alterius gratia existunt. Quare licet ratio finis referatur ad media, vel ad appetitum elicitum gratia sui, & ratio boni ad id, cui dicitur esse bonum: nihilominus quia à parte rei sunt idem, & conueniunt in esse motiuum, ac terminatiuum appetitus, qui simul trahitur, ac terminatur ab obiecto, tanquam à proprio fine, & à proprio bono, & verè appetitur finis, sicut appetitur bonum, nec bonitas causat, nisi in genere causæ finalis: Hinc est, vt iuxta doctrinam, qua appetitus dicitur ferri in finem non cognita ratione finis, dici etiam possit ferri in bonum, non cognita ratione boni, cum vtraque ratio pariter sit motiua, ac terminatiua in ipso obiecto, quod allicit appetitum secundum esse reale, quod habet identificatum cum illo.

Ratione verò probatur primo, nam bonitas formalis, de qua loquimur siue absoluta, siue relata, cum non sit, quid à parte rei distinctum ab ipsa re bona: sed cum ipsa realiter identificata, ac supra entitatem rei tantùm connotans integritatem suæ naturæ, vel respectum transcendentalem ad aliud, cui dicitur conuenire: nequit aliquo modo concipi absque abstractione intellectus, cuius est intimos gradus entitatis, & attributa præscindere, eosq. distinctè, vel confusè attingere secundum rationem formalem, quam de se dicunt, siuè absolutam, siuè respectiuam. Nam quæcumque sub aliqua formalitate, vel respectu concipiuntur, siuè distinctè, siue confusè, duplicem conceptum obiectiuum inuoluunt saltem materialiter, nempè formæ, seu respectus, & subiecti, quod sub illo concipitur: & vbi nulla suppetit realis distinctio inter formam, & subiectum, necessario intercedere debet præcisio rationis. Vnde sicut concipere non possumus parietem album absque conceptu obiectiuo albedinis, & parietis, saltem confusè, quia vtrumque in cognitione ipsius elucet: ita concipi non potest alimentum, verbi gratia, vtile, vel salutare, absque conceptu obiectiuo alimenti, & boni-

tatis

tatis illius, quæ cum realiter non distinguatur ab illo, seu ab accidentibus illius, quemadmodum albedo distinguitur à pariete, sed tantùm addat, verbi gratia, supra entitatem saporis, cæterorumq. accidentium, respectum quendam transcendentalem, seu relationem indistinctam congruentiæ, quam dicit ad naturam animalis, constituere non potest diuersum conceptum obiectiuum absque præcisione aliqua intellectus, seu abstractione, qua idem ad alia relatum, diuersimode obijciatur, denominatione extrinseca veluti distincta perfectione indutum.

Secundo probatur, quia conuenientia, vel disconuenientia vnius respectu alterius, siue constituatur in relatione, siue in ipsa entitate respectiua rei conuenientis: formaliter, ac distinctè cognosci non potest, absque cognitione vtriusque correlatiui, eorumq. respectus per collationem, quod est opus solius intellectus. Ergo remanet, vt ab interiori sensu, solùm dignoscatur materialiter; quod idem est, ac simpliciter entitatem ipsam conuenientem, vel disconuenientem cognosci, non sub ratione conuenientiæ, aut disconuenientiæ, quemadmodum coloratum sub ratione albedinis, vel nigredinis; sed absolutè, vt talis entitas, vel tale obiectum secundum species sensatas, quæ habentur de illo; licet in illo realiter includatur respectus conuenientiæ, aut disconuenientiæ prædictæ, eo modo, quo genus, & differentia, omnisq. gradus metaphysicus includitur in quolibet sensibili, & tamen non per hoc percipitur à sensu tanquam aliqua forma ipsius concreti sensibilis, sub qua saltem confusè concipiatur.

Tertio probatur, nam ex triplici genere amabilium, seu bonorum, quod assignat Aristoteles, nempe honestum, iucundum, & vtile; certum est, honestum quocumque modo sumptum, omnem sensum penitus latere: vtile verò vt vtile non cognosci, nec appeti, nisi tanquam medium ordinatum ad finem, quod proprium est naturæ rationalis: nam quæ ratione carent, ait S. Thomas, cum non cognoscant rationem finis, nihil in finem ordinare possunt, ac proinde nec *8. Ethic. c. 2.* *1. 2. q. 1. art. 2.*

aliquid tanquam ex se ad illum ordinatum concipere: Iucundum denique non cognosci ab aliquo animali nisi quoad effectum sensibilis iucunditatis, aut voluptatis, quam causat in sensu, & propter quam analogicè dicitur iucundum, sicut pharmacum dicitur sanum. Iucunditas enim non reperitur formaliter in obiecto, sed tantum in sensu tanquam perfectio sensationis cuiusdam, quæ circa obiectum sibi conueniens versatur; quare in obiecto ipso iucunditas non est, nisi tanquam in causa, licet ab intellectu abstrahatur, & concipiatur tanquam forma actualis distincta, per quam iucundum delectet. In causa autem, seu prout obiectum causa est, potens iucunditatem afferre, & hac ratione congruere naturæ, omnem facultatem sensitiuam præterire, nemo ignorat. Relinquitur ergo, vt nullum bonum sub ratione suæ formalis bonitatis ab interiori sensu dignoscatur, sed tantùm sub materiali entitate suorum sensibilium accidentium, in quibus bonitas ipsa formalis fundatur, vel cum quibus identificatur.

Quartò probatur; nam si bonitas aliquo modo perciperetur simul cum ipsa re bona, vt albedo cum albo per modum vnius concreti; vtique illa per aliquam speciem deberet repræsentari, vel propriam, vel alienam: sed non per propriam, quia hæc non potest à gradu entitatis realiter indistincto, vel à relatione secundum dici, prout est bonitas, produci, & in sensum emitti: Nec per alienam, quia nimirum, quod per alienam speciem dignoscitur, percipitur ad instar alterius, tantumq. intellectui conceditur per comparationem, vt infra explicabitur: Ergo bonitas per nullam speciem sensui repræsentaretur. Id quod experientia pariter confirmari posset, qua obseruamus, nullam in nobis fieri determinatam, ac propriam imaginem cum cogitamus de bonitate, aut etiam de bono hoc, vel illo; præter sensibilium accidentium, quæ ita faciunt subiectum à nostro intellectu denominari.

Quod autem aiunt nonnulli, bonitatem formalem, amicitiam, & inimicitiam, cæteraq. huiusmodi repræsentari

per

per species insensatas, non euacuat difficultatem; nam de illis adhuc quæri posset, num de foris aduenìant, sicut sensatæ tamquam à proprijs formis, quas repræsentant emissæ, ac productæ: an verò intus ab eadem potentia sensitiua perficiantur, & quasi ex ipsis speciebus sensatis eliciantur; sicut species intelligibiles ex phantasmatibus. Et primùm inuolueret eandem repugnantiam ex parte causæ insufficientis ad producendam distinctam imaginem. Secundùm verò nimis superq. tribueret sensui, nec absque comparatione, aut abstractione aliqua intercedente contingeret.

Illud vero, quod docet S. Thomas, bruta animalia percipere huiusmodi intentiones, solum naturali quodam instinctu; idem videtur significare, ac perceptionem illam materialem, quam explicuimus; alioquin non excluderet à tali cognitione collationem, per quam formaliter dicit homines attingere huiusmodi intentiones. Nec per instinctum perceptiuum, aliquid potest intelligere diuersum à potentia interius cognoscitiua modo naturali per species intentionales, quas ipse sæpe admittit. Difficile tamen est, quod ait, sensum internum, qui in hominibus ad distinctionem extimatiuæ brutorum, vocatur cogitatiua, per collationem quandam prædictas intentiones inuenire, ideoque denominari rationem particularem, quòd collatiua sit intentionum indiuidualium, sicut ratio intellectiua intentionum vniuersalium. Sed hac de re infra nobis redibit sermo, cum de sensationibus, quæ procedunt per modum discursus, & comparationis seorsum vberius disseremus.

Opusc. 43. quod est de potentijs animæ cap. 4.

Tract. 4. c. 11.

Satisfit argumentis in oppositum. Cap. V.



MODO, vt difficultatibus iam supra in oppositum suadentibus occurramus, ac sigillatim iuxta traditam doctrinam singula experimenta contingere intelligantur, obseruandum primò est, talem vnicuique alimento à natura inditum esse saporem, vt regulariter loquendo, ac citra vitium

suscipientis organi, vel corruptæ conditionis, id singulis animantibus rectè sapiat, ac libenter ab ore ventriculi amplectatur, quod propriæ naturæ pro tempore, & opportunitate congruit, vel ad sustentationem vitæ, vel ad medelam alteratæ dispositionis. Vnde, vt inquit Galenus. Ideo animantes ad familiaria nutrimenta à nullo doctæ, sed à natura impulsæ accedunt, quia quod familiare est, dicitur tale secundum similitudinem corporis, quod ex ipso nutritur; nutriens autem, ac simile corpori nutriendo, familiare est, & suaue. Quapropter recenter natis, nihil suauius, nihilq. salubrius lacte, quod natura illis ad nutrimentum præparauit. Et vt idem Galenus alibi dixerat: cibaria quædam facultatem quampiam habent in se ipsis admixtam, cui aut purgare, aut aliud quidpiam agere, sit naturale. Quare multa sub ratione cibi ab animantibus conquisita, ac desumpta; verè illis deseruiunt ad medelam. Multaq. etiam quandoque sapiunt, ac prosunt, quæ hactenus stomacum facere, & obesse consueuerunt, dum altera dominaretur humorum dispositio, qualitatumq. temperies. Quod licet maximè locum habere videatur in brutis, in quibus gustus, & appetitus, præscriptis à natura legibus, penitus frenatur; non rarò tamen in hominibus etiam experientia comprobatur, tàm paruulis, quàm adultis optimam corporis constitutionem, ac temperiem adeptis; qui vt ait Galenus, tùm naturales, tùm animales virtutes inculpatas habent. Siquidem qui temperatissimus est, edit, inquit, bibitq. moderatè, nec ei limitanda sunt cibaria, cum nihil noxium, aut superfluum appetat, vt alibi dixerat. Quamuis, vt plurimum, ad hoc vitium cupiditatis in hominibus excreuerit, vt intemperanter sæpe ad diuersa rapiantur, insatiabili voluptatum concupiscentia ducti. Nam vt ait Aristoteles, quia homo ingenio cogitationeq. plurimum valet, voluptates, & felicitatem rimatur maxime atque perpensat.

Lib. de consuetudin. cap. 2.

de alimentorum facultatib. lib. 1. cap. 1.

lib. 2. de temperamentis cap. 1.

Sect. 29. Problem. quæst. 7.

Deinde obseruandum est, appetitum sensitiuum non tantum ferri in propria, & expressa oblectamenta sensuum externorum, ad quæ etiam reuocantur omnes commoditates, & an-

& annexa illorum; sed pariter in ea obiecta, cum quibus animal naturalem habet sympathiam, seu latentem quendam consensum, vt aiunt Philosophi: Nam hæc pariter semper aliquo modo delectant, vel quidem sensum aliquem externum tenuiter, ac subobscurè, vel saltem internum per combinationem quandam plurium qualitatum ad diuersos sensus exteriores pertinentium, quæ simul coniunctæ, sua proportione, veluti vocum diuersarum concentus, ipsi naturæ congruunt, ac sentienti potentiæ adæquantur. Idemque obseruari potest ex opposito per antipathiam, seu latentem dissensum in auersione vnius ab altero. Etenim considerandus est concursus diuersorum accidentium, eorumq. specierum, & connexio illarum in ipsa repræsentatione interna. In qua sæpe accidentia, quæ per se singula, ac seorsum sumpta, nullam efficiunt motionem, coniuncta cum alijs, talem constituunt combinationem, quæ interius repræsentata, maxime valet ad alterum oppositum excitare. Vt perspicuum esse potest in recta, vel praua partium, colorumq. dispositione, in qua pulchritudo, vel deformitas consistit, alijsq. accidentium aggregatis, quæ gratam veluti, aut molestam efficiunt combinationem.

Quibus positis, ad primam difficultatem præcedenti cap. adductam respondetur, sensum interiorem cognoscere integritatem, & perfectionem essentialem suorum obiectorum materialiter, & identicè; hoc est quatenus cognoscit eorum sensibilem entitatem, cum qua talis integritas, vel perfectio est idem in re, sicut genus, & differentia; non tamen aliquo modo formaliter secundum rationem integritatis, seu perfectionis, quam tantummodo intellectum attingere posse probauimus.

Ad secundam verò, ac tertiam simul, dicimus, bruta animalia cibos quidem sibi proportionatos discernere, & appetere, non tamen sub ratione conuenientiæ, aut salubritatis, sed sub ratione sensibilium accidentium, præsertim saporis, ad quem dicunt naturalem inclinationem, modo quo explicauimus.

Quòd

Quòd si huiusmodi animalia adhuc non experta saporem, in cibos quosdam ferantur, & ab alijs auertantur, hoc sæpe prouenit ex connexione specierum aliorum accidẽtium, quæ in præsentia offeruntur, cum specie saporis quam intus ipsa in memoria retinent. Etenim quia cum tali, vel simili colore, figura, & odore, iucundum, aut molestum saporem hactenus perceperunt: quasi in eadem ipsa rursus ac simul de nouo feruntur, aut ab eis auertuntur. Cum autem nunquam prorsus, nec de re tali, nec de simili præhabita cognitione iucunditatis, aut molestiæ mouentur animalia ad prosecutionem, vel fugam illius, tunc ipsa moueri dicendum est per sympathiam, aut antipathiam, quam habent ad naturam repræsentatam secundum alia sensibilia accidentia, quæ pariter semper aliquo modo sensum aliquem delectant, aut infestant. Vt pulchritudo pomi nunquam gustati, quæ allicit appetitum infantis, ac deformitas monstri effincti, quæ bruta, puerosq. deterret, nulla incussa molestia, aut dolore. Contingit enim quandoque animal à cibo allici, solùm propter gratum odorem, aut colorem, cum quo postea veluti casu experitur saporem, & sic per oppositum, solo colore, aut figura auerti ab his, quæ postea noxam, aut dolorem solent inferre. Vnde homines etiam si operentur per intellectum, abhorrent quandoque cibaria quædam, statim ac vident, vel olfaciunt, nulla saporis præhabita cognitione. Quod si causam quæras, nec ipsi sciunt cur abhorreant, quidque in illis displiceat, sed tantum naturali quadam auersione se ab illis remoueri sentiunt. Simili ergo ratione intelligi potest, auerti bruta animantia à suis contrarijs absque cognitione prauitatis obiecti, aut disconuenientiæ illius respectu suæ naturæ: præsertim cum talis disconuenientia nunquam fuerit experientia comprobata.

Ad quartam respondetur, bestias amicè, vel hostiliter inter se agere, non quia ipsæ ad inuicem se conuenire, vel discrepare appræhendant sub ratione amicitiæ, vel inimicitiæ; sed quia sensibiles vniuscuiusque qualitates, & actiones, alteri placent, vel displicent; suntque propterea ipsis ratio

amandi,

amandi, vel odio habendi, voluptas, aut dolor, seu molestia; non autem amicitia, vel inimicitia ab illis apprehensa. Similia enim, alio non obstante, vt plurimum placent; e contra verò valde dissimilia, ac discrepantia displicent. Et tamen eiusdem generis, ac inter se omnino conuenientia bruta, causa cibi, aut veneris, quotidie diffident, persequunturq. sese inuicem, quæ cum alijs alterius speciei, & dissimilibus valde, quandoque familiariter degunt, & inter se coeunt; vt in Africa contingere narrat Plinius, aquarum inopia ad paucos amnes congregantibus se feris. Insuper inscrutabilis penè est sensibilium qualitatum, cæterorumq. accidentium, & combinationum eorum cum sensibus in singulis animantibus proportio, vel improportio, ad oblectamentum, aut horrorem in ipsis causandum. Nulla namque alia apparente causa amicitiæ naturalis, Cerui, sibilo & cantu hominum alliciuntur, & capiuntur, vt notat Aristoteles. Delphini etiam sibilantem hominem festiuis saltibus prosequuntur, mulcenturq. symphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli sono, ac pueros maximè amant. Leones verò absque alia inimicitia, gallinaceorum cantum, cristasq. abhorrent. Bubulæ rubeum colorem in quouis subiecto magnopere insectantur; eodemq. colore Elephantes ad iram, & ad bellandum excitantur, qui vt ait Plinius, argenteis phaleris maximè gaudent. Pauones inuidi sunt, & ornatus, ac polituræ studiosi, vt docet Aristoteles. Pauonemq. in Leucadia, virginem adamasse, & ad mortem illius interijsse; sicut & anserem, puerum amauisse apud Atheneum testatur Clearchus. Vrsi denique, Leones, Tigres, Lupi ceruarij, aliaq. efferatissima animalia nunc Florentiæ asseruata, simul ad pugnam congressa, solo cartacei coloratiq. monstri conspectu frenantur, timoreq. correpta, in propria latibula reuertuntur. Quid igitur mirum si cætera quoque animantia amorem, vel odium exerceant, timorem, vel iram subeant, alijsq. passionibus afficiantur propter colorem, figuram, odorem, sonum vocis, vel alias qualitates, combinationesq. occultas, sibi per modum recipientis congruentes, vel contrarias,

Naturalis hist. lib. 8. cap. 16.

Arist. de histor. animal. lib. 9. cap. 5.

Plin. lib. 9. c. 8. Atheneus lib. 13 prope finem.

Plin. lib. 8. c. 16.

lib. 8. c. 5.

lib. 1. hist. animal. cap. 1.

Atheneus ibid.

trarias, abſque cognitione naturalis amicitiæ, vel inimicitiæ, congruentiæ, vel contrarietatis, niſi materialiter in quantum pertinent ad ſenſum, quod eſt cognoſcere moleſtiam, vel delectationem, quam infert obiectum præſens?

Ad quintum reſpondetur, Aues colligere paleas, non quia formaliter ipſæ cognoſcant vtilitatem illarum ad nidificandum (ſic enim daretur in illis collatio propriè dicta, & electio mediorum ad finem, quæ in brutis non ſunt admit-
1.p.q.78.art.4. tenda, vt docet ipſemet S. Thomas,) ſed quia vtiles ſunt ad nidificandum, (inquit ipſe.) hoc eſt, quia à parte rei tales ſunt, vt ſecundum ſe repræſentatæ, tunc appetitui congruant propter propenſionem, quæ tunc in natura viget reſpectu nidi, cuius ſpecies connexæ excitantur ab ipſis paleis appræhenſis tanquam partibus illius, vbi quieſcere conſueuerunt. Quare talis cognitio eſt complexa quædam appræhenſio palearum nidi, ac propriæ commoditatis. Et appetitus in vtrumque ſimul tendit confusè, eo modo, quo ſimul feruntur in viam, ac terminum, quò pergunt omnia bruta animalia, abſque cognitione medij, vt medium eſt ad finem. Quis enim dicat belluas cognoſcere hoc eſſe optimum medium ad conſequendum talem finem, vel hac recta linea breuius perueniri ad terminum, quam alia curua, & obliqua? ita vt cum Epicureis aſſerat, Aſino quoque manifeſtum eſſe, duo latera cuiuſlibet trianguli, reliquo eſſe maiora; vt refert Proclus in vigeſimam primi Euclydis. Et nihilominus conſtat, vt illi aiebant, [redacted] herba in altero laterum extremo poſita, Aſinum pabulum expetendo, vnam latus peragrare, non autem duo. Sicut & canem recta linea omnino pergere ad præueniendam vulpem, quam inſequitur. Et Draconem pectoris impulſu arborem excutere, in cuius altis ramis Aquilarum pulli nido aſſeruantur, vt concuſſionis vi, illi in
Plin.lib.10. natur. hiſt. c 3. & lib.36. c.19. prædam decidant. Imò ſi vera narrat Plinius eiſdem pullis ſerpentem, qui vocatur Parias ita inſidiari, vt videns ſe propter altitudinem accedere non poſſe trahat ad ſe ventum, & venenum emittat, vt aer infectus ad pullos deductus, illos occidat. Aquilam autem, vt huic malo occurrat nido ſuo

inædi-

inædificare lapidem, qui vocatur Gagates, eumq. semper in illa parte locare, quæ est contra ventum, & istum lapidem venenum expellere, ne ad pullos accedat.

Dicendum itaque erit vniuersaliter, & consentaneè loquendo de omni ordinatione mediorum ad finem, quam experimur in brutis: Appetitum illorum ferri quidem in suum finem, seu obiectum finale appræhensum, non tamen sub ratione finis, vt docet S. Thomas: similiter & in media, non tamen sub ratione medij, cognoscendo hoc, vel illud esse medium ad assequendum talem finem, & sub hac formalitate illud prosequendo, sed materialiter tendendo in obiectum finale, simul appræhendere ipsum medium potius tanquam obiectum inchoatum, seu tanquam principium finis intenti, propter connexionem specierum vtriusque; Nam formaliter loquendo, quæ ratione carent, ait S. Thomas, quasi ab alio acta, vel ducta in finem tendunt, sicut sagitta. Quandoquidem tota irrationalis natura comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agens principale. Quæ omnia clarius patebunt ex infra dicendis.

1.2.q.1.art.2.

S.Tho.ibid.

Tract.4.c.12.

Ad vltimum verò, quod afferebatur de passionibus amoris, & odij, respondendum est, motiones illas appetitus sensitiui, non supponere formalem repræsentationem bonitatis, aut malitiæ; sed tantùm materialem cognitionem obiecti boni, vel mali, quod vt intentionaliter approximatum, de se causat prosecutionem, vel fugam. Imaginatio enim, & intellectio, vt ait Aristoteles, rerum habent virtutem; nam, inquit, aliquo modo forma intellecta calidi, aut frigidi, aut iucundi, aut terribilis: talis quidem est, qualis quidem, & rerum vnaquæque: quapropter, & horrent, & timent, intelligentes solum. Etenim quemadmodum res insensibiles alias fugiunt, alias verò prosequuntur per sympathiam, vel antipathiam quādo realiter illis appropinquantur, seu ad inuicem applicantur, vt Cucumis, quæ supposito in vase oleō recuruatur; supposita vero aqua, ad illam extenditur; Et ferrum, quod ab vno genere, vel ab vna facie magnetis trahitur, ab alia verò abigitur, ac repellitur: ita per præsentiam inten-

de motu animal. c.1.

Hieron. Fracast. de symp. & antip. c.9.

Andreas Cesalpinus lib.3. Peripateticarum quæst. cap.5.

intentionalem, dum obiectum per speciem sui vicariam approximatur potentiæ sensitiuæ; si amicum sit, amplectitur ab appetitu; sin verò inimicum, ab eodem reijcitur. Quod satis intelligitur fieri in brutis nullo præuio iudicio, aut cognitione bonitatis formalis, & malitiæ obiecti, seu amicitiæ, & inimicitiæ ipsius. Quod si bonitas semper dicatur ratio appetendi: profectò id intelligitur materialiter respectu sensus: formaliter verò respectu intellectus. Nam bonitas materialiter appræhensa sufficit ad determinationem appetitus eliciti, vt illam amore potius, quàm odio prosequatur in parte sensitiua; nam re vera talis cognitio delectat per adæquationem obiecti, etiamsi ipsa conuenientia, & adæquatio formaliter non dignoscatur. In parte verò rationali ad hoc, vt moueatur voluntas ad odium, vel amorem, requiritur etiam appræhensio formalis malitiæ, aut bonitatis obiecti; tum quia sicut voluntas præcisè amat, vel odit vnam formalitatem sine alia in obiecto; vt virtutem, aut vitium; ita intellectus, quo ducitur, similiter debet ipsas formalitates præscindere; tum etiam quia voluntas rationalis non oblectatur materiali præsentia, aut causatione obiecti, sed conuenientia illius siue remoti, siue præsentis; ideoque ferri non potest in ipsum obiectum, nisi præuia cognitione formalis bonitatis, seu conuenientiæ, qua allicitur ad amorem. Quoniam verò denominatio sumitur à principaliori, idcirco cum dicitur, bonitas est ratio appetendi, vt plurimum intelligitur de bonitate formali, quamuis hæc à sensu, nullo modo percipiatur, sed solum ab intellectu.

Rursumq. idem potest explicari, nam vbi reperitur conuenientia vnius respectu alterius, vt verbi gratia, in similibus, id quod à parte rei operatur, dum vnum attrahit aliud; siue sit per materialem attractionem, vt qua magnes dicitur attrahere similem, & affinem sibi ferrum; siue sit per attractionem intentionalem, qua simile cognitum, seu sensatum allicit sibi similem cognoscentem; Omnino tamen, quod attrahit, & operatur, non est ipsa similitudo formalis, nec relatio similitudinis prædicamentalis, sed fundamentum reale

illius,

illius, nempe natura illa similis materialiter sumpta, vt omnes concedunt. Ergo ad huiusmodi motionem respectu appetitus eliciti, ac sensitiui, nullo modo requiritur cognitio similitudinis formalis, quæ in relatione, vel abstractione intellectus consistit; sed tantum similitudinis fundamentalis, quæ in ipsa natura rei similis, & accidentibus illius constituitur: & quæ materialiter etiam moueret, si materialiter simul applicaretur ad illam, iuxta suam virtutem, & sympathiam, vel capacitatem subiecti; quia motiuum quocumque modo moueat, semper est ipsum idem simile, non autem ratio similitudinis illius.

Quod totum non abs re fuerit, alijs quibusdam exemplis confirmare, ac declarare. Nostris enim temporibus in Hispania contigisse fertur, duos gemellos infantes, nobilissimis parentibus adeo similes natos, vt sæpe omnes deciperentur, putantes vnum esse alterum. Ex qua similitudine ipsi se mutuò tanto amore prosequebantur, vt non modo interdiu crebris amplexibus, alijsq. obsequijs, & blanditijs, id significarent; verum cum simul noctu occuberent, nudi nonnisi inuicem amplexi quiescerent: vnde ita alterius ad alterum caro adhærebat, vt manè quotidie, eorum latus ac femora, nutricis manu, vnguento, vel oleo madefacta, paulatim ex industria disiungi oporteret. Eadem igitur natura similis, ac sensibilis, quæ per attractionem adhærebat, dum realiter applicaretur, alliciebat secundum esse cognitum, & appetebatur amore ab altero simili. E contra verò sanguinem Aegithi, & Flori, misceri non posse dicitur, vt refert Aristoteles, quos idem odium inter se exercere affirmat. Similiter nota est fuga Agnorum viso procul tantummodo Lupo, & vt nonnulli testantur etiam tympana ex agnino corio conflata dissoluuntur, concusso tantum tympano e corio Lupi confecto. Aues insuper omnes Aquilam diuertunt, ac vitant, etiam nonnisi à longe conspectam; maximoq. odio habent, præsertim Ardeola, Sicta, Trochilus, Vultur, & Olor, quia carniuora est, inuida, & famelica, vt passim inquit Aristoteles. Et mirum est, quod tradit Aelianus, & Plinius con-

lib. 9. de histor. animal. cap. 1.

Hieron. Fracast. de sympat. & antip. c. 1.

Aristot. eod. lib. c. p. 1. & 34.


Ael. lib. 9. c. 21.

Plin. lib. 10. natural. hist. c. 3. confirmat: videlicet, non modo præsentem, & viuentem reginam auium Aquilam, cæteras omnes volucres extimescere, atque eius exhorrere conspectum, sed & pennas eiusdem, si quis cum aliarum pennis commiscuerit, incorruptas atque integras manere; alias verò cum illis communitatem non ferentes, putrescere. Ex quibus licet similiter argumentari, idem esse quod repræsentatum causat fugam, & applicatum secundum quasdam proprias qualitates, causat dissolutionem, aut corruptionem; Cumque dissolutio illa, aut corruptio causari non possit à malitia, seu disconuenientia formali ipsius obiecti nisi secundùm realem entitatem accidentium, cum quibus materialiter identificatur; planè sequitur, id, quod repræsentatum causat fugam, non esse ipsam disconuenientiam formalem, sed potius naturam realem, ac materialem ex se disconuenientem.

Atque ex his dictis, facile etiam erit euadere alias difficultates, alijsq. experimentis satisfacere; quæ in contrarium, bonitatem obiecti à sensu interiori aliquando percipi, viderentur probare. Satisq. sit, de his tribus tantum passionibus entis habuisse sermonem; nam reliqua transcendentia potius extimanda sunt synonima, quàm passiones.

1. par. q. 5. 11. & 16. Quamobrem S. Thomas loquendo de proprietatibus entis, de his tantum agit quem sequuntur ferè omnes scholastici.

Excluduntur omnes substantiæ, item & Accidentia immaterialia. Cap. VI.



AT vlterius procedendo iuxta metaphysicorum seriem, de substantia, & accidenti in tota latitudine, vel de ente increato, & creato, sequeretur agendum: sed commodius in proposito breuitatem sectando, iam de substantia, & accidente immateriali simul, mox verò de substantia, & accidenti corporeo, seorsum agendum erit, nam si qua alia

super-

ſuperſunt, in his tractandis à ratione huius obiecti implicitè excludemus.

Genus igitur omne immaterialium rerum, ſiue ſubſtantiarum, ſiue accidentium, cuiuſuis ſenſitiuæ potentiæ captum excedere, communi ſatis conſenſu fatentur Auctores. Quippe cum ſenſitiua omnis poteſtas, corporea ſit in quolibet animali, nihilque corporeum attingere poſſit aliquid ſpirituale, ſiue accidens illud ſit, ſiue ſubſtantia. Quod in ſpecie de attingentia ſecundum cognitionem, ex eo probatur. Nam omnis potentia cognoſcitiua materialis, cognoſcit per immutationem ſui organi à proprio cognoſcibili, nimirum recepta ab eo ſimilitudine, tanquam forma ipſius, vt præclarè docet S. Thomas. At materiale organum nequit aliquo modo per ſimilitudinem rei immaterialis immutari, quia nullum accidens ſpirituale recipi poteſt in ſubiecto corporeo, à quo ſequeretur dependere per inhærentiam in eſſe & conſeruari ſupra virtutem entis materialis; Ergo nulla potentia cognoſcitiua materialis, immateriale obiectum poteſt aliquo modo cognoſcere. Quod rurſus ex eodem D. Thoma facilè corroboratur; nam inter potentiam cognoſcitiuam, & obiectum, ſemper requiritur aliqua proportio tanquam actiui ad paſſiuum, & perfectionis ad perfectibile. Cumque inter potentiam cognoſcitiuam materialem, & obiecta ſpiritualia, nulla talis proportio reperiatur: hinc eſt huiuſmodi obiecta ab illa nequaquam percipi poſſe.

1. p. q. 87. art. 3. ad 3. & q. 88. art. 1. ad 2.

loco vlt. cit. ad 3.

Iam verò rerum corporearum, ſeu materialium genus vniuerſum in ſubſtantiam corpoream, & accidens corporeum diuidendo: certum planè eſt, ſubſtantiam quamuis materialem, ſiue nudam, ſiue accidentibus conueſtitam, ſiue completam, ſiue incompletam, & partialem, aut modum aliquem illius, ſenſum omnino fugere, vt communis fert omnium opinio. Id quod vulgari argumento facilè ſuadetur ab ignorantia, quæ adhuc in hominibus extat de huiuſmodi rebus, niſi peculiari applicatione, & reflexione intellectus poſt longum diſcurſum, earum ipſi

cognitionem aliquam consequantur. Deinde probatur experientia in vino, & hostia consecrata, in quibus nihil sensus aduertit de transubstantiatione, ac defectu prioris substantiæ naturalis: nec absimilem, hostiam illam iudicat, ab eo, quod erat prius. Verum à priori fortasse adhuc probari non erit difficile. Nam substantia quælibet cum ex se non sit immediatè operatiua præsertim in alienum subiectum, seclusa ab omni accidenti, nullam potest producere, & immittere speciem, vel similitudinem, quæ fœcundata potentia sensitiua, exprimat propriam sensationem ipsius.

Comprehenduntur in ratione huius obiecti accidentia de prædicamento quantitatis.

Cap. VII.



ACCIDENTIVM verò materialium permulta sunt, quæ sensum præterire, nullus vnquam vertit in dubium; alia verò, quæ interius, exteriusque sentiri superuacaneum esset, rationibus, ac experientijs comprobare; alia tandem, de quibus hæsitari non irrationabiliter potest. Quoniam verò tot sunt accidentia materialia, vt vix possint enumerari, de potioribus dumtaxat, ac notioribus secundum species suas, ac de quibus peculiaris difficultas sese offert, aliquid videtur examinandum.

Et primò, vt à prædicamento quantitatis exordiamur: *a. de anima tex. 64.* de magnitudine, quæ inter sensibilia communia ab Aristotele numeratur, dici potest, non satis constare, an ab interiori sensu omnino discernatur. Etenim quæ magna, vel parua, sensus diiudicat, vel apprehendit, ea talia se exhibent propter adiunctam præsentiam localem, per quam actu partes distant inter se, habentque dimensionem, & extensionem in ordine ad locum, vnde magnitudo constituta

stituta in loco indiuisibiliter per præsentiam definitiuam, nullo sensu percipi potest, vt Corpus Christi Domini in Eucharistia: non ergo forma illa, quæ postulat huiusmodi extensionem partium extra partes secundum triplicem dimensionem, ac dicitur magnitudo: sed potius præsentia, per quam partes actu extenduntur, est quæ percipitur à sensu. Corroboratur difficultas; nam quantitas, etiam physicè loquendo, explicatur à nobis per exigentiam quandam actualis ac localis extensionis, sine qua saltem de potentia absoluta corpus reperiri potest. Hæc autem exigentia nimis est à sensu remota, & potius videtur colligi per discursum intellectus, sicut linea, & superficies, quæ per abstractionem solius longitudinis, vel longitudinis simul, & latitudinis absque profunditate, constituuntur species diuersæ in prædicamento quantitatis, cum physicè hæc seorsum distincta non reperiantur.

Nihilominus dicendum est, magnitudinem existentem in rerum natura secundum ordinem naturalem, hoc est cum præsentia locali, quam postulat, verè, ac propriè discerni à sensu interiori: Id quod probatur primò experientia sensuum externorum visus, & tactus, imò, & reliquorum, à quibus, vel ipsa magnitudo, vel alia obiecta per species à magnitudine modificatas percipiuntur: quia cum omnia sensibilia, sint in magnitudine, sic, & non aliter possunt immutare; vnde saltem imperfectè ab omnibus sensibus exterioribus percipitur. Multò ergo melius à sensu interiori, qui eorum caput existit, & iudex. Deinde probatur, nam quod se magnum, vel paruum exhibet, formaliter est tale propter magnitudinem, res autem cognoscitur sicuti est. Quod si ad hunc effectum naturalem requiratur amplius præsentia localis, tanquam conditio, sine qua illæ partes actu non possent distare, nihilominus ipsæ partes corporis distantes, vt quod, & quæ sub sensum cadunt affectæ qualitatibus, ita vt visibiles sint cum colore, tangibiles cum asperitate, aut lenitate, & similibus, verè sunt partes magnitudinis, non autem præsentiæ loca-

 lis,

lis, quæ se habet, vt quo, respectu extensionis, quam sensu experimur. Quod autem explicetur à nobis quantitas per hoc, quod est habere partes extra partes in ordine ad se, & postulare tantum hoc in ordine ad locum, non facit ad rem, quia vt sic metaphysicè explicatur eius essentia; non autem physicè ea ratione, qua sub sensum cadit; Nec enim requiritur, vt sensui secundum prima prædicata essentialia, & non aliter innotescat. Quod pariter de linea, & superficie dici potest, quæ si præcisè à sensu non discernuntur quemadmodum ab intellectu, prout carent alijs dimensionibus, & constituuntur species diuersæ, omnino tamen materialiter loquendo, prout longitudinem, vel etiam latitudinem habent, à sensu percipiuntur.

Huc etiam reduci possunt propinquitas, & distantia, quæ (abstrahendo à punctis fixis spatij imaginarij, in quibus verè, & radicaliter fundantur,) prout secundum communem conceptionem hominum in quantitate medij constituuntur, absque dubio à sensu interiori discernuntur; nam ea dicuntur distare, inter quæ magnum est medium interpositum; contra verò, propinqua vocantur, quorum intercapedo, seu corpus aut spatium interiectum, paruum putatur. Qui igitur quantitatem maiorem, aut minorem ipsius medij valet discernere, distantiam quoque, vel propinquitatem percipiet.

De tempore verò, quod est alia species quantitatis continuæ, similiter dubitari potest, an percipiatur à sensu interiori; siquidem videtur forma valdè occulta, & vix ab intellectu perceptibilis, ita ut proinde dixerit D. Augustinus. Nihil tempore esse familiarius, nihilq. explicatu difficilius. Nam, inquit, si nullus interroget, scimus quid sit; si quis verò interroget, vix possumus explicare. Cum igitur iuxta definitionem Aristotelis, tempus sit numerus motus secundum prius, & posterius, haud quaquam absque collatione ipsarum partium motus, & maxima reflexione intellectus, id percipi posse videtur. Addunt tamen aliqui, si fortè percipiatur, id esse secundum realitatem, quam tempus communem habet cum motu.

lib. 11. confess. cap. 14.

4. physic. 101.

Verùm

Verùm tempus licet simul cum motu sentiri, & non aliter experiatur, verè tamen, ac propriè à sensu interiori percipi posse existimamus cum Aristotele 4. Physic. tex.98. & de memor. & reminis. cap. 1. & 2. Vt enim de magnitudine dicebamus: quod sensu dignoscitur, necesse non est secundum omnia, & singula prædicata essentialia discerni, sed sufficit, vt per aliquid, vel secundum aliquid innotescat. Cum igitur tempus sit vera duratio, & extensio partium motus, seu forma, per quam ipsæ partes extenduntur in ordine ad successionem ad non coexistendum simul, sed vna post aliam: negari non potest, ipsum percipi simul cum eisdem partibus motus; eo modo, quo simul cum colore percipitur extensio magnitudinis illius, quamuis exactam, & essentialem cognitionem magnitudinis secundum omnia prædicata, vix intellectus, vt ita dicam, consequatur. Et confirmari potest ex eo; Nam alioqui non discerneretur motus, magis, vel minus extensus, seu plus, aut minus durans saltem materialiter, absque collatione, & consequenter, nec tarditas, aut velocitas, quæ in eodem motu esse possunt. Nam idem motus, si diu duret, dicitur tardus; si verò parum, dicitur velox. Signum est igitur, sensum, qui tarditatem, aut velocitatem discernit in motu, durationem quoque illius maiorem, vel minorem agnoscere. Ratio vero à priori est, quia diuersimodè immutatur sensus à motu, iuxta diuersitatem extensionis illius, quæ dicitur tempus. Quod autem tempus simul cum motu à sensu percipiatur, non tollit veram cognitionem illius, sicut nec ex eo, quod figura nonnisi, cum quantitate appræhendatur, tollitur, figuram simpliciter à sensu appræhendi; Et vtriusque ratio est, quia huiusmodi accidentia sunt essentialiter modi, qui absque re, cuius sunt modi, sicut nec esse, ita nec percipi valent; valent tamen rectè cognosci cum ipsa re, quam modificant, secundum realitatem distinctam ex natura rei, quam includunt, dum sunt in illa.

Post quantitatem continuam aliquid etiam de quantitate discreta subtexere necesse est. Nam cum verum sit,

Sec. 30. problem. 9.0.


quod Aristoteles scriptum reliquit, nempe numerare homini tantum, ex animalibus competere; consequenter videretur dicendum, illi etiam soli datum esse, numerum, & quantitatem discretam percipere, idque non ab aliquo sensu, quem communem habet cum brutis, sed à ratione sibi vendicare. Contra tamen est, non solum, quod belluas, plura, vel pauciora percipere, ipsa experientia docet, sed quod numerare pariter ipsæ nonnullis ex indicijs videantur; vt boues, quæ Susis regium hortum rigabant portatilibus haustris, nec supra centum id genus vasa portare vnquam sunt passæ; subsistentes vbi constitutum quotidie numerum absoluissent, neque amplius progredientes, quasi accuratè summam concepissent, & in memoria conseruassent, vt refert Plutarchus. Quamobrem distinctione, hic vtendum est, dicendumque, numerum dupliciter cognosci; vel scilicet recensendo vnitates vnam post aliam, nouamq. vnitatem priori numero addendo; & hunc modum numerandi ex sententia Aristotelis, solis certè hominibus competere: Vel solum percipiendo plura discreta, vt verbi gratia, plures lapides, plures voces, vel sonos, odores, vel sapores &c. quæ certè numerum faciunt: Et hoc pacto, dubium non esse, numerum ab interioribus, exterioribusq. etiam brutorum sensibus appræhendi, vt patet ex doctrina eiusdem Aristotelis, qui numerum inter sensibilia communia enumerat. Loquimur autem hic de numero quantitatiuo, seu quantitate discreta. Nam licet sensus non percipiat quantitatem, nisi affectam alijs accidentibus sensibilibus: tamen quando percipit plures res aliorum prædicamentorum, vt plures qualitates, ac plures motus: non percipit eas, vt plures, nisi pluralitate quantitatiua, qua illæ determinantur, & constituuntur plures perceptibiles à sensu. Qui sanè, nec vnum, aut plures motus discerneret, nisi fierent in tempore, nec vnum colorem ab alijs distinctum appræhenderet, nisi esset in diuersa quantitate extensus, atque receptus. Alioqui numerus transcendentalis, qui est proprius, & intrinsecus ipsis rebus quantumuis sensibilibus, nullo modo percipi potest à sensu. Nam vnitates,

Plutarch. de soler. animal.

2. de anima tex. 64. & de sensu, & sensib. c. 1.

tates, ex quibus conflatur, non sunt differentiæ sensibiles, & ex natura rei distinctæ, sed gradus, siue passiones entitatis præcisæ per intellectum; secus ac vnitates quantitatiuę quæ in continuitate magnitudinis, vel temporis constituuntur.

Examinantur, & excluduntur Relationes. Cap. VIII.



PORRO de Relationibus valde incerta res posset existimari. Abstrahendo enim à relatione secundum esse, ac prædicamentali, vel tantum transcendentali secundum dici; non videtur posse negari, sensum internum, quandoque appræhendere in ipsis rebus habitudinem vnius ad aliam. Nam etiam à brutis animantibus partes cognoscuntur in ordine ad totum, vt verbi gratia, membra ad corpus, cum visa manu tantummodo, appræhendunt illam tanquam partem hominis. Et instrumenta sæpe discernuntur, cum ordine ad opus, ad quod ordinantur, vt cum bellator equus, audito tympanorum strepitu, tubarumq. clangore, aut viso armorum apparatu, bellum præsentit, iniensq. ad pugnam, vel cursum se parat: Vel cum idem canes faciunt, dum venantium instrumenta præparari conspiciunt. Ex quibus fortasse Philosophus intulit, aliqua animalia, non modo strependi, verum etiam significandi differentias posse dignoscere. *Arist. 9. de hist. animal. c. 1.* Discernere, autem strepitus, ac diuersa significata illorum, est cognoscere plura cum habitudine ad alia. Omnino insuper certissimum est, bruta discernere tum vocem humanam, tum etiam huius, vel illius hominis esse, etiam si illum non videant: interdum etiam, & vocum significata percipere; vt cum Erus per proprium nomen absens appræhenditur à canibus, qui etiam se ipsos hoc, vel illo nomine significari ab hominibus sentiunt. Cognoscunt ergo in vocibus habitudinem ad significatum, in instrumentis ad opus, & in partibus ad totum.

Veruntamen consentaneum, ac probabilius erit, hic eodem pacto philosophari, ac supra de bonitate, seu conuenientia vnius rei respectu alterius, cum eadem sit ratio vtriusque difficultatis, eademq. expositio experimentorum in contrarium. Nam habitudo vnius rei ad aliam, siue identificata cum ipsa re, siue distincta tanquam modus ab ipsa, nulla intentionali similitudine, nec propria, nec aliena repræsentari potest sensui interiori, vt per applicationem eiusdem discursus supra facti patere potest, & magis infra patebit, cum species, quas vocant insensatas, nullo pacto dari conspiciemus. Similiter allata experimenta vnico, & eodem principio soluuntur. Dicimus enim, bruta illa, videndo partem, simul appræhendere totum, non quidem cognoscendo habitudinem partis ad totum, sed per species connexas totius, quas retinent, ad modum vnius, simul elicere vtriusque cognitionem; nempe totius absentis, & partis præsentis. Itemq. simul cognoscere apparatum, & venationem, aut bellum; vocem humanam, & ipsum hominem vociferantem, seu vocem, & significatum vocis, quod hactenus cognouit, & cuius species excitantur à speciebus vocis connexis cum illis: Significatum autem non percipitur, vt significatum, ab ipso sensu, sed tantùm materialiter, vt hoc, vel illud sensibile est, per proprias species coniunctas cum speciebus signi rei significantis; Nam significationem formaliter solus intellectus potest attingere.

Quæ species qualitatis pertineant ad rationem huius obiecti. Cap. IX.



PAVCA de qualitatibus erunt discutienda. Nam primò certum est, neque genus potentiæ, quæ est primum operandi principium, & vocatur ab Aristotele naturalis potentia, & impotentia, dummodo non sit simul passibilis qualitas: neque habituum, aut dispositionum genus vniuersum

uersum ab interiori sensu posse cognosci, propter eandem rationem de alijs adductam: tum ab experientia, tum quia de illis propriam similitudinem non habemus, & alienam, per quam nos huiusmodi qualitates cognoscimus, nonnisi intellectui conceditur deseruire, qui solus vnum ad instar alterius potest concipere.

Excipitur tamen qualitas, seu similitudo expressa obiecti cuiusque sensus exterioris, quæ iuxta aliquorum sententiam est ipsamet cognitio sensus externi expressa per actionem grammaticalem, & simplicem resultantiam; iuxta aliorum verò est terminus cognitionis, & actionis prædicamentalis. Nam quouis modo producatur, omnino secundum vtrorumque sententiam datur huiusmodi qualitas expressa repræsentatiua obiecti, quæ dicitur sensatio formalis externa, & pertinet ad genus dispositionis in prædicamento qualitatis, vt rectè probant aliqui ex professo; & ab interiori sensu aptè dignoscitur, vt supra explicuimus, præsertim ex doctrina Aristotelis, ac D. Thomæ. Quod fieri intelligitur per nouam similitudinem productam in sensu interiori, vel per modificationem similitudinis emissæ ab obiecto, vt sequenti tractatione explicabitur.

Soncin. 9. met. q. 21. ad 4.
Arist. de somn. & uigil. cap. 3.
S. Tho. 1. p. q. 78. art. 4.

Idemq. dicendum est de actualibus passionibus appetitus sensitiui, amoris & odij, oblectationis & iracundiæ; gaudij ac tristitiæ, timoris ac spei, &c. de quibus eadem prorsus est philosophandi ratio. Nam siuè producantur tanquam termini per actionem interiectam, siue per simplicem resultantiam ab appetitu; rectè ponuntur in genere dispositionis, cum sint pariter affectiones potentiæ in ordine ad obiectum, ac disponant ipsam potentiam ad facilius operandum. Ex ipsis namque generantur habitus quemadmodum per alias dispositiones propriè dictas. Et vt docet D. Augustinus, ipsæ sunt omnium vitiorum, & virtutum quasi quædam principia, & communis materia. Negari autem non potest, huiusmodi passiones ab animalibus sentiri, & iuxta eas ipsorum varias potentias moueri: nam verè metu contrariorum fugiunt bruta, cauentque sibi à quibus possunt; fame, ac siti ad pascua,

Lib. de spiritu & anima cap. 4.

fon-

fontesque trahuntur; ira in hostem sæuiunt, ac inuehuntur: amore alia prosequuntur: & proprijs oblectationibus, ac fruitionibus quiescunt, & gaudent. Quæ omnia nonnisi ductu cognitionis possent efficere, dirigendo scilicet potentias executiuas, iuxta motiuum cognitum ipsius appetitus. Cumque huiusmodi cognitio motionis appetitus, intrinsecè non pertineat ad sensum aliquem exteriorem; remanet vt pertineat ad interiorem, à quo & cæteræ potentiæ disponuntur, & ordinantur ad finem ab appetitu naturaliter intentum. Quapropter, quiescentibus sensibus externis, absque vsu rationis varias in somno percipimus huiusmodi appetitus motiones, propter quas plura machinatur sensus interior; Mouenturq. quidam dum dormiunt, & faciunt multa, quæ vigilantium sunt, ait Arist. Imò & somnábuli ex his ad nonnulla quærenda, vel subterfugienda, & euitanda, absque rationis aduertentia surgunt, & ambulant (vt de quodam amico suo, qui ad gallinarum locum profectus fuerat, scribit Philoponus,) solo impulsu appetitus, ac ductu sensus interni, qui iuxta passionem appetitus quam sentit, potentiam motiuam in suis operationibus, regit, ac dirigit. Quamuis huiusmodi passiones ac motus multo perfectius in vigilia discernantur. Experimur insuper, non secus ac doloris, vel delectationis extrinsecæ, interius nos formare, ac retinere imaginem amoris, aut auersionis, tristitiæ aut gaudij, ex corporali aliqua causa exorti, sicut & reliquorum affectuum, ac passionum. Tandem ratio à priori idipsum confirmat; nam cum animal, vt animal moueri debeat iuxta legem, seu inclinationem appetitus naturalis ad prosequenda, vel respuenda obiecta, necessariò etiam, vt animal, dignoscere ipsum oportet legem, quam sequatur in suis operationibus. De qua lege Paulus scribens ad Romanos: video, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Vbi Glosa, legem vertit inclinationem, quæ ducit membra tanquam ligata; nam lex dicitur à ligando. Quoniam verò inclinatio appetitus sensitiui per phomitem peccati sæpe opponitur rationi: idcirco dicitur legi mentis repugnare in homine,

De somno & vigil. cap. 2.

Philop. in lib. 5. Arist. de gener. animal. c. 1.

Rom. 7.

mine, in quo vtraque lex reperitur coniuncta. Vnde etiam Aristoteles ait, quod in contrarias partes incontinentium appetitiones feruntur, eo quod aliquid in ipsis insit, quod pugnet resistatque rationi. Cognoscit ergo homo, vt animal est, propriam inclinationem appetitus, quam vt tale sæpissimè sequitur, & nulla adhibita ratione, ad aliqua potius, quam ad alia, se sentit esse procliuem. Imo, vt ait idem Aristoteles, Præcipiente intellectu, & dicente fugere aliquid aut persequi, non mouetur, sed secundum concupiscentiam agit. Quibus congruunt etiam verba Pauli: Quod odi malum, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. *1. Ethic. cap. 13.* *3. de anima tex. 47.* *ibid.*

Deinde tertium genus qualitatis secundum Aristotelem comprehendens omnes passibiles, seu sensibiles qualitates, & passiones, quæ ab illis essentialiter non differunt: vt pallor ex timore, vel rubedo ex verecundia; certissimum est ab interiori sensu aptius, ac distinctius, quàm ab exterioribus cognosci, quod nulla indiget probatione. Idemque de figura pronunciandum est, quæ in quarto genere ponitur. Nam & ab eodem Aristotele inter sensibilia communia numeratur, & in specie, visu, ac tactu perfectè cognosci, experientia constat, licet cæteris sensibus non item, vt Aristoteles etiam aduertit: sensus autem interior omnia, & singula percipit, quæ ab exterioribus sensibus percipiuntur. *2. de anima tex. 64.*

Cæterum raritas, ac densitas, asperitas, ac lenitas, durities, ac mollities, & similia, quæ, an sint qualitates, dubitari solet; & ab Aristotele potius partium positiones vocantur; procul dubio ab interiori sensu discernuntur, sicut ab exterioribus nonnullis, de quibus nulla potest esse controuersia.

Reliqua

Reliqua Accidentia rationem eiusdem obiecti participantia. Cap. X.



SEQVITVR agendum de Actione prædicamentali, quæ in genere sumpta, nulli dubium est, ab interiori sensu planè dignosci. Loquimur autem de Actione, quæ non modò sit corporea, sed etiam successiua, quæque eandem habeat realitatem cum motu; nam actiones instantaneæ, & quæ propriè dicuntur mutationes, imperceptibiles sunt ab aliquo sensu, vt generationes, & corruptiones substantiales, productio luminis, aut specierum intentionalium, & multo minus emanationes per simplicem resultantiam, nulla interiecta via. Constat autem hoc, quia præter motus locales, & motus alterationis successiuæ, qui sanè passim percipiuntur à pluribus sensibus exterioribus, (Vnde motus sæpè ab Aristotele inter sensibilia communia computatur) nulla est actio, quæ à nobis absque intellectus aduertentia, ac reflexione percipiatur; E contra verò quæcumque exterioribus sensibus innotescunt, interiori similiter innotescere necesse est. Quamobrem non modò in præsentia simul operando cum sensibus externis, plures actiones interius sentimus; verùm etiam in absentia per solam imaginationem interdum plures motus locales, pluresq. alterationes, & intentiones, aut remissiones sensibilium qualitatum colorum, odorum, sonorum, saporum, ac tangibilium nobis ipsi inspicere, aut sentire videmur.

De passione autem prædicamentali, nihil est dicendum, cum non nisi per nostram considerationem ab actione distinguatur, ac metaphysicè diuersam sortiatur essentiam, quæ à parte rei, ac physicè idem omninò est cum illa.

Huc tamen spectat Quies, quæ si sumatur formaliter, prout est priuatio motus, & actionis, seù passionis; sub sensum cadere non potest, vt ex se patet. Si verò sumatur materialiter

terialiter pro consistentia, ac permanentia rei, eodem modo se habentis quoad locum, vel alterationem sensibilem; certum est ab interiori, exterioribusq. sensibus sentiri absque vlla relatione ad motum; nam idem est, ac cognoscere ipsam rem absque motu; ac proinde iure inter sensibilia communia ab Aristotele computatur: quoniam vt idem alibi docet, extrema semper circa idem susceptibile videntur fieri, & eiusdem passiones esse. Cum igitur quies extremum sit motui oppositum, vbi sit sensatio motus, & quietis pariter fieri debet, modo explicato.

2. de anima tex. 64.
De somno & vig. cap. 1.

De Vbi, & Quando, vnum sufficeret, adeò intrinseca, & occulta esse accidentia, vt vix ab intellectu post diuturnum, & prolixum discursum dignosci valeant: sed relicto Vbi distinctè, ac formaliter sumpto, prout est forma, qua res intrinsecè, ac formaliter constituitur præsens in spatio imaginario loci, tanquam aliquid, vt sic à sensibus penitus remotum: Quoniam confusè, ac materialiter sumi etiam potest simul cum loco materiali, aut locato, tamquam differentia locali, qua vnus locus, vel vnum locatum distat, vel non distat ab alio: sic non est eius cognitio omninò deneganda brutis, quorum pleraque non modo loca materialia, & quæ sunt in illis dignoscunt apertè, sed discernunt propinqua à remotis, & hoc quod est esse hic, vel ibi, aut alibi. Nam, & Ciconiæ nidos eosdem repetunt, & Hyrundines, quæ abeunt hybernis mensibus. Vnde Cecina Volaterranus compræhensas in Vrbem secum auferens, victoriæ nuncias amicis mittebat in eundem nidum remeantes. Eodemq. modo columbas fuisse in rebus magnis internuncias, testatur Plinius. Et Elianus aues Mennonias autumno adueniente, Ilium gregatim aduolare tradit, vocariq. idcircò Mennonias, quod recta ad Mennonis sepulchrum proficiscantur. Idemque exemplificari posset de Canibus, Equis, Vulpibus, alijsque quadrupedibus, quæ ad loca distantia repetenda quotidie mouentur. Vnde satis conuincitur, belluas simul cum loco materiali, vt stabulo, nido, vel alio conceptaculo, imò simul cum ipsis rebus locatis, Vbi pariter, seù præsentiam localem, posi-

Apud Plinium lib. 10. c. 23. 24. & 37.
Ael. lib. 5. c. 1.

positionemque locorum confusè percipere. Nam diuersimodè immutatur sensus à loco, aut locato cum hac, aut illa præsentia, in qua fundatur propinquitas, vel distantia ab alijs locis, aut rebus immobilibus, quamuis distinctè non percipiat ipsam rationem formalem diuersitatis. Et sicut ex eo, quod diuersimodè immutetur sensus à motu cum hac, aut illa duratione, qua extenduntur partes illius secundùm prius, & posterius; conceditur animal, confusè percipere ipsam durationem, quæ dicitur tempus: ita similiter ex eo, quod diuersimodè immutetur idem sensus à rebus permanentibus cum hac, aut illa præsentia locali, qua distant, vel appropinquantur inter se; concedendum est, animal confusè etiam percipere ipsum Vbi, siuè præsentiam, alioqui non moueretur ad illam.

De Quando verò similis est difficultas, similisq. ratio distinguendi. Nam si sumatur distinctè, ac formaliter, prout est forma, seù duratio, qua res constituuntur in hoc, aut illo spatio temporis imaginarij; nulli dubium est, ipsum Quando, sensum omnem penitus præterire. Nam licet tempus, prout est extensio partium motus, ac species quantitatis, aliquo modo percipiatur à sensu, tamen prout est duratio eiusdem motus, qua ille constituitur in hac aut illa differentia temporis imaginarij, nullo modo percipi potest. Etenim hoc, quod est prius, & posterius, ac magis, vel minus durare, siuè loquamur de rebus successiuis, siuè permanentibus, semper inuoluit collationem, ac præcisionem, quæ sunt propriæ intellectus. Nec dici potest, durationem rerum permanentium apprænhendi tanquam permanentiam illarum in esse, vt simile quidpiā dicebamus de Quiete. Nam si huiusmodi permanentia sumatur in ordine ad existentiam, maiorē difficultatem, ac repugnantiam inuoluit. Siquidem cum non detur vnquam existentia rei absque tali permanentia, sicut res datur absque motu, vel Quiete: talis permanentia discerni non posset ab existentia, nisi per præcisionem aliquam, & ordinem ad tempus imaginarium, prout supra existentiam, connotat præsentiam in tali, & non alia differentia tēporis imaginarij.

Si verò

Si verò ipsum Quando sumatur confusè, & materialiter simul cum re durante, prout magis, vel minus durat, priùs, aut posteriùs: eo modo quo percipitur magnitudo, magis, vel minus extensa, & cum ordine materiali suarum partium, prout primæ distant ab vltimis, non quippe conferendo magnitudinem, aut partes illius vnam cum altera, sed diuersimodè tantum illas appræhendendo: Sic inquam, cognitio ipsius Quando, non est deneganda sensui. Nam, & motus, & res permanentes diuersimodè ipsum sensum afficiunt, magis, aut minus durando, vel prius, aut posteà, quamuis ratio diuersitatis formaliter non innotescat. Diuersa enim fit appræhensio sensitiua itineris vnius diei, ac breuioris valdè, vt vnius horæ; vel animalis ad annum viuentis, aut ad horam; similiter diuersimodè appræhenditur præsens, atque præteritum, vel futurum. Quare, inquit Aristoteles: Est enim præsentis quidem sensus, futuri verò spes, facti autem memoria. *De mem. & remin. cap. 1.* Præterea norunt quoque bruta plures opportunitates temporum, vt quando oporteat ipsa discedere, aut redire, vt dicebamus de auibus, quæ abeunt hybernis mensibus: quando oporteat escam quærere, aut cubitum ire, vt interdiu, vel noctu: quando oporteat cibum recondere, ac cellas promptuarias facere, vt de formicis, & apibus narrat Philosophus, qui præsagire etiam apes concedit, & hyemem, & imbres. *De Hist. anim. lib. 9. c. 38. et 40.* Et similia quamplura possent adduci. Quæ licet immediatè non arguant, nisi cognitionem temporis extrinseci respectu rerum permanentium: nihilominus conuincunt, etiam ipsas res permanentes concipi tanquam coëxistentes cum ipsis motibus, cum quibus materialiter, & in confuso appræhenduntur durare, vt per diem, aut horam, quod est confusè percipere durationem.

In reliquis autem duobus prædicamentis, nimirum Situs, & Habere, cum nihil ab alijs prædicamentis diuersum contineatur, non est cur immoremur: quæ enim ibi collocantur, potius ad prædicamentum Relationis aliquo modo reuocari possunt. Quæ verò reductiuè pertinent ad singula prædicamenta, eadem ratione expendenda sunt, atque supra dicta,

quæ

quæ directè in illis continentur, cum similis sit vtrorumque natura, ac philosophandi ratio, atque ex iactis fundamentis facilè sit, consimiles difficultates dissoluere.


TRACTATIO TERTIA

De modo, quo explicatum obiectum, constituitur perceptibile ab interiori sensu.



CONSTITVTO obiecto adæquato huius potentiæ, assignandus est modus, quo ipsum constituatur perceptibile à tali potentia, præsertim cum sæpius, & vt plurimum distet ab illa, imo quandoque nec existat in rerum natura. Et quamuis hunc modum explicare etiam quisquam posset ex parte potentiæ, sumendo ipsum, prout est id, quo potentia operatur, & attingit obiectum; Placuit tamen hic sub proposita formalitate de illo differere ad distinctionem alterius modi, qui magis propriè se tenet ex parte potentiæ, seu operationis illius, dum circa propositum obiectum versatur, ac de quo suo loco dicetur.

Supponitur, & commemoratur modus, quo obiecta fiunt perceptibilia a sensibus externis per emissionem specierum. Cap. I.



PROPTER affinitatem autem, & mutuam dependentiam, quam sensus interior habet cum externis, præmittendus hic erit modus, quo obiecta ab externis sensibus constituuntur sensibilia, vt facilius deinceps, quæ de interiori dicenda sunt stabiliamus. Quamuis igitur non defuerunt

runt Philosophi, qui obiecta in debita distantia proposita, sensibus externis absque vllo alio interueniente, satis esse perceptibilia, crediderint, vt Plotinus, Porphirius, & Galenus. Quibus adstipulantur etiam nonnulli Peripatetici. Nihilominus communiorem, & veriorem supponimus fuisse sententiam; Nullum obiectum percipi posse à sensu exteriori, nisi emissa prius ab obiecto qualitate aliqua, quæ sit eius quædam species intentionalis, imago, vel simulacrum, & qua mediante in sensorio impressa fiat sensatio. Ita enim cum Leucippo, ac Democrito antiquissimis Philosophis primo senserunt omnes eorundem sectatores; deinde Epicurus Atheniensis; Rursus Plato, & cum Aristotele 2. de anima ferè omnes cæteri Philosophi, præsertim Peripatetici circa textum 121. & 124. vbi vniuersaliter ait Philosophus, omnem sensum esse susceptiuum formarum sine materia, hoc appellans nomine ipsas species intentionales, quia verè sunt formæ accidentales de genere dispositionis in prædicamento qualitatis, quæ sine materia manant ab obiectis, ac diffunduntur, & recipiuntur primò in corpore intermedio, si quod intercipitur, ac deinde in sensorio: Eo modò, quo lumen sine materia procedit à corpore luminoso, ac diffunditur per totum diaphanum, in cuius materia subiectatur. Estq. doctrina sanctorum Anselmi, Damasceni, Augustini, Thomæ Aquinatis, & Bonauenturæ.

Plotin. Æneade 4. lib. 5.
Porph. in lib. de sensu.
Gal. lib. 7. de decretis Hipp. & Plat. cap. 6.
In Theet. post med.

Et ratio suadet, quia obiectum præsens, etiamsi distet à sensu, aliquid in eo operatur, immutando potentiam, quæ sine dubio ad illius præsentiam aliter se habet, quam prius; idque non à se ipsa, cum ex se quælibet potentia denudata sit omni actu, quem potest per immutationem recipere ad præsentiam obiecti. At agens, dum distat, non nisi per contactum saltem mediatum, nempe per aliquid sui debet operari, vt ignis per calorem, quia non datur actio simpliciter in distans; ergo obiectum dum distat, per aliquid sui debet agere in potentiam ad hoc, vt illa immutetur, propriamque sensationem eliciat; idque aliud esse non potest, nisi qualitas aliqua de genere dispositionis per medium diffusa,

fusa, quæ tanquam vicaria obiecti ad potentiam immutandam vsque perueniat, & in sensorio imprimatur, vt per vsum illius, eiusdem obiecti sensatio exprimatur. Est enim potentia aliquid incomplexum, ac indeterminatum ad suas functiones obeundas, seu ad suos actus secundos eliciendos, vt aiunt Philosophi, ac proinde necessario per simulacra obiectorum in sensorio impressa compleri debet, & constitui in actu primo ad sentiendum; vnde rectè dicitur specie fœcundari, compleri, ac determinari, vt huius potius, quam illius sensationem edat. Atque hoc modo obiecta, quæ extrinseca sunt, ac sæpè etiam distantia, percipi valent ab omnibus sensibus externis, nulla admissa, aut requisita radiorum immissione ab oculis; vt nonnulli cum Platone, Empedocle, Galeno, & alijs existimabant, quod suo loco satis ostendunt Authores pro nostra sententia citati.

Nec inepte idem confirmari obiter potest experientia Thelescopij, seu inspicilli, cuius beneficio nostris temporibus patefacta sunt Medicæa sydera, aliaq. in cœlo tot sæculis latentia Lumina à Galilæo Galilæi expertissimo viro: cum ea omnia, quæ, in quantum licet philosophari, non nisi per tenuitatem specierum ortam ex distantia, & paruitate stellarum occultabantur, condensatione, & multiplicatione earundem specierum in densiori diaphano, vitro scilicet facta, innotescant; accedente etiam vtriusque vitri concauitate, in cuius centro magis vniuntur species, efficacioresq. redduntur in repræsentando, sicut radij solares in calefaciendo, vt patet in cauitate phialæ, vel alterius globosi vasculi generis eiusdem, vbi fit etiam combustio. Quod si conuerso Thelescopio, & maiori vitro ad oculum applicato, res propinquæ appareant minores, tanquam distantiores; id etiam specierum existentiam confirmat. Nam illæ, paruo prius alterius vitri circulo exceptæ, dum postea per longitudinem fistulæ ad maiorem circulum, vbi oculus applicatur, deferuntur, minorem efficiunt angulum in oculo, minoratumq. proinde obiectum (vt ita dicam) repræsentant, ac si lon-

gius

gius valdè distaret. Quæ omnia, nisi species admitterentur, nullo alio modo contingere, aut probari possent.

Mitto eam, quæ de speculo afferri solet experientiam, vt constet oculum, mediante sui specie ad se reflexa, se ipsum inspicere: similiter quæ de sono, & odore afferuntur, flante vento ex aduerso, vt probetur tunc vtrumque ad sensum non nisi intentionalibus speciebus posse pertingere; cum hæc, & alia de natura huiusmodi specierum iam satis explorata, ac probata suis locis reperiantur apud Scriptores, sufficiantq. commemorata dumtaxat, vt teneatur ex parte obiecti sensuum externorum modus, quo ipsum fit ab illis perceptibile; cum ex hoc constare debeat, quæ de interiori mox subtexere, ac statuere consentaneum erit.

Obiecta extrinseca non nisi per species impressas intus posse repræsentari, vt ab interiori sensu dignoscantur. Cap. II.



VONIAM inter ea, quæ ab interiori sensu dignoscuntur, aliqua ex genere suo dicuntur extrinseca, vt colores, odores, & cætera obiecta sensuum externorum: alia vero intrinseca, vt sensationes ipsæ, seu actus eorundem sensuum, & motus apetitus sensitiui; distinctè, ac seorsum de illis agendum est, tanquam de duobus generibus obiectorum, vt modus, quo fiunt perceptibilia, clarius elucescat. Dicuntur autem extrinseca omnia obiecta sensuum externorum, non quod singula extrinseca sint animali (nam color, verbi gratia, magnitudo, & figura animalis, aut partis illius, qua ab eodem certè percipiuntur, intrinseca sunt illi accidentia) sed tum, quia ex genere suo huiusmodi accidentia, vt sensibilia sunt, in alieno supposito reperiri possunt, & frequentius reperiuntur; tum etiam, quia semper ab extrinseco, seu per

medium extrinsecum eorum cognitio, proprium sumit initium, vnde prius ab exteriori, quàm ab interiori sensu sentiri contingit.

Hæc itaque obiecta extrinseca ab interiori sensu non nisi per species impressas ad illum emissas posse dignosci, communis est Philosophorum, & vera sententia, quam primo docuit Plato in Theæteto, vbi loquendo de interiori, & communi sensorio: In hoc, ait, quidquid eorum, quæ aut videmus, aut audimus, aut ipsi excogitamus, ac meminisse cupimus, insinuantes ipsum sensibus, intelligentijsque, veluti annulis signantes exprimimus; quodque signatum fuerit, meminimus, & scimus, quoad figura permanet. Rursumque idem Plato passim signacula funditus organo insidentia, ac rerum simulacra, quibus diuersæ promuntur cognitiones, commemorat. Similia deinde tradidit Aristoteles dicens per motum sensus, imprimi velut figuram quandam sensibilis, sicut sigillantes annulis, cuius passionis, ait habitum esse memoriam, quod patenti discursu toto eodem capite prosequitur, & nullis æstimatur peculiaribus probationibus indigere. Quare Diuus Augustinus loquendo de sensibilibus obiectis, quatenus per sensus exteriores in memoriam traijciuntur: Istæ quippe res (inquit) non intromittuntur ad eam, sed ipsarum solæ imagines, quæ mira celeritate capiuntur, & miris tanquam cellis reponuntur, & mirabiliter recordando proferuntur: iuxta illud Aristotelis. Non enim lapis in anima est, sed forma.

In Theæteto post med. et inferius.

De mem. & reminisc. c. 2.

Lib. 10. Conf. c. 9.

3. de anima tex. 38.

Et planè ratio, qua id suadetur, ferè est eadem, ac de simulacris externis. Non enim sensus interior, sicut nec exterior quispiam à semetipso immutari posset ad præsentiam obiecti, & aliter se habere, quàm in absentia, nihil ab eo patiendo, seu recipiendo; cum ex se potentia cognoscitiua denudata sit omni actu, ac per illam præsentiam constituatur in actu primo ad sentiendum. Rursus, quia experientia planum est, ad præsentiam sensibilis obiecti hactenus incogniti, nouam nos imaginem

intus

intus recipere, & efformare, eamq. retinere cessante pariter operatione sensuum externorum, quorum ministerio hausimus, vt notat D. Augustinus. Deinde cum eiusdem obiecti recordamur idem percipere, ac si de nouo iterum nobis ipsamet similitudo per sensus externos obijceretur. *10. confess. c.8.*

Nonnulla tamen hic obstare alicui videbuntur. Vnum est, multitudo specierum, quæ diuersis sensibus exterioribus hauriuntur, nam eæ cum disparatæ sint, simul nec obijci, nec asseruari posse absque confusione videntur, si in commune sensorium intus permeare, ac tamquam ad centrum vndique confluere debeant; quod secus esset si externis dumtaxat sensibus rerum simulacra exciperentur. Secundum verò est, quia semel intromissa, & asseruata imagine in sensu interiori, semper obiectum illius repræsentaretur quousque obliteraretur ipsa imago impressa; cumque plures, ac plures imagines simul retinerentur, sequeretur, innumerabiles ferè simul repræsentationes obiectorum, ac proinde sensationes fieri, quòd est contra experientiam, ac doctrinam Aristotelis docentis, duo simul sentiri non posse, nec vno, nec duplici sensu. Tertio deinde obstare videtur communis natura ipsarum specierum intentionalium, quæ cum dependeant in fieri, & conseruari ab obiectis, sicut lumen à corpore luminoso, non possent, ipsis absentibus, vel amplius non existentibus, tamdiu in cerebro perseuerare. Accedit, nam siue huiusmodi species recipiantur in substantia cerebri, siue in spiritibus: cum hi fluant assiduè, & illa subinde continuata nutritione mutetur in dies, non apparet vbi species ipsæ ad quinquaginta, & octoginta annos, post quos recordamur, valeant asseruari. Quarto denique, difficile videtur, quomodo species colorum, quæ non diffunduntur, nec producuntur, nisi in diaphano illuminato, permeare possint intus per neruos opacos ab oculis ad cerebrum protensos, in ipsoq. tenebricoso cerebro asseruari. *De sensu, & sensili c.8.*

Sed ijs difficultatibus occurrendo, ad primam dicendum est, eam esse huiusmodi similitudinum proprietatem, & conditionem, vt siue eiusdem metaphysicæ speciei illæ sint, siue

diuerſæ, ac etiam genere diſparatæ: vt ſimilitudo odoris, & coloris: nullam inter ſe contrarietatem exercere, aut admittere. Quapropter ſicut in eodem aere intermedio illæ recipiuntur abſque diſcrepantia, vſque dum ſingulæ ad propria ſenſoria ſe recipiant: ita vlterius eædem, vel ſimiles vſque ad cerebrum permeare, ac ibi ſimul permanere poterunt abſque repugnantia. Vnde nulla pariter confuſio ſequitur, quæ non in ſola multitudine, ſed in multitudine rerum inter ſe diſſidentium, vel abſque debita diſpoſitione, & ordine, inuenitur. Sufficienter autem in prædictis ordo ſeruatur, dum accidentium ſenſibilium quantumuis diuerſorum ſimilitudines intentionales in communi ſenſorio abſque diſſidio imprimuntur.

Ad ſecundam verò reſpondetur, ad ſenſationem eliciendam non ſufficere ſolam ſpeciei impreſſionem, & receptionem; ſed adhuc requiri vſum actiuum, & conatum potentiæ ſenſitiuæ, quo eliciatur ſpecies expreſſa, in qua propriè conſtituitur ſenſatio, & repræſentatio, vt ſuo loco dicemus,
De ſomnijs c. 2. & ſumitur ex Ariſtotele, qui viſionem ait eſſe vſum viſus: & ipſum audire, eſſe vſum auditus, & ſic de ſingulis. Quare
Lib. 11. de Trinit. c. 1. & 2. D. Auguſtinus ad viſionem, docet, non ſufficere imaginem rei impreſſam, niſi adſit etiam intentio intuentis, & voluntas ſenſum adhibentis. Quod exactius infra explicabitur. Quoniam verò nequit animal plura ſimul per modum plurium diſtinctè, ac perfectè intendere, ac proinde pluribus ſimul
2. Top. cap. 4. Et de ſenſu, & ſenſili cap. 8. Lib. 3. q. 8. vti imaginibus, hinc eſt, conſequenter Ariſtotelem dixiſſe in eodem inſtanti non poſſe ſimul duo ſentiri. Ex qua veritate ſano modo explicata, vt inferius præſtabitur, magis vtique corroboratur quod diximus. Nam ſi plura ſimul non poſſunt ſentiri, & ex alio capite conſtat, ſimul plures imagines ad ſenſum deferri, planè conſequitur, ſenſationes non fieri per ſolam ſpecierum impreſſionem, ſeu receptionem, aut retentionem. Nulla ergo ratione in propoſito ſequeretur, ſenſum internum ſemper cognoſcere obiecta, quorum ſpecies retinet, dum non ſemper illis vtatur, nec ſimul; ſed ſeorſum, ac ſucceſſiuè abſque confuſione, vna poſt aliam.

Vbi

Vbi congruunt verba quædam Augustini dicentis: In tenebris, atque in silentio, dum habito in memoria mea, profero si volo, colores, & discerno inter album & nigrum, & inter quos alios volo; nec incurrunt soni, atque perturbant, quod per oculos haustum considero, cum & ipsi ibi sint, & quasi seorsum repositi lateant. Nam & ipsos posco, si placet, atque adsunt illico. Et quiescente lingua, ac silente gutture, canto quantum volo; imaginesq. illæ colorum, quæ nihilominus ibi sunt, non se interponunt, neque interrumpunt, cum thesaurus alius retractatur, qui influxit ab auribus. hæc ille. 10.confess.c.8.

Ad tertiam verò difficultatem, negandum est ad communem naturam specierum pertinere, vt pendeant in fieri, & conseruari ab obiectis, cum id tantum verificetur de speciebus sensuum externorum, qui propterea non nisi præsentia valent percipere. Nam simulacra impressa sensus interioris, cum immediatè non producantur ab obiectis, quorum sunt simulacra, sed à sensibus, aut sensationibus externis, vel ab eodem interno per suas præcedentes sensationes, & imaginationes; hinc est, vt tanquam à nobiliori causa producta per actum vitalem, non tam facilè euanescant; sed diu conseruentur ad eliciendas nouas sensationes in absentia obiectorum. Neque substantia cerebri, in qua species asseruantur tam facilè permutatur per calorem naturalem omnia dissoluentem, & nutritionem reficientem; cum ipsa substantia cerebri ex se frigidissima sit, naturaque consistens. Quod si secundum partem quandoque reficiatur, nihil obstat, qualitatem illam speciei in ipsam quoque transfundi, ac propagari, sicut calor ab vna parte continui alteri communicatur, & sic posse diutius asseruari.

Ad quartam, & vltimam difficultatem respondetur, non esse eandem speciem illam, per quam oculus; atque illam, per quam sensus interior colorata cognoscit; proindeq. speciem, per quam sensus interior percipit colorem, non requirere medium illustratum, quemadmodum illa, quæ per diaphanum defertur ad oculos, quæ omnia clarius mox infra patebunt.

Per quas species impressas, & qua via fiat huiusmodi obiectorum interna repræsentatio. *Cap. III.*



NON loquimur hic de repræsentatione formali, qua obiectum propriè, ac formaliter vltimò attingitur à potentia, & quæ se tenet ex parte ipsius potentiæ, prout est actus illius; nam idem est, per quod obiectum formaliter repræsentatur, & per quod formaliter percipitur, vt infra explicabitur: sed tantum sermo est de repræsentatione ex parte obiecti, prout effectiuè se præbet perceptibile à facultate cognoscitiua, hoc vel illo modo. Cumque iam determinatum sit hoc fieri per species intentionales impressas, sequitur inuestigandum, per quas species impressas huiusmodi oblatio, seu repræsentatio fiat. Quod certè non omnino apud Auctores definitum esse comperimus; vel enim indistinctè loquuntur, vel pro vtraque parte dubitari non improbabiliter potest, vtrum consentaneè in eorum doctrina loquendo, dicendum sit, easdem species ad externa sensoria ab obiectis emissas, peracta ibi sensatione, ad internum quoque sensorium peruenire, vt quæ ibi residet facultati, eadem repræsentent obiecta sensata; An verò aliæ ad hoc munus deputentur imagines per externas ipsas sensationes productæ. In puro autem sistendo discursu, quamuis expeditior se ostendat primus dicendi modus, vero similior tamen apparet secundus. Etenim quæ ab obiectis immediatè species emanant, ab illis dependent in fieri, & conseruari, tanquam lumen à corpore luminoso; ex hoc enim, & non aliunde prouenit, sensum exteriorem nō nisi in pręsentia, sua obiecta percipere; quia scilicet non nisi in eorum præsentia excipit, ac retinet imagines, quæ amoto principio, à quo manarunt, & conseruantur, statim euanescunt. At cum species, per quas obiecta sensui interiori repræsentantur, diu absque

Tract. 4. c. 2.

illis in ſenſorio perſeuerent, planè ſequitur, alias eſſe ab illis valdè diuerſas.

Confirmatur idipſum, quia ſi ſpecies illæ non ita ab obiectis conſeruari, neceſſariò poſtularent, non eſſet cur externum ſenſorium in abſentia obiecti diutius aliquando ipſas ſpecies non retineret: ſed videmus perſeuerante obiecto extrinſeco in præſentia, perſeuerare ſpecies in ſenſorio externo; deficiente verò, ſtatim deficere, & ipſas ſpecies repræſentantes; igitur omnino dependent ab illis, ſecus ac ſpecies, quæ mittuntur ad ſenſum interiorem diu perſeuerantes in cerebro, etiam amoto obiecto.

Præterea vnus oculus in alterius oculo ſe videt tanquam in ſpeculo, quod non niſi per reflexionem imaginis ad inſpicientem fieri poteſt; remittit ergo imaginem oculus ad oculum inſpicientis, potiùs quàm illam ad ſenſum interiorem transfundat.

Ex quibus concluditur per ſenſationes externas, alias ab illis produci ſimilutidines, prioribus quidem ſimiles, & ad genus diſpoſitionis pariter pertinentes, omnino tamen ſpecie diuerſas, ac nobilioris naturæ, vt quæ ad cerebrum permeare, & ibi interiori ſenſui obiecta ab exterioribus ſenſata repræſentare debeant, quouſque pro arbitrio ſenſus illis vtatur: diù quoque in ſenſorio abſque vſu ipſius facultatis perſeuerando, vt cum opus fuerit, eiſdem animal rurſus vtatur, priſtinorumq. obiectorum, cum libuerit, recordetur.

In quo verò ſubiecto huiuſmodi ſimilitudines producantur, & per quod medium, ſeu qua via ad cerebrum deferantur, remanet explicandum. Et quidem, vt ait Auguſtinus, cum conſtet, rerum ſenſatarum imagines interius ingeſtas fuiſſe, neſcimus propè quinam ſint ſecreti, atque ineffabiles illi ſinus memoriæ, quæ hæc omnia recipit recolenda, & quibus foribus intrant ad eam. Nec ſatis ſe communiter declarant Scriptores in re tam occulta, quid ſentiant, cum vniuerſaliter dicunt ab externis ad internum ſenſorium, hanc ſpecierum fieri lationem, quamuis alibi idem Auguſtinus hæc omnia per ſpiritus animales fieri non obſcurè

lib. 10. confeſſ. cap. 8.

lib. de ſpiritu & anima c. 23. to. 3

obſcurè inſinuet, cum ait, quandam ſpiritualem naturam eſſe in nobis, vbi corporalium rerum ſimilitudines, aut formantur, aut formatæ ingeruntur. Sed vt paulatim à notioribus diſcurrendo, ignotiora tentemus, certum in primis videtur totam, quam inter internum, & externa ſenſoria experimur communicationem animalem, per neruos, ac ſpiritus animales tantummodo intercedere. Nam, vt ſæpe Galenus admonuit, per eos cerebrum, & ſenſum, & motum cæteris impertitur partibus animalis. Ex quo primò ſequitur inferendum, in neruis pariter, aut ſpiritibus animalibus proculdubio hanc ſimilitudinum fieri debere productionem, vt per eos interius deferantur.

lib. 7. de plac. Hipp. & Plat. cap. 3.

Vtrum verò immediatè producantur in ſubſtantia nerui vbi proximior eſt, & contigua ſenſorijs externis, & per eam diffundantur vſque ad cerebrum; an verò in ſpiritibus animalibus, qui per eundem neruum à cerebro ad ſenſoria externa, & ab his ad cerebrum continuato ductu feruntur, ac iugi, & expedito veluti famulatu permeando diſcurrunt: hoc inquam in quæſtionem pro vtra que parte ſatis probabiliter euocatur. Suadet autem ex parte neruorum ea potiſſimum ratio; nam interior eorum ſubſtantia, quæ veluti medulla quædam duobus orbicularim obuoluitur mēbranulis, quamuis durior, ſimillima tamen eſt ſubſtantiæ, ſeu medullæ cerebri, à qua ortum habet, vt docet Galenus: etenim, inquit ille, ſubſtantiarum, & facultatum proprietates ſibi ſimiles habent. Maxime autem videtur congruere ſpecies per eandem, vel ſimillimam ſubſtantiam intus deferri, per quam ibi aſſeruantur. E contra vero ſpiritus animales, quamuis intelligerentur per neruos permeare, & ſpecies facili ratione in cerebrum inferre; cum tamen ipſi longè diſſimilis ſint naturæ, & adhuc in cerebro verſentur, ſequeretur eos, vel ſpecies in diſſimilem cerebri ſubſtantiam transfundere, ipſis ibidem manentibus, ac perſeuerantibus, cum non detur tranſitus accidentis à ſubiecto in ſubiectum; vel ſequeretur, quemadmodum illas hauſerunt in neruis, conſeruare in cerebro; cum nulla ſit cauſa corruptionis illarum tam cito per

lib. 8. de vſu par. ante med. & 7. de placit. Hipp. & Plat. poſt med.

ingreſſum

ingressum in cerebrum: quod pariter est impossibile, cum species in subiecto tam tenui alterabili, & corruptibili, diu conseruari non possent, quemadmodum conseruantur de facto. Congruentius ergo videtur existimandum, huiusmodi species in neruis produci, ac per neruos ad cerebrum deferri, cui ipsi similem substantiam sunt adepti, quàm illas in spiritibus animalibus ponere, qui sunt substantiæ valde diuersæ, totque inconuenientia in se intelligerentur admittere.

Ex alio verò capite non videtur, per neruum, qui solidioris, ac densioris naturæ est, tam cito perferri posse species ad internum sensorium, sicut per spiritum animalem, qui rarioris, ac subtilissimæ substantiæ cum sit in cerebro elaboratæ ex arterialis sanguinis, spirituumq. vitalium portione, accommodatius censetur vehiculum velocissimæ transfusionis imaginum prædictarum. Item sensorij nerui, vt vocant, quamuis ad quatuor particularia sensitoria demittantur, visus nimirum, auditus, olfactus, & gustus; imo & ad plures corporis partes, vbi tactus viget, diffusa, ac propagata sobole se extendant; nihilominus negari non potest, complures etiam esse per totius corporis habitum partes, sensu quidem tactus pollentes, neruis tamen expertes. Non ergo inde species tactus per neruos ad intra transfunduntur. Cumquè spiritus animales vltra neruos progrediantur, & per musculos, & cutim pariter insinuentur, facilius intelligeretur, ipsos huius lationis fore propria subiecta, & instrumenta.

Verum huiusmodi congruentias, ac difficultates pro vtraque parte allatas, nec vnum, nec alterum omnino conuincere, aut suadere existimamus; quare si dicamus species illas ab externis sensorijs ad internum simul per neruos, ac spiritus animales deferri, vtriusque opinionis fortasse incommoda, ac difficultates vitabimus.

Non enim obstat ex parte neruorum, illos esse densioris substantiæ, vt afferebatur, cum densitas materiæ ex se nullo modo retardet motum alterationis, quando non adest qualitas

litas contraria in subiecto. Hinc namque videmus æque cito lumen diffundi per quæcumque corpora diaphana, vt per aerem rarum, & aquam densam, densissimumq. cristallum, eo quod nulla sit in illis qualitas lumini contraria. Eodem igitur pacto cum species illæ, quæ diffunduntur, nullum habeant contrarium, æquè cito per subiectum ac medium rarioris, aut densioris substantiæ diffundi poterunt.

Quod autem dicitur de partibus, quæ neruis carent, sensu tamen pollent, verum est in rigore loquendo; nam cutis in qualibet particula si tangatur, sentit; & tamen non in quamlibet particulam neruus inseritur. Verum hoc non obstat, quia non dicimus, tactum, ac reliquas sensationes fieri in neruis, sed in sensorijs, quibus coniuncti sunt nerui, per quos postea sensationum simulacra ad cerebrum transfunduntur; quapropter non in omnibus, ac singulis partibus sensorij reperiri debent nerui, sed sufficit, vt aliquibus tantùm coniungantur. Nam sensatio extenditur per totum organum sensus, vel partem illius, ita vt semper perueniat ad locum, vbi est neruus. Quoniam verò cutis vniuersalius est sensorium tactus, obseruandum est quòd Galenus aduertit, illam scilicet eiusdem sensus gratia propagines habere neruorum tenues, raras, & ægrè conspicuas instar araneę cuiusdam filorum. Quod & arborum, & plantarum folijs licuisset exemplificari, in quibus mira, ac subtilissima ramusculorum apparet propago. Deinde musculosam quandam, ac tenuem substantiam cuti subesse, multas neruorum fibras in se ipsam recipientem, à qua cutis separari non potest, nam planè cum ea coaluit. Vnde cutis ex carne, & neruo constare dicitur; labia verò ex cute, & musculo conflari, vt alterum ne dixeris (ait Galenus,) sed vtrumque simul naturaliter congestum. Præterea notandum est, musculos, musculorumque ac neruorum fibras, tendones, ac si quæ sunt alia neruosa, ac sensitiua instrumenta, semper cum neruis coniungi, ac per neruos virtutem motiuam, ac sensitiuam à cerebro participare, vt passim demonstrat Galenus.

Lib. 9. de vsu par. non longe à fine.

Galenus. Vbi pariter obſeruatur ad has prædictas tantum partes, quæ neruoſæ ſunt ſubſtantiæ, & ad peculiaria ſenſoria, ſenſorios neruos à cerebro demitti, non autem ad alias; proindeq. has tantummodo ſenſum obtinere. Ex quibus conſtare poteſt ſolertiſſimè naturam prouidiſſe, vt partes omnes animalis, quas ſenſu pollere congruebat, neruos haberent coniunctos, per quos & vim ſenſitiuam à cerebro participare, & ſpeciem ſenſationis ad ipſum transfundere poſſent. Nam ſexaginta nerui ex cerebro prodeuntes, eorumq. diſciſſæ ſoboles, omnes in peculiaria quatuor ſenſoria, vel in muſculos, fibras, aut cutim deſinunt: atque ex muſculis poſtea tendones, eiuſdemq. ferè ſubſtantiæ propter motum arbitrarium ad ligamenta, & articulos protenduntur: vt in accurata diſſectione haud negocioſum eſt contueri. Rectè igitur nerui, latores peractæ ſenſationis, ſeu imaginis, ac ſimilitudinis illius, exiſtimantur.

Lib. 7. de placit. Hippoc. & Plat. propè finem, & & lib. 1 de vſu part. circa med. & lib. 16. non longe à principio.

Ratio verò potiſſima, ſeu congruentia, qua id cenſetur affirmandum, eadem ferè eſt, quam ſupra inſinuauimus, quia nimirum perſimilem neruus naturam, ac diſpoſitionem habet cum cerebro, ſaltem de medullari loquendo, vt expoſuimus. Si igitur diſpoſitio cerebri apta eſt ad excipiendas, ac diu retinendas huiuſmodi imagines, eadem ratione in tranſitu ad eaſdem excipiendas, apta erit diſpoſitio nerui. Etenim ſubſtantiarum, ac facultatum proprietates ſibi ſimiles habent, aiebat Galenus, qui mox ſubiungens, neruos ſenſorios (nempe qui inſtrumentis ſenſorijs immittuntur) molliores eſſe alijs, qui particulas mouent; concludit, prouidè hoc naturam fuiſſe fabricatam, quoniam ſenſus non eſt abſque hoc, quod quoquo modo afficiantur nerui: affici verò aliter non poſſent per ſenſum, niſi qualitate aliqua per ſenſationem producta, quam ſpeciem, vel ſimilitudinem illius vocamus.

Lib. 7. de pl. cit. poſt med.

Quod autem ſimul ſpiritus animales eadem qualitate afficiantur, ac tanquam medium deſeruiant ad lationem harum ſpecierum, probatur. Nam alioquin ſolus neruus hoc munus non poteſt obire, vt patet in deliquio, aut alio

ſympto-

ſymptomate, in quo neruis omnibus illeſis, & expeditis, per quandam euacuationem ſpirituum, aut impedimentum communicationis illorum cum cerebro, ſenſus internus nullam percipit externam ſenſationem. Ergo ſpecies, quando in cerebrum feruntur per vtrumque medium, & non per alterum tantum, diffunduntur.

Quo circa obſeruandum eſt, per Apoplexiam, ſoporem, lethargum, morbum comitialem, ac ſimiles affectiones, hominem priuari ſenſu, quandoque & motu: idque ob pituitæ in ventriculis cerebri coaceruatæ multitudinem, vel alterius craſſi, ac viſcidi humoris, vt docet Galenus. Atqui non alio modo humor huiuſmodi in cerebro actiones ſenſitiuas, & motus arbitrarios impedire poteſt, præſertim repente (vt in Apoplexia, & morbo comitiali accidere conſueuit) niſi obſtruendo in ventriculis circa ortum neruorum meatus, per quos ſpiritus animales infra mittuntur, & communicant cum ſenſu exteriori, vt planè teſtatur, & explicat Galenus. Ergo indicium eſt, ſpiritus animales, æquè ac neruos ad ſenſationem externam, & internam in præſentia obiecti concurrere, ac requiri, & ſicut per neruos, ita per ſpiritus quoque peractæ ſenſationis, ſpeciem ad cerebrum tranſmitti. Vnde Galenus ibidem ſubnectit, animam in cerebri corpore ſedem obtinere, atque in ipſo, & rationis vim, & ſenſibilium imaginum memoriam reſidere, ac primum ipſius animæ inſtrumentum, tum in ſenſibilibus actionibus omnibus, tum in his, quæ à conſilio, & voluntate prodeunt, ſpiritum eſſe, qui in ipſius ventriculis continetur. Quod ſi ſpiritus ſenſationum externarum imagines ad cerebrum non deferret in præcipua ſenſatione, prout eſt interna, nullatenus præcipuum, aut primum ſe oſtenderet animæ inſtrumentum.

Lib. 6. de ſymptom. cauſ. cap. vlt. & 3. de locis affectis c. 7.

In principio cap. citati de locis affectis.

Dicet tamen aliquis, ſpiritum concurrere quidem, ac requiri ad ſenſationem externam; & hac media, ad ſenſationem internam in præſentia obiecti; non tamen ad lationem ſpeciei peractæ ſenſationis, atque in caſu propoſito Apoplexiæ, vel morbi comitialis, hominem non ſentire; non

quia

quia imago ſenſationis intus nequit inferri, craſſo humore ſpiritus meatum in cerebri ventriculis obſtruente; nam alioqui inferri poſſet, per neruum; ſed quia verè ſenſatio externa non efficitur, deficientibus ſpiritibus, qui vt primum animæ inſtrumentum requirebantur, & à cerebro foris amplius tunc non mittuntur.

Sed occurrendum primò eſt per eiuſmodi, vel per ſimilem affectionem, verbi gratia, per morbum comitialem, non euacuari, nec exinaniri ſpiritum, qui eſt in neruo à cerebro vſque ad ſenſorium externum, quamuis alij de nouo ex cerebro non demittantur: ac propterea non impediri ſenſationem externam ob ſpirituum defectum, Et tamen conſtat, ſtatim ac humor ille cœperit meatus obſtruere, ac cerebrum infeſtare, amplius hominem non ſentire, quæ geruntur extrinſecus, vt notat Galenus, nec poſtea recordari, aut conſequi, quid factum ſit. Ergo id totum contingit ex impedimento communicationis cum cerebro, quæ medijs ſpiritibus exercetur, ſimulacra rerum ad ſenſum ibi reſidentem perferentibus.

Verùm, vt propoſitæ difficultati exactius occurramus, aperiendum ſeorſum eſt, vtrum in huiuſmodi affectionibus nulla fiat ſenſatio externa, at propterea ſenſus internus non percipiat, quæ fiunt extrinſecus, nec eorum quomodolibet recordetur, an potius fiat aliqua ſenſatio externa; non tamen ſatis percipiatur à ſenſu interiori, aut memoriæ teneatur. Qua certè in re, ſi Doctorum auctoritatem iuxta verborum generalium vim expendamus, primum ferè omnes opinari exiſtimabimus; ſin verò ex eorundem doctrina minutius diſcurrendo, ac generalia axiomata diſtinguendo, cauſam quorundam experimentorum quæramus, Secundum tanquam probabilius conſequenter eos conceſſuros fuiſſe dicemus, ſi licuiſſet interrogare. Scio enim Ariſtotelem, ſenſationem aliquam externam in ſomno fieri, aliquando negaſſe; tamen experientia conſtat, non tantum à ſomnabulis externè multa diſcerni, vt ipſemet Ariſtoteles alias concedit, ſed etiam à reliquis dormientibus pleraque exte-

Lib. de ſomn. & vig. cap. 2.

Lib. 5. de gener. anim. cap. 1.

riora

riora dignosci. Accidit enim dormientibus nonnullis, & voces, & verba in somno audire, eisq. respondere, licet ipsi circumstantias non percipiant, & cum euigilant, somnium fuisse arbitrentur, quæ præcesserunt, & quorum recordantur. Alijs vero accidit, vt frigus vehementer sentiant, sindonemque, vel stragulum discernant, quod ad se trahunt, vt cooperiantur; Alijs, vt tactu delectentur, tangibiliaque saltem in genere percipiant, vt qui æreum quidpiam in manu tenens, putat nummum se habere aureum. Hæc, & similia licebit in dormientibus considerare, quæ planè ab Aristotele, vt vidimus, non negantur; nam rursus concedit quibusdam in somno sentire aliquo modo, & sonos, & lumen, & saporem, & tactum, languidè tamen, inquit, ac veluti procul. Alibi denique ait: In dormiendo parui motus magni videntur esse: arbitrantur enim fulgura cadere, ac tonitrua fieri, cum paruus sonus in auribus fit, & melle, & dulcibus saporibus perfrui, minima pituita defluente: & ambulare per ignem, & calefieri vehementer, cum paruus calor circa quasdam partes fit. Ex quibus haud dubiè dixeris Aristotelem, primo loco loquutum fuisse de sensatione perfecta, ac distincta; non autem de obtusa, & confusa, quæ saltem in prædictis non potest negari. Eodem pacto scio Galenum dixisse eum, qui morbo comitiali laborat, neque videre, neque audire, neque vllo sensu quicquam percipere: & nihilominus constat quandoque nonnulla tactu discernere, præsertim si nimis sensibilia sint. Nam membra dolorem ex industria incussum aufugiunt, olfactus odoribus quibusdam recreatur; Strepitus per aures laborantem deterrent, & similia. Ex quibus putandum est de perfectis etiam tantummodo sensationibus loquutum fuisse Galenum.

De somnijs cap. vlt. prope finem.

De diuinat. per somn. cap. 1.

3. de locis affect. cap. 7.

Dicimus ergo in prædictis casibus, quando adhuc sufficiens spiritus in neruis, ac sensorijs externis continetur, fieri quidem posse aliquam sensationem externam imperfectam tamen, ob defectum sensus interioris, attentionem, & vires nullatenus adhibentis, sicut cum quis, aliud intendens, apertis oculis prætereuntem ante conspectum nõ dicitur videre:

nec

nec ſtrepitum apertis auribus audire. Non quia verè prætereuntem non videat, aut ſtrepitum non audiat, ſed quia ſatius aliud contuens, vel audiens, hæc imperfectè, aut vix videatur percipere, cum non ſit ad ſingula ſenſus; vnde prouenit, vt non recordetur ſe vidiſſe, aut audiuiſſe. Suadet autem hoc, præter experimentorum obſeruationem, ratio ipſa, qua non videtur negandum, fieri poſſe ſenſationem externam, vbi potentia in organo diſpoſito manet cum debito concurſu ſpirituum, vt contingit in ſomno, ac ſimilibus caſibus. Siquidem nihil aliud deſideratur; nam concurſus cerebri non requiritur ſimpliciter, ſed tantum propter ſpiritus, qui ab eo debent manare; cum igitur adſunt ſpiritus, ſufficiens ex ſe conſtituitur virtus ſenſitiua. Quoniam verò ſpiritus ob eorum tenuitatem per vſum, & calorem deperduntur; hinc eſt non niſi paucas, & imperfectas valdè huiuſmodi ſenſationes fieri, quotieſcumque meatus cerebri, per quos ſpiritus tanquam à fonte promanant, obſtruuntur. Accidit autem ſenſum internum non aduertere ſenſationes externas, nec earum poſtea recordari; quia ſpecies peractæ ſenſationis, nequeunt per ſpiritus animales, quibus ingreſſus interdicitur, inferri. Quod ſi dicas inferri poſſe per neruos, concedimus quidem, imò de facto ita ex parte contingere arbitramur; ſed conſiderandum eſt, paruam ac debilem per ſolos neruos ſpecie affectos, fieri poſſe impreſſionem in cerebro, vbi tunc cætera ſimulacra cum vaporibus & humoribus infeſtantibus, acriter tumultuantur; atque hinc etiam cauſari obliuionem. Quapropter cum in ſomno per vapores obruuntur meatus prædicti, ne ſpiritus liberè egrediantur, & ingrediantur in cerebrum, ac dormiens quiſpiam ab alio fortiter vocatus expergiſcitur; proculdubio vox ſeu ſpecies illius, per neruum tantum fertur ad cerebrum, nec alioquin ſenſus internus ſomnum poſſet diſcutere. Quoniam vero non per quamlibet vocem, contingit hoc fieri, ſed per validam tantum, aut vehemens aliud ſenſibile: indicium eſt, tenuiter ſpecies imprimi per ſolum neruum tranſlatas.

Atque ex hoc obiter ſupradicta licebit confirmare. Nam cum quis præfato modo expergiſcitur, prius eſt aurem audire, vel tactum ſentire, quam ſpecies illius intus tranſire ad excitandum ſenſum interiorem, qui ſupponebatur in ſomno circa externa non operari. Vel igitur ſenſus interior etiam in ſomno cum exteriori, aliquo modo concurrit: Vel nihil obſtat quominus in ſomno, vel morbis prædictis fiat interdum ſenſatio externa, non concurrente ſenſu interiori ob impedimentum ingreſſus ſpecierum in cerebrum per ſpiritus, quorum meatus, vt diximus, obſtruuntur.

Tandem ex dictis facile eſt, difficultates in principio poſitas contra ſpiritus animales euacuare. Non enim ſequeretur tranſitus à ſubiecto in ſubiectum, cum ſpecies in ſpiritibus perſeuerarent, quamuis cerebrum eiſdem afficeretur, quēadmodum cryſtallus afficitur lumine ad illum per aerem tranſmiſſo, illuminato adhuc perſeuerante ipſo aere. Nec ſequeretur, ſpecies diu conſeruari non poſſe; nam ſemel illis imbuta ſubſtantia cerebri, corruptio ſpirituum nihil aut parum obſtaret. Imo ex hoc puto prouenire differentiam, quam ſæpe numero experimur maximam in interna obiectorum repræſentatione. Vt cum obiecta, quorum recenter imagines hauſimus, viuacius longè, & efficacius nobis repræſentantur, quàm quæ poſt aliquod tempus memoriæ offeruntur. Siquidem quamdiu perſeuerant illi ſpiritus, qui à peracta ſenſatione externa fuerant ſpecie imbuti, concurrunt conſeruando intentionem ſpeciei, quæ reperitur tranſfuſa in cerebro, vt efficaciter repræſentet; corruptis autem ſpiritibus illis, vel ab eiſdem ſpecie aboleta propter alterabilem naturam illorum, remiſſius agit ſpecies, quæ in cerebri ſubſtantia perſeuerat. Atque ex hoc etiam poſtremò intelligitur cur qui ſpiritibus vehementer abundant, non modo externè ſentiant magis, verum, & internè appræhendant intentius, ac diutius recordentur. Cæterùm cum diximus, ſenſum & motum tranſmitti à cerebro per ſpiritus animales, ac per eoſdem imagines rerum intus transfundi; non eſt intelligendum ſecundum eorum ſubſtantiam, quaſi

ſpiritus

spiritus secundum se mouerentur sursum, ac deorsum tanquam vehiculi facultatis animalis, ac specierum intentionalium; sed intelligendum est per ipsos spiritus animales in cerebro, & in neruis contentos, sicut per neruorum substantiã, ad instar solis radios per aerem aut vitrum, facultatem animalé à cerebro ad vniuersum corpus diffundi, ac species intentionales à peculiaribus sensorijs ad ipsum cerebrum temporis momento deferri. Quamuis spiritus etiam secundum suam substantiam sæpe fluant ac defluant, quod non est tantopere attendendum. Alioquin vt docet Galenus. Nequaquam voluntas digitum longissimè distantem statim posset mouere, nullo intercepto temporis spatio inter actum volendi, & ipsum digiti motum; nec tam cito à cerebro ad digitum substantia corporea posset confluere, sicut confluit qualitas illa absque contrario. Quod idem patet esse dicendum de latione specierum ab externis ad intra, quæ momento fit cum simul externo internoq. sensu sentiamus. *2. de placit. Hippocrat. & Plat. cap. 5.*

Quo item pacto per species impressas constituantur perceptibilia obiecta intrinseca. Cap. IV.



STABILITO modo, quo constituuntur perceptibilia obiecta extrinseca, simile quidpiam stabiliendum sequitur de obiectis intrinsecis iuxta distinctionem supra factam in principio, videndumq. est, an hæc pariter per species impressas, vel alia ratione ex parte ipsorum obiectorum interiori sensui percipienda repræsententur.

Atque in primis occurrunt actus proprij sensuum externorum, seu sensationes, quæ & species expressæ illorum vocari consueuerunt. Quas certè superuacaneum videtur per proprias species impressas debere repræsentari, cum hoc ipso, quod sensus exterior cogniti obiecti propriam similitudinem intus transmittat, satis aduertere possit sensus interior exteriorem tunc operari. Deinde, quia obseruatione constat nullam interius nos formare imaginem visionis, verbi gratia,

vt visio est aliquid ab obiecto viso distinctum, sed tantum ipsius obiecti cogniti per illam, vel actus alicuius corporalis, per quem sensus adhibetur dum sentit extrinseca; vnde quælibet sensatio per se sumpta, concipitur ab intellectu tanquam aliquid abstractum, vel ad instar alterius, & in ordine ad aliud, quatenus scimus esse id, per quod formaliter à sensu attingitur obiectum extrinsecum. Nec aliter nobis repræsentatur visio, quæ fit à potentia visiua, quàm intellectio, quæ fit à potentia intellectiua; cuius planè cognitionis spiritualis nullam habemus propriam imaginem.

Ex alio verò capite videtur negari non posse dandam esse aliquam nouam, ac distinctam speciem sensationis iam factæ, vel modificationem speciei per illam emissæ, repræsentantis quidem obiectum extrinsecum, sed vt sensatum, & cognitum per talem sensum externum. Fundamentum est; nam quocumque modo sensus interior aduertat exteriorem operari circa tale obiectum, aliquid refunditur in obiectum totale illius cognitionis. Aliud enim est cognoscere tale obiectum simpliciter, aliud verò est cognoscere illud, vt sensatum. Quemadmodum igitur ex parte obiecti cogniti, aliquid refunditur de nouo per illam formalitatem, sub qua cognoscitur; ita ex parte speciei, per quam cognoscitur hoc totum, aliquid debet correspondere prædictæ formalitati, vel tanquam noua species priori coniuncta, vel tanquã modificatio illius, qua simul repræsentetur obiectũ, illudq. tali sensu sensatũ. Adde, nonnullas esse sensationes externas, quæ nunquam distinctè obiectum extrinsecum exprimere videntur, vt dolor, ac delectatio, cum ab aliqua intrinseca causa proueniunt, vt in morbis quibũsdam, corporis partem infestantibus, nocturnisq. illusionibus voluptate afficientibus, & similibus contingere solet. Et tamen ipsæ sensationes distinctissimè ab interiori sensu percipiũtur, ac memoriæ tenẽtur; Quod planè absque illarum proprijs imaginibus fieri non posset.

Pro solutione tamen susceptæ quæstionis obseruandum primò est, sensationes externas sicut, & quascũq; alias imagines intẽtionales expressas, nunquã à nobis sentiri, aut directè co-

cognosci, vt imagines sunt, seu prout intellectus eas denominat imagines per translationem à veris imaginibus. Quia sensus interior nihil aduertit in sensorio externo, quando fit ibi sensatio, quod rationem habeat imaginis obiecti sensati. Siquidem nec in pupilla discernit aliquid simile obiecto viso, nec in faucibus simile aliquid sapori, aut in cute simile ei, quod manibus contrectatur: sed tantum aduertit passionem, seu motum,& affectionem, quæ ibi fit,& qua mediante percipit obiectum, quod est extrinsecus. Quamobrem nec species impressæ, quæ nullo modo ab aliquo sensu dignoscuntur, nec species expressæ dicuntur imagines ex eo,quod quasi prius cognitæ, propter similitudinem ducant nos in cognitionem obiecti, sed alia ratione infra commodius explicanda; Nam à parte rei nulla talis similitudo reperitur inter visionem,& rem visam, vt est color, & figura, & sic de cæteris, quæ non nisi vt sunt, noscerentur, ac proinde dissimiles, & vt tales non possent obiecta in se ipsis referre.

Ex quo secundo notandum sequitur, sensationes externas non prius cognosci à sensu interiori, quàm cognoscantur obiecta, quæ per ipsas repræsentantur, sed simul prout sunt motus ad illa, seu affectiones corporis, quibus illa percipiuntur, vt obseruanti patebit,& clarius adhuc infra explicabitur.

His positis, dicendum est, sensationes sensuum externorum per eandem speciem impressam interiori sensui cognoscendas repræsentari, per quam repræsentantur obiecta ab eisdem sensata. Suadetur autem primò: Nam obiectum extrinsecum appræhendi, vel imaginari non potest abstractum, ac separatum à sensatione externa,per quam eius imaginem tenemus, quia siue dum actu sentitur extrinsecus, siuè postea; semper visibile offertur nobis, vel tanquam actu, vel hactenus visum. Nam etiam, quod per imaginationem fingitur videri, appræhenditur tanquam si verè actu oculis inspiceretur. E contra verò similiter sensatio externa non potest per imaginationem abstrahi, vel apprehendi sine obiecto cognito per illam; quia nec fingere possumus auditio-

nem absque sono, aut olfactionem sine odore, & sic per singula discurrendo. Signum est igitur, vtrumque per eandem speciem impressam intus offerri, ac repræsentari; alioquin vnum sine altero posset interius dignosci, ac figurari, sicut cætera omnia, quæ per diuersas species impressas quantumuis coniunctas repræsentantur, vt odor, & color, vel sapor, & quantitas eiusdem subiecti, & similia, quorum imagines non semper incurrunt, dum aliæ pertractantur.

Deinde hoc idem confirmatur; nam tanta est coniunctio inter sensationem externam,& obiectum per illam sensatum in modo, quo sensui interiori obijciuntur, vt vnicus ex eis conceptus obiectiuus componatur; nam quoties imaginamur, vel etiam fingimus obiectum aliquod extrinsecum, simul videmur illud sensu aliquo externo percipere, etiam si nolimus de ipsa perceptione cogitare. Ex quo sæpe fit, vt commemorato tantum obiecto, sensorium illius proprium, & caro sponte moueatur, vt guttur ad emittendam saliuam per commemorationem saporis, quem tunc sibi videtur percipere,vel tactus ad coadunandos spiritus animales,vbi tangibile, de quo cogitatur,esset excipiendum, & quod tunc simul sibi videtur sentire. Vnde inquit Augustinus: Memini me audisse à quodam, quod tam expressam,& quasi solidam speciem fœminei corporis in cogitando cernere soleret,vt ei se quasi misceri sentiens, etiam genitalibus flueret. Et sic huiusmodi imaginationibus,in externis quoque sensorijs interdum homo delectatur; interdum verò molestatur iuxta proportionem obiecti repræsentati. Quod certè non contingeret,nisi presentatio sensationis,ac sensati fieret per modum vnius, ac per vnicam speciem impressam correspondentem vnico conceptui obiectiuo, quem de vtroque in interiori sensu habemus, ac vnico conceptui formali, quem, vtrumque simul sentiendo,elicimus. Nam cognoscere nunc obiectum præcisè secundum se; nunc verò sensationem externam, per quam percipitur; nunc denique vtrumque simul pro arbitrio, opus est solius intellectus.

Lib.11.de Trin. cap.4.

Tertio probatur; nam species impressa, per quam sensus interior

interior extrinseca obiecta debet percipere, producitur à sensatione externa, qua ipsamet obiecta sentiuntur, vel fuerunt sensata: siquidem non est à quo alio agente formaliter huiusmodi species impressa producatur. At natura speciei intentionalis est, vt referat potentiæ, in cuius sensorio imprimitur id, à quo fuit producta, & emissa; ergo huiusmodi species impressa producta, & emissa à sensatione externa, non potest non ipsammet sensationem interius aliquo modo referre. Cumq. sensatio externa essentialiter sit imago expressa obiecti extrinseci, qua formaliter illud à sensu externo dignoscitur, sequitur vt per eandem speciem impressam à sensatione externa productam, simul sensatio ipsa, & obiectum sensatum intrinsecus repræsentetur, & obijciatur. Et quoniam sensatio externa hoc ipso, quod essentialiter est imago expressa obiecti, essentialiter ex se non est nisi id, quo percipitur ipsum obiectum, cum obiectum quocumque modo accipiatur, semper sit, id quod repræsentatur, siue intrinsecus, siue extrinsecus; hinc est, vt obiectum semper repræsentetur directè, ac formaliter; sensatio verò extrinseca tanquam in obliquo, & veluti materialiter; quia repræsentatur sicuti est, nempe tanquam id, quo; & simul cum obiecto, quod repræsentatur formaliter, ac principaliter, vt quod. Veluti cum quis intuetur aliquod obiectum in speculo, simul intuetur illud directè tanquam id, quod; & speculum tanquam id, quo, vel in quo repræsentatur, & elucet obiectum: Nam obiectum extrinsecum, sicuti in speculo repræsentatur potentiæ visiuæ, ita in visione externa tanquam in speculo repræsentatur sensui interiori. Hoc tamen discrimine, quod speculum licet per eundem actum, non tamen per eandem speciem impressam, ac obiectum percipiatur, sicut sensatio externa, & obiectum illius, propter rationem dictam; Et species impressa, per quam videtur obiectum, in speculo reflectitur, & non producitur à speculo, sicut à visione externa producitur illa, per quam in ipsa obiectum, quod elucet, sentitur interius.

Diximus insuper, mediante efficientia huiusmodi speciei

impressæ, directè, & formaliter nobis repræsentari obiectum; materialiter autem illius sensationem externam: nam licet vtrumque repræsentetur, vt vidimus; id tamen, quod directè terminat, & specificat ipsam internam cognitionem vtriusque, non est sensatio externa, sed obiectum cognitum per illam, quatenus iuxta obiecti varietatem variæ constituuntur cognitiones, & repræsentationes formaliter, & essentialiter diuersæ, vt cognitio, & repræsentatio albi, vel nigri. Indifferens enim est visio secundum se ad formam albi, vel nigri referendam: quapropter specificari, ac determinari debet tanquam materia per formam obiecti, ad hoc vt essentialiter sit hæc, & non alia visio. Ac proinde quando repræsentatur sensatio externa, solum repræsentatur, prout quid sustinens, ac referens formam obiecti; Quod est materialiter tantùm concipi, ac repræsentari, non autem formaliter, sicut repræsentatur obiectum.

Ad rationes itaque in oppositum dubitandi, facilè ex dictis patebit solutio; nam pro vna parte respondendum est, sensum interiorem non aduertere operationem sensus externi per solam intromissionem speciei impressæ repræsentantis obiectum absque aliqua repræsentatione ipsius sensationis externæ, quæ per eandem speciem impressam simul perficiatur; nam licet solum obiectum extrinsecum repræsentetur formaliter, vt quod; omnino tamen sensatio externa, in qua ipsum elucet, & ex qua imago transfunditur interius, repręsentatur, vt quo. Vnde de sua memoria proloquutus, subiungit Augustinus; & noui quid, ex quo sensu corporis impressum sit mihi. Est enim considerare in qualibet sensatione, seu specie expressa, id quod ipsa est secundum se; & id, quod repræsentat in se, vt monet Aristoteles: nam vtroque modo cognoscitur ab anima. Et licet quidem secũdum id, quod repręsentat in se, non discernatur ab obiecto repræsentato (sicut qui non vidit Coriscum, vt Coriscum) sed concipiatur prout est vnum, & idem cum illo. Quemadmodum in tabula (inquit Aristoteles) pictum animal, & animal est, & imago. Et idem, & vnum ipsum est ambo, quamuis

10. confess. c. 8.

Cap. 2. de mem. & remin.

quamuis esse non idem amborum: secundum tamen id, quod ipsa est in se, confusè, aut materialiter saltem cognoscitur, prout quidam motus ibi factus, seu speculamentum, ait Aristoteles, aut prout phantasma videtur adesse, quo scilicet actualiter obiectũ percipitur. Quare non obstat, nullam nos formare imaginem expressam distinctã, ac formaliter repræsentatiuam sensationis externæ, vt imago obiecti est, ad hoc, vt dicamus repræsentari, prout secundum se est, veluti motus quidam ad obiectum, seu materialiter, vt id, quo illud percipitur; Et hoc per eandem speciem impressam, per quam repræsentatur obiectum formaliter, vt quod. Sicut per eandem speciem coloris, qui est in inspicillis, repræsentatur, vt quod, obiectum extrinsecum, cui putatur inesse color, & repræsentantur, vt quo ipsa inspicilla, quibus cernit facultas, ac sentit se adiuuari, absque eo, quod illa repræsententur, vt viridia, aut rotunda, vel alterius figuræ, & coloris.

Pro altera verò parte negandum est, ad cognitionem obiecti, vt sensati sensatione extrinseca, duplicem speciem impressam requiri, cum vnica tantùm sufficiat, ex eo quod nunquam, nisi vt tale possit repræsentari, vt vidimus. Ad quod nec modificatio eiusdem speciei requiritur, nam modificatio supponeret speciem iam productam, & emissam ex se repræsentantem solum obiectum, id quod falsum esset; tùm quia species hoc ipso, quod manasset ex sensatione extrinseca, necessariò illam aliquo modo simul repræsentaret; tum etiam quia gratis fingeretur, idem semper ab eodem simul produci, & modificari; cum ad vniformem, & vnicum effectum sufficiat vnica productio. Non ergo species impressa ab externa sensatione producta, indiget noua modificatione ad repræsentandum interius cum obiecto eandem sensationem, quam ex se semper repræsentat coniunctam cum illo.

Nec verum est, quod in confirmationem affertur, nempe per delectationem, & dolorem, quando ab intrinseca causa procedunt, nullum nobis proprium obiectum repræsentari,

sed

ſed tantùm ipſas ſenſationes extrinſecas per proprias ſpecies interius ſentiri. Quod vt aptius teneatur, fuſius aliquantulum erit explicandum. Etenim dolor, & delectatio ſiue ab intrinſeca, ſiue ab extrinſeca cauſa procedant, nunquam ſine interuentu primarum, ac ſenſibilium qualitatum poterunt exerceri. Omnis enim dolor formaliter, & immediatè, vel à ſola temperatura diſconuenienti, vel etiam à ſolutione continui tanquam à duobus obiectis pari diſcrimine, æqualiterq. tactum lædentibus, proficiſcitur; vt docet Auicenna cum Galeno, qui etiam diſſolutionem vnitatis explicat intrinſecus fieri, vel per corruptionem, vel per diſtenſionem, vel per compreſſionem alicuius partis; non tamen abſque aliqua diſtemperantia qualitatum, quæ cum repletione corrumpente, diſtendente, aut comprimente contriſtat. Per oppoſitum verò voluptatē omnem ab optima conſtitutione naturæ ſentientis, & operantis cum ſua vnitate circa conuenientiſſimum obiectum formaliter, & immediatè oriri, probatur ex Ariſtotele, qui poſtquam dixiſſet, in vnoquoque ſenſu, voluptatem eſſe: addit, conſtat autem, & maximè tamen cum ſenſus eſt præſtantiſſimus, & circa tale operatur; atque cum talia ſunt, ipſum ſenſibile, & id, quod ſentit, erit ſemper voluptas. Et rurſus ibidem præſtabiliſſimam in omni genere, ac iucundiſſimam vocat operationem eius, quod optimè diſpoſitum eſt ad id, quod eſt præſtabiliſſimum eorum, quæ ipſi obijciuntur. At obiecta ſenſibilia tactus formaliter conſtituuntur conuenientia, ac præſtabiliſſima per diſpoſitionem aptam primarum, aliarumq. ſenſibilium qualitatum: ergo non datur voluptas, neque ab intrinſeca, neque ab extrinſeca cauſa, quæ non ſit perceptiua alicuius ſibi proportionatæ qualitatis obiecti: Sicut e contra dolor, qui diſſolutionem continui, ac intemperantiam qualitatum non ſentiat.

Auicen. in 2. p. doctr. 2. cap. 19. & Galen. 4. de cauſis ſymptomatum, & 2. de locis affectis, & lib. de elementis ſecundum Hippocrat. mentem, & commentar. 2. in lib. eiuſdem de victus ratione in morbis acutis.

Lib. 10. ethicorum cap. 4.

Confirmatur, ac declaratur hoc magis, quia nunquam dolorem, aut voluptatem ab intrinſeca cauſa experimur abſque aliquo fluxu humoris interius permeantis, aut vaporis, quibus proximè ſenſorij temperamentum immutatur: accedentibus

dentibus etiam ſpirituum incurſionibus calorem excitantibus, & augentibus in ea parte, vbi dolor, vel delectatio exercetur. Vnde Hippocrates loquendo de humani corporis dolore ab intrinſeca cauſa: dolet, inquit, cum humorum quidpiam, aut minus, aut amplius fuerit, vel ab alijs ſeorſum conſtiterit, nec omnibus ſit contemperatum. Et paulò inferius addit. Rurſusq. ſi intro euacuetur, ſedemq. mutet, & ab alijs ſecernatur, duplicem dolorem inferet, & vnde egreſſus eſt, & vbi redundat. Igitur, ſiue praui humoris influxus, vel irruens eius vapor, corporis partem infeſtet, vt plerumque in omni capitis dolore, & vniuerſaliter in Iſchiade coxendico morbo, Podagra, & Arthritide, ſeu morbo articulari contingere, docet Galenus: ſiue placidus ſanguis, aut ſpermatis motio ex redundantia, neruuſculos, arteriasq. circum obſiſtentes demulceat: ſiue ſola qualitatum temperies voluptatem, aut dolorem efficiat; omnino tamen ſenſibile, ac tangibile aliquid interius fluens, ac vigens, mordenſque, vel oblectans non obſcurè ſentitur: diſcerniturq. tum ſanguinis, & humoris motio, aut repletio, tum eius qualitatis ſenſibilis intenſio, aut remiſſio. Ideoque Ariſtoteles vniuerſaliter loquendo, mutationem, ait, eſſe omnium dulciſſimum in voluptate, ſecundum Poetam. Et Galenus loquendo de dolore colico, inquit: vitreo quodam humore frigidiſſimo aliquando ſibi viſum eſſe talem in ſe ipſo ſenſiſſe dolorem, ac ſi terebro perforarentur inteſtina. Atque hinc rurſus experimur calorem, & frigiditatem, dolorem, aut voluptatem augere, vel minuere. Iuxta quæ Galenus, bilioſus, inquit, ſanguis multæ caliditatis ſenſum ægroto exhibet, & calefacientibus impoſitis exacerbatur, quemadmodum rurſus à frigidis relaxatur.

Lib. de nat. humana tex. 20.

Lib. 2. & 10. de compoſit. medicamentorũ per loca.

7. ethic. c. 14.

2. de loc. affect. cap. 5.

10. de compoſit. medicament. per loca.

Contingit autem ſenſum interiorem magis percipere ſenſationem voluptatis, aut doloris ex prædictis cauſis exortam, quàm obiecta ipſa, quę dolore, aut voluptate afficiunt. Sicut cum externe magnis caloribus æſtuati, leuem auram tantillum excipiendo, quam maximè recreamur, voluptatemq. percipimus, vix aduertendo contactũ ſpirantis aeris,

quo

quo corpus refrigeratur. Quod certè prouenit, quia huiuſmodi obiecta, vt plurimum non ſunt ſimplices qualitates, quæ ſeorſum diſcernantur, vt frigus, vel calor exteriùs; ſed conſiſtunt in quadam proportione, vel improportione temperamenti, quæ obſcurius, ac difficilius innoteſcit cognitione diſtincta. Nihilominus tamen, quemadmodum in armonia, licet id, quod præcipuè delectat, non dicantur ipſæ voces, vel ſoni ſinguli per ſe ſumpti; ſed concentus eorum, qui, quid ſit, fortaſſe vix percipitur ab intellectu; & hoc non tollit plura eſſe obiecta partialia, concurrunt ſub formalitate reſultantis concentus, ac verè ſentiuntur à nobis: ita quamuis obiectum, cui tribuitur delectare, vel dolore afficere, ſit ipſum tangibile conueniens, vel diſconueniens tactui; quod vt quid compoſitum eſt, difficile diſcernitur; plures tamen ſunt qualitates ſenſibiles cōcurrentes ad temperamentum illius, quarum ſingulæ ſentiuntur, ſicut voces ab auribus, licet non ſingulis tribuatur delectare, vel dolore afficere. Quod ſi per vnicam qualitatem tanta fiat interius exuperantia, vt ea ſola, pars aliqua infeſtetur; diſtinctè profectò, vt patet, obiectum cum ſenſatione diſcernetur. Nam vt docet Ariſtoteles, ſimile calidum, & frigidum, aut durum, & molle non ſentimus, ſed exuperantias. Concluditur ergo, nec obiectum extrinſecum ſine ſenſatione extrinſeca, nec ipſam ſenſationem ſine obiecto vnquam potentiæ interiori ſenſus repræſentari; ac proinde vtrumque ab illo concipi per eandem ſpeciem impreſſam.

2. de anima tex. 118.

Ceterum inquirendum remanet de actibus appetitus ſenſitiui, quo pacto etiam ipſi repræſententur. Et ſanè proprias ſpecies non emittere, ea fortaſſe ratio ſuadet, quod cum illos contemplamur, ſemper ad inſtar alterius concipimus. Amor enim, vel odium quando in mentem occurrunt, vel repræſentantur ſub ſpecie vocis, qua huiuſmodi actus proferuntur, vel ſub forma literarum, quibus eadem nomina inſcribuntur, vel denique ſub alia confuſa, & quaſi incerta ſpecie, vbi mens obtutum figere nequit, quia firmiter tenere non valet cuiuſnā rei ab exterioribus ſenſibus perceptæ amor

ſimilis

similis constituatur: qui alias per propriam similitudinem intellectui non innotescit. Cum itaque res cæteræ, vt obiecta sensuum externorum, quæ per proprias species sensui interiori repræsentantur, ab intellectu pariter distinctè, ac propriè concipiantur; indicium est, huiusmodi actus, qui secus concipiuntur, non per proprias, sed per alienas species, vel alia ratione repræsentari.

At oppositum asserere, alia nos cogit ratio eaq. manifesta. Quandoquidem discursus factus non militat, nisi aduersus repræsentationem abstractam ac præcisam, vt cum intellectus non considerat propriam inclinationem affectus, & appetitus, quam materialiter sentit, ac percipit interius; sed tantum contemplatur amorem, vt sic; Quod est præcisè sibi repræsentare naturam vniuersalem illius, cuius certè propriam speciem habere non potest, quemadmodum neque obiectorum ad sensus exteriores pertinentium. Nam eodem pacto dum præcisè consideramus candorem in se, quantitatem, vel motum, hæc omnia nobis offeruntur, sicut res spirituales per alienas species ad instar alterius, & in ordine ad aliud, vt verbi gratia quatenus candor est forma candidi; & rursus ipsam formam diuersimodè effingimus ad similitudinem alterius, & sic de cæteris.

Quod si loquamur de cognitione materiali, quam homo habet de proprio amore sensuali, de gaudio, seu fruitione intrinseca, qua delectatur appetitus; de odio, & auersione, quam sustinet; de metu, & animi angustia, quam patitur, & similibus: quis neget horum omnium actuum, ac passionum, proprias nos interius formare imagines, cum in præsentia actu fiunt in nobis huiusmodi motiones, rursumque cum eisdem postea recordamur? Non enim alioquin iracundiæ feruorem, concupiscentiæ faces, desiderij inhiatus, ac timoris conuulsiones & anxietates, tanta cum expressione sentiremus; nec dum ea ipsa recoluntur, tam vehementer nos de nouo afficerent, ac si rursus actu appetitus eadem pateretur. Vnde obseruat D. Augustinus, interdum homines simili memoria, aut cogitatione, vel illectos, vel territos, *Lib. 11. de Trinit. cap. 4.*

ritos, etiam eiuſmodi repente voces edidiſſe, quaſi re vera in medijs talibus actionibus, ſiue paſſionibus verſarentur. Mitto quos in ſomnis imaginamur motus appetitus, vix à veris diſcrepantes, qui tamen cum expergiſcimur, euaneſcunt. Cum igitur ex his liquidò conſtet, dari in ſenſu interiori proprias ſpecies expreſſas prædictorum actuum, ſeu paſſionum; apertè etiam conſtare debet, hoc fieri, mediantibus ſpeciebus impreſſis ab eiſdem actibus emiſſis: quandoquidem ſine illis elici nequeunt expreſſæ, præſertim propriæ, repræſentantes obiecta prout ſunt, & vt in propoſito contingere dictum eſt.

Singula obiecta per ſuas ſpecies, non autem per alienas poſſe repræſentari. Cap. V.



VM in ſuperioribus ſtabilitum ſit, multa ab interiori ſenſu perceptibila non eſſe, quia proprias ſpecies ad illum emittere non valent, quibus connaturali modo concipiantur; inquirendum hic eſt; Vtrum alio modo, perceptibilia ſint; nempe per ſpecies alienas, ſicut vniuerſalia ab intellectu concipiuntur per ſpecies particularium, & ſpiritualia per ſpecies corporalium.

Quod certè affirmare aliquibus non videtur improbabile, loquendo ſemper de rebus corporeis, & præſertim de ijs, quæ inter ſe naturalem quandam affinitatem videntur habere. Quid enim obſtat (inquiunt) vt ſimile in ſimili elucere non poſſit, vel cauſa aliqua in effectu, aut effectus in cauſa, & id genus alia? Confirmant, quia ſi verè poteſt ſenſus hominis interior circa ſingularia diſcurrere, vt eſt doctrina D. Thomæ infra ſuo loco explicanda; verè poteſt vnum ex alio inferre, ac proinde ex vnius ſpecie aliud quippiam, quod non nouerat agnoſcere.

Tract.4.c.11.

Verè tamen putandum eſt, vnumquodque à ſenſu interiori non niſi per propiam ſpeciem poſſe dignoſci. Idque bre-

breuissimè,& efficaciter ex eo probatur; nam quod per alienam speciem cognoscitur, concipitur ad instar alterius, & cum ordine ad illud; ita vt simul percipiatur similitudo quædam, vel analogia inter ipsa duo; ac insuper id, quod ita cognoscitur non esse illud, vel omnino tale, quale sese offert per speciem; alioquin non esset vera cognitio, sed deceptio. At hæc omnia fieri absque intellectu non probatur, propter formalem collationem, & reflexionem, quas inuoluunt. Siquidem dari non potest collatio, neque reflexio in sensu, vt cum cõmuni Philosophorum assensu docuit Proclus, & probat S. Thomas, magisque suo loco inferius constabit: Ergo remanet vt præfato modo, obiecta ab interiori sensu nullatenus cognoscantur. Rursus probatur, quia species propria vnius obiecti, per quam deuenimus in cognitionem alterius, non est species impressa, sed imago expressa, quæ & phantasma sensus interioris nuncupatur: hanc enim imaginem intellectus speculatur, vt docet Aristoteles, & ad instar obiecti per ipsam represẽtati, vniuersalia, ac spiritualia concipit, simul intelligendo non esse talia prout sibi repræsentantur. Siquidem intelligit vnum tanquam aliud, & non esse illud. Quapropter si sensus interior simili modo obiecta posset percipere, primo fieret, vt sua propria phantasmata specularetur per alia phantasmata, quod est, actum ipsius per actum cognosci ab eadem potẽtia in eodem tempore quamdiu durat, quod non tantum esset concedere in sensu veram, ac propriam reflexionem: sed perfectiori modo, quam in intellectu; qui tunc dicitur reflecti, cum elicitam à se prius cognitionem, qua rectè in obiectum tenderat, postea in se ipsum recurrens, illam contemplatur tanquam præteritam per speciẽ relictam: sensus autem internus contemplaretur cognitionem præsentem, quam eodem tempore elicit. Quod si dicatur, eandem sensationem esse posse cognitionem sui ipsius directè, & absque reflexione; etiam hoc erit falsum, quia nulla intellectio creata primò, ac directè, esse potest sui intellectio, vt docet S. Thomas, ergo multò minus sensatio, quæ materialis est cognitio. Tandem fieret

In 1. sent. vt. distin. 17. q. 1. art. 5. ad 3.

3. de anima tex. 38. & 39.

1. p. q. 87 art. 3.

fieret comparatio inter obiectum propriè repræsentatum, & aliud appræhensum ad modum istius. Quæ omnia, omnem sensus virtutem longè superant, atque excellunt.

Ad fundamentum in contrarium respondetur; quidquid in alio elucet propter naturalem affinitatem, aut similitudinem, non aliter cognosci, quam vel per illationem, inferendo vnum ex alio, vt causam ex effectu, aut effectum ex causa; vel per formalem cognitionem relationis, vt similitudinis illorum; quæ omnia pertinent ad intellectum. Quod si materialiter illa concipiantur per modum vnius etiam à sensu interiori; id intelligitur fieri per connexionem specierum, vtrumque simul appræhendendo, ita vt vnum quodque illorum per propriam speciem repræsentetur.

Ad confirmationem, negandum est, id quod de nouo cognoscitur in conclusione, cognosci per eandem speciem antecedentis, (quidquid sit de veritate illius opinionis) Nam vis illationis, quæ de vno nos ducit in cognitionem alterius, non fundatur in vnitate speciei impressæ, aut expressæ repræsentantis vtrumque: sed in connexione naturali vtriusque obiecti, nempè illius, quod præcognoscebatur, & eius, quod de nouo intellectus consequitur; quoniam verò naturali connexioni obiectorum correspondet etiam connexio specierum illorum; hinc est, ex vna propositionis obiectiuæ specie, quam tenebamus in antecedenti, excitari aliam connexam consequentis, quæ nouam nobis propositionem obiectiuam exhibet, quod est vnumquodque per suam speciem repræsentari.

TRA-

TRACTATIO QVARTA
De Actibus, seu sensationibus sensus interioris.

POST obiectum, eiusq. modum, quo constituitur perceptibile, ad actus peruestigandos accedere necesse est, per quos immediatius potentia specificanda, ac essentialiter dignoscenda erit iuxta doctrinam Aristotelis. Actus enim (ait ille) priores sunt potentijs secundum rationem, ac propterea prius dicendum est (inquit) quid sit sentire, vel intelligere, quàm quid sit sensitiuum, aut intellectiuum, quorum adhuc prius obiecta oportet considerasse. Peruestigatis igitur obiectis, de natura hic internarum sensationum, seu de huiusmodi actibus in communi, statimq. de multiplicitate, ac varietate illorum sequitur inuestigandum, vt gradatim ac ordinatè incedendo, clarius ac distinctius veritas in omnibus patescat.

2 de anima tex. 33.

Quid sit sensatio interna. Cap. I.

SICVT in rerum natura dari proprias, ac veras sensationes sensus interioris, nemo ferè vnquam negauit, planumq. fit omnibus ex his, quæ dicta sunt supra in principio; ita quid sit ipsum sentire interius, seu interna sensatio, formaliter loquendo, non satis apud omnes constat Auctores. Multi enim vniuersaliter de omni sensatione astruunt, illam esse quoddam pati, quod in receptione speciei ab obiecto constituunt, vt infra commodius explicabitur. Alij verò efficientiam quandam sensibus, ac quibuscumque potentijs cognoscitiuis in actu cognitionis tribuentes, vehementer

diſſident, inquirendo, num ipſa cognitio formaliter ſit actio, ſeu operatio potentiæ cognoſcitiuæ de prædicamento actionis; an verò qualitas reſultans ex eadem potentia ad modum actionis, nulla via interiecta, ſed per ſimplicem emanationem; ac tandem ſit quidem qualitas repræſentatiua obiecti, expreſſa tamen per propriam actionem reſpectu cuius habeat rationem termini: Non enim per alia genera vagando, entitas cognitionis eſſet indaganda, cum alioquin omnes conueniant in conceptu illo confuſo, nimirum quod eſt illam eſſe attingentiam quandam, & repreſentationē obiecti.

Omiſſis autem ijs, quæ vel ad quæſtionem valde genericam ſpectare videntur, vel ad doctrinæ complementum apud plures Recentiores ex profeſſo reperiuntur extenſa; Stabiliēdum primò eſt, in actu ſenſationis internæ neceſſario interuenire qualitatem quandam de genere diſpoſitionis, quæ ſit formalis imago, ac repræſentatio obiecti. Hæc doctrina eſt D. Thomæ docentis in actibus ſenſuum internorum dari aliquid proportionale verbo mentis; quod eſt in intellectu ſpecies expreſſa. Idemq. in terminis aſſerunt ferè omnes Thomiſtæ, & conſequēter à paritate idipſum aſſerere debet quiſquis productionem verbi in intellectione concedit cum Auguſtino, Anſelmo, ac cæteris communiter Doctoribus, ac ſanctis Patribus. Vnde eſt illud Anſelmi. Quamcumque rem mens, ſiue per corporis imaginationem, ſiue per rationem cupit veraciter cogitare, eius vtique ſimilitudinem quantum valet in ſua ipſa cogitatione, conatur exprimere, quod quanto verius facit, tantò rem ipſam verius cogitat. Quod ſanè Auguſtinus exemplificare non deſtitit; ait enim inter alia: Alexandriam cum eloqui volo, quam nunquam vidi, præſto eſt apud me phantaſma eius; Cum enim à multis audiſſem, & credidiſſem magnam eſſe illam Vrbem, ſicut mihi narrari potuit, finxi animo meo imaginem eius, quam potui, & hoc eſt apud me verbum eius. Quam tamen imaginem, ſi ex animo meo proferre poſſem ad oculos hominum, qui Alexandriam nouerunt, profectò, aut omnes dicerent, non eſt ipſa, aut ſi dicerent, ipſa eſt, multum mirarer &c.

1.p.q.85.art.2. ad 3. & Quodlibet.3. artic.9. ad 2.

Capreo. in 1. diſt. 27.q.2.

Herue. tract. de verbo q.2. art. 1. & 2.

Caiet. 1.p.q.27. art.1. ad 4. dubium.

Ferrar. 1. contra gen. cap.13. & 4.c.13.

In Monologio cap.31.

8. de Trinit c.6.

Hæc ille, qui rursus expresse docet in actu recordationis, & phantasiæ, cum animus cogitat speciem visi corporis, duas ibi similitudines interuenire, nempe similitudinem corporis, quam memoria tenet, & quæ ex ea inde exprimitur, vt formetur acies recordantis. *11. de Trinit. cap. 3.*

Ratione verò probatur; nam per sensationem internam, sicut per quamlibet cognitionem, fit assimilatio quædam cognitoris cum cognito, vt communis est Philosophorum consensus cum Aristotele, qui idcirco, inquit, animam entia quodammodo esse omnia; aut enim sunt sensibilia ea quæ sunt, aut intelligibilia: est autem scientia quidem (scilicet in actu) scibilia quodammodo, sensus autem sensibilia. Et supra dixerat, potentiam intellectiuam esse quodammodo intelligibilia, sed non antequam intelligat, sicut tabula, in qua nihil adhuc actu est depictum. Quò etiam spectat illud Augustini: tunc fore perfectam Dei similitudinem in mente hominis, cum fuerit perfecta Dei cognitio, & clara visio, iuxta illud: Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Quia videmus nunc per speculum in ænigmate, aiebat Paulus: tunc autem facie ad faciem. Et hic reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur, ait idem Apostolus, quem locum ibid. citat Augustinus. At huiusmodi assimilatio cognitoris cum cognito, qua dicuntur fieri vnum in ipso actu cognoscendi, fundari non potest nisi in forma aliqua, seu imagine expressa, qua actu interius referatur, seu repræsentetur obiectum tanquam in speculo, vt ipsemet Aristoteles ibidem subnectit, modum explicans, quo scientia dicatur esse scibilia, sensus autem sensibilia. (Necesse enim est (inquit) aut ipsas res, aut formas esse: ipsas autem non; non enim lapis in anima est, sed forma.) Ergo in actu sensationis internæ, sicut in cæteris cognitionibus, verè datur in cognoscente talis imago, qua veluti indutus cognitor, assimilatur obiecto, & hæc erit formalis repræsentatio illius. *3. de anima tex. 37.* *3. de anima tex. 15.* *14. de Trinit. cap. 17.* *Prima Ioan. 3.* *1. Cor. 13.* *2. Corin. 3.* *3. de anima tex. 38.*

Quod autem hæc forma, seu species expressa, sit in ge-

nere diſpoſitionis de prædicamento qualitatis; patet apertè ex communi Doctorum ſententia, quia bene, vel male ſubiectum afficit, ac diſponit ad operandum. Nam hominis opera nulla ſunt, ait Auguſtinus, quæ non prius dicantur in corde. Vnde ſcriptum eſt, inquit. Initium omnis operis verbum. Quæ licet de verbo mentis principaliter intelligantur; eandem tamen rationem habent in eo, quod verbo reſpondet in ſenſu interiori, ac ſine quo verbum mentis non exprimitur, quia intellectus non niſi ſpecies expreſſas ſenſus interioris, ſeu phantaſmata ſpeculatur. Deinde, quia talis forma, quæ verbo reſpondet, adeo eſt facile mobilis à ſubiecto, vt ſtatim genita euaneſcat, vt notat idem Auguſtinus his verbis: Cum autem cogitantis acies auerſa inde fuerit, atque id, quod in memoria cernebatur, deſtiterit intueri, nihil formæ, quæ impreſſa erat, in eadem acie remanebit. Igitur huiuſmodi forma verè, ac propriè eſt diſpoſitio de prædicamento qualitatis.

1[5]. de Trinit. cap. 12.
Eccl. 3[7].
Lib 11. de Trin. cap. 3.

Inquirendum verò ſequitur vtrum ſenſatio, formaliter conſtituatur in huiuſmodi qualitate expreſſa; an verò in actione aliqua, per quam ipſa producatur. Quod quidem magnopere agitatur apud Scriptores, tã Philoſophos, quam Theologos, agendo de intellectione. Nam quod nonnulli contendebant, ſenſationem quamlibet, omnemq. cognitionem, formaliter eſſe veram, ac propriam actionem, per quam nihil producatur; & hoc eſſe de ratione cuiuſlibet actionis immanentis; iam communiter reiectum eſt, tum quia conſtat in cognitione produci ſpeciem expreſſam, quam modo explicauimus; tum etiam, quia repugnat dari actionem in rerum natura ſine termino, ad quem omnis actio eſſentialiter ordinatur. Tantum ergo alij probabiliter aſſerunt, cognitionem formaliter conſtitui quidem in actione, eam tamen eſſe productionem Verbi, ſeu explicatæ qualitatis, quæ dicitur ſpecies expreſſa, & ita ſentire videtur S.Thomas pluribus in locis, quẽ ſequuntur nonnulli Thomiſtæ. Idq. ſumunt ex cõmuni modo loquendi, & conceptu omnium Philoſophorum, qui cognitionẽ quãlibet vocant actio-

S.Thom. q. 4. de veritate art. 2. et 1. p. q. 34. ar. 1
Bagn. 1. p. q. 27. ar. 1. dub. 2. et 3.

nem

nem immanentem, eamq. condistinguunt ab actione transeunte in prædicamento actionis. Deinde confirmant ex Aristotele, qui intellectionem sæpe vocat actionem; & rursus constituit fœlicitatem in contemplatione, quæ est intellectio, cum prius dixisset fœlicitatem non esse qualitatem. Addunt aliqui Theologi, quod si cognoscere, aut appetere formaliter non esset ipsa productio qualitatis, sed qualitas producta; posset Deus se solo producere illam qualitatem in lapide; nam quidquid efficienter producit cum causa secunda, se solo potest producere, ac proinde posset constituere lapidem formaliter intelligentem, & appetentem, quod est absurdum, & ab omnibus reijcitur.

Lib. 3. de anima cap. 4. & 12. Met. tex. 13. 10. ethic. c. 7. 10. eth. c. 5.

Multo tamen probabilius censendum est, sensationem internam, omnemq. aliam cognitionem formaliter constitui in ipsamet qualitate producta, quæ dicitur species expressa: quidquid sit de distinctione productionis ab ipsa. Ita sentit Scotus, & eius sectatores communiter, diciturq. communis sententia Thomistarũ. Et probari potest ex Aristotele lib. 3. de anima; nam text. 18. docens quomodo intellectus fiat omnia in actu, quo ipsa intelligit, nempe per assimilationem, vt supra explicauimus; tex. 20. addit idem esse scientiam secundum actum cum re ipsa, quam percipit. Cum igitur identitas, de qua loquitur, sit penes similitudinem cum obiecto; similitudo verò non in actione productiua, sed in ipso verbo producto inueniatur; sequitur Aristotelem per scientiam secundum actum, quæ est intellectio, intelligere ipsum verbum mentis scientificum, quod idem fit cum scibili per similitudinem. Deinde, nam textu 28. docet sentire, & intelligere non esse propriè motus, ea scilicet ratione, qua ipse motum definierat, actum imperfecti, seu entis in potentia, prout in potentia: sed potius esse actus entis perfecti: ac si diceret, formaliter non consistere in fieri, sed esse formas in facto esse, nempe qualitates, quæ dicuntur species expressæ; per quas tamen subiectum dicitur moueri lato modo, & alia specie motus, quemadmodum per quamlibet formam, quam de nouo acquirit, quia per illam aliter se

Scot. in 1. dist. 3. q. 6. & quodlib. 13. art. 6. Gandau. quodlib. 11. q. 3. Ochã q. 2. Geruas. de Netitijs, agens de cõcursu potentiæ ad notitiam. Gabr. in 1. dist. 3. q. 2. Duran. etiam in 1. distin. 27. q. 2. Capreol. in 2. dist. 1. q. 2. art. 3. ad 12. Ferrar. 2. contra gent. c. 9. Herue. quodlib. 2. q. 8. Caiet. 1. p. q. 79. art. 2. Soncin. 9. met. q. 21. Iauell. ibid. q. 7. Rada cõtrou. 7.

 habet.

S.Tho.1.p.q.18. art.1. habet. Et in hunc ſenſum S. Thomas interpretatur prædi-ctum locum Ariſtotelis. Confirmatur, nam tex.38. ait, ſen-ſum ſecundum actum, eſſe formam ſenſibilium, ſecundum quam formam dixerat, cognoſcens fieri vnum cum cognito: Itaque ſentit actum cognitionis eſſe talem formam, ſeu qualitatem expreſſam, in qua cognitor conuenit cum obiecto per ſimilitudinem. Item 2. de anima tex.57. ſic ait, ſpeculans enim fit habens ſcientiam, quod quidem, aut non eſt alterari (in ipſum enim additio eſt, & in actum) aut alterum genus alterationis eſt. Si ergo ſcientia apud Ariſtotelem eſſet actio, per quam fit talis additio, nempe qualitatis expreſſæ, diceretur vera, & propria alteratio. Rurſus tex.59. docet, ſenſitiuum habere ſicut ſcientiam ipſum ſentire, quod ſecundum actum, eſt ſimiliter dici, atque ſpeculari. Si igitur ſcientia ſecundum actum, ſpeculari, ac ſentire apud Ariſtotelem non eſſent qualitates, ſed actiones, non dicerentur haberi, ſed eſſe ipſum fieri formarum, quæ poſtea habentur tanquam ſimilitudines expreſſæ obiectorum, nec ſcientia diceretur eſſe quodammodo ſcibilia tex. 37. propter ſimilitudinem. Nam forma ſeu verbum, & non actio, per quam producitur, aſſimilatur ſcibili. Quare tex.62. concludit ſenſitiuum in potentia eſſe tale, quale iam actu eſt obiectum ſenſibile; quando verò paſſum eſt (per receptionem ſcilicet ſpeciei, aut verbi) tunc aſſimilatum eſſe, & eſſe quale illud, nempe obiectum ſenſibile. Cumq. Ariſtoteles in Cathegoria non niſi per formam, qua res dicuntur quales, definiat qualitatem, apertè ſequitur imaginem illam, ſeu formam productam, per quam ſenſitiuum in actu aſſimilatur ſenſibili, & in qua conſiſtit ipſum ſentire, in eius doctrina, non eſſe niſi qualitatem.

Tandem præclarũ teſtimonium Ariſtotelis habetur lib.3. de anima tex. 39. vbi Philoſophus poſtquam dixiſſet: qui non ſentit aliquid, nihil vtique addiſcet, nec intelliget; & cum ſpeculetur, neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod ſpeculari, ſtatim addit, phantaſmata autem velut ſenſibilia ſunt. Et vt paulò inferius patet ex contextu, ſenſuq. verborum:

per

per phantaſmata intelligit ſenſationes phantaſtici,ſeu ſenſus interioris. Quærit enim in fine eiuſdem textus, vtrum phantaſmata ſint primæ intellectiones, vel in quo differant. Cum itaque conditiones, quæ de phantaſmatibus ab illo explicantur, non actionibus, ſed ſpeciebus expreſſis tantummodo poſſint conuenire, vt hoc, quod eſt ipſis ſenſibilibus aſſimilari,ſeu eſſe tanquam ſenſibilia,planè ſequitur phantaſmata, ſeu ſenſationes internas, non in actionibus, ſed in ſpeciebus ipſis expreſſis conſiſtere in doctrina Ariſtotelis.

Ex Patribus autem diſertiſſimè hanc opinionem docuit Anſelmus inquiens: Negari nulla ratione poteſt, cum mens rationalis ſe ipſam cogitando intelligit, imaginem ipſius in ſua cogitatione naſci, imo ipſam cogitationem ſui, eſſe imaginem ad ſui ſimilitudinem tanquam ex impreſſione formatam. Deinde Auguſtinus paſſim notitiam veracem in interiori verbo conſtituit: Et rurſus, vox (inquit) & ſonus, index eſt cogitationis, verbum vero ipſa cogitatio. Quod tandem clarius alibi confirmat exemplo adducto de imaginatione Carthaginis, inquiens: Ipſa enim phantaſia eius in memoria mea, verbum eius non ſonus iſte triſyllabus, cum Carthago nominatur; vel etiam cum tacitè nomen ipſum per ſpatia temporum cogitatur, ſed illud, quod in animo meo cerno, cum hoc triſyllabum voce profero, vel antequam proferam.

In Monolog. c. 31.
9. de Trinit. c. 7.
Serm. de natiuit. Ioan. Baptiſtæ.
Lib. 8. de Trin. cap. 6.

Ratione vero probatur primò, cognitionem formaliter conſtitui non poſſe in actione productiua verbi, ſeu ſpeciei expreſſæ (ſi qua talis actio diſtincta daretur) Nam obiectum non percipitur antequam repræſentetur; repræſentatur autem per verbum, ſeu imaginem expreſſam: ergo non percipitur per expreſſionem ipſam,ſeu productionem verbi, quæ eſt ante Verbum. Maior eſt per ſe nota, quia non antea, ſed tunc verè dicimur aliquid percipere, & imaginari, cum illud intus quaſi ante oculos habemus. Minor verò probatur; nam idipſum eſt, per quod obiectum repræſentatur, & per quod vltimò, & formaliter potentia vnitur cum illo, eique aſſimilatur, quodque immediatam, & eſſentialem

dicit habitudinem ad ipsum repræsentatum tanquam formalis attingentia illius; sed hoc aliud esse non potest, nisi imago ipsa expressiua obiecti, vt clarius infra patebit: Ergo in illo priori saltem naturæ, quando imago est in fieri, & adhuc non expressa, nec repræsentari potest, nec percipi obiectum. Confirmatur, & declaratur magis: Nam sicut Cæsar, verbi gratia, non repræsentatur, nec percipitur per actum, quo statuarius saxum cædendo, statuam sculpit; sed per ipsam sculptam iam statuam, in qua eius elucet similitudo: Ita quodlibet obiectum non repræsentatur sensui interiori, nec percipitur per productionem imaginis, antequam intelligatur expressa imago, sed per illam in facto esse, qua postea, veluti indutus sensus interior adhæret, & assimilatur obiecto, in quod fertur. Quamuis exemplum non conueniat in eo, quod statua non nisi, vt cognita ducat in cognitionem Cæsaris; imago verò intentionalis, etiamsi non cognoscatur in se, tamen sit ratio cognoscendi obiectum.

Deinde probatur, cognitionem internam formaliter consistere in ipso Verbo interiori. Nam loquutio externa signum est loquutionis, seu cognitionis internæ, iuxta illud
15. de Trinit. c. 11. Augustini. Verbum quod foris sonat, signum est verbi, quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen. Vnde apud Græcos λόγος, sermonem, & rationem significat. At sonus verborum, seu loquutio externa formaliter non significat actionem, & productionem, qua generatur verbum interius: sed potius ipsum verbum, aut plura verba interius prolata: Ergo loquutio, seu cognitio interna, non est actio productiua verbi, sed ipsum verbum, quod interius profer-
1. Periherm. c. 1. tur. Corroboratur, nam præsertim ex doctrina Aristotelis loquutiones, seu cognitiones internæ sunt similitudines rerũ cognitarum, eodem pacto, quo ea, quæ sunt in voce, notæ dicuntur ipsarum cognitionũ, seu passionum, quæ sunt in animo. Vnde quia res à nobis conceptas in mediũ afferre non possumus, substituuntur verba loco conceptuum. Cum igitur esse similitudines rerum cognitarum, ac foris notari per ea, quæ sunt in voce; non actionibus, aut productionibus

ver-

verborum, sed ipsis dumtaxat competat verbis internis; sequitur nec tales actiones, sed ipsa verba interius prolata constituere loquutiones, seu cognitiones internas.

Dicet tamen aliquis, loquutionem in genere sumi posse, vel pro collectione plurium syllabarum, aut verborum sibi succedentium, ex quibus oratio, & sermo constituitur: vel pro ipso actu dicendi, & verba proferendi. Vnde qui loquitur, dicitur verba facere. Ac in prima quidem acceptione, loquutionem internam esse ipsa verba interius prolata; In secunda verò, esse ipsam productionem verborum.

Sed si attentius res consideretur, quamuis per intellectum prima facie concipiatur tanquam quid aliud prolatio verbi, seu actus dicendi verbum, ab ipso verbo, quod dicitur, & profertur: Nihilominus à parte rei, ea non reperiuntur distincta, neque in loquutione interna, neque in externa; Nam agendo de loquutione externa, sicut ipsum dicere, ac verba facere, ita verba ipsa prolata necessariò semper important significationem. Non enim vox, neque omnis emissio vocis, est dicere, aut verbum; neque motus labiorum, & linguæ; neque etiam si adsit in voce dearticulatio, vt in Psitacis, sed amplius requiritur significatio interioris conceptus. Nam hoc vno præstamus, vel maximè feris (ait Cicero) quod colloquimur inter nos, & exprimere dicendo sensa possumus. At huiusmodi expressio, & significatio non nisi in ipsa successiua, ac veluti artificiosa prolatione vocis consistit, dum vna vox post aliam quasi artificiosè emittitur diuersimodè ad placitum; sicut etiam nutus, qui consistit in fieri, ac successiuè, & ad placitum significat. Siquidem eodem pacto illa auribus, iste oculis exhibetur ad perferendam his, quibus loquimur, notitiam rei significatæ: Et vt per signa corporalia, etiam corporis sensibus, verbum, quod mente gerimus innotescat: ait Augustinus; Ergo verbum non est aliquid ab ipsa prolatione vocis, seu dictione distinctum, quamuis concipiatur, vt terminus illius. Nec obstat phrasis illa Latina, qua dicimur verba facere, aut proferre; nam etiam est alia, qua idem significamus per hoc, quod est

1. de oratore.

15. de Trinit. c. 10.

verbo

verbo dicere, aut exprimere, seu verbis disserere, vt videre est apud Ciceronem epist. 186. idemq. est sententijs dicere, vt ad Atticum lib. 4. & iuxta illud Centurionis Matth. 8. Dic verbo, & sanabitur puer &c. quamuis ibi verbum inuoluat etiam voluntatem. In quibus loquutionibus verbum sumi videtur tanquam instrumentum dictionis, & non tanquam terminus productus per illam. Quamuis igitur modò concipiatur vt terminus, modò verò, vt instrumentum dictionis, neutrum tamen est verum, vt ex dictis iam patet, cum sit ipsa vocis dearticulata ac significatiua prolatio, quæ dicitur etiam Dictio.

Quod si loquamur de ipso dicere interiori, multò minus erit à verbo distinctum; nam dicere, etiam in opinione illorum, qui arbitrantur esse actionem, appræhenditur tanquam motus significatiuus, & re vera apud omnes communiter idem est interius, seu mente dicere, quod cogitare, vel cogitatio. Cogitatio autem inuoluit significationem rei con-
Sapien. c. 2. ceptæ, quæ cogitatur. Vnde est illud Sapientiæ: Dixerunt
15. de Trinit. cap. 10. apud se cogitantes non rectè. Vbi Augustinus: Exposuit (inquit) quid sit, dixerunt apud se, cum addidit, cogitan-
Matth. c. 9. tes, & huic simile est (subiungit) in Euangelio Matthæi: Quod illi Scribæ cum audissent à Domino dictum; Remittuntur tibi peccata tua, dixerunt intra se: hic blasphemat. Dicere enim illorum erat cogitare, ac significare blasphemiam, quam falso ei tribuebant. Quare sequitur, & cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris; Illud ergo dicere, erat cogitare, ac significare hæc mala. Habemus itaque idem esse dicere, & cogitare, & vtrumque significationem includere. At significatio non competit actioni, qua producitur species illa expressa, seu similitudo, sed potius ipsi similitudini, vt probatum est: ergo dicere, cogitare mente, seu internè loqui, & concipere, idem sunt à parte rei cum ipsis conceptibus, ac speciebus expressis, seu verbis prolatis, prout concipiuntur in fieri ad modum verarum, ac realium actionum.

Denique ratio à priori totius conclusionis vnica, & breuissima

uissima est. Nam per hoc animal cognoscit, ac sentit, per quod formaliter obiectum attingit; attingit autem illud formaliter per speciem expressam: Ergo per eandem cognoscit, ac sentit. Minor probatur primò, nam species expressa hoc ipso, quod imago est, necessariò inuoluit repræsentationem formalem prototypi, quod est obiectum, & ad quod dicit essentialem respectum; sed idem est à parte rei formaliter sibi repræsentare obiectum, ac illud secundum cognitionem attingere: ergo species expressa est id, per quod obiectum repræsentatur, & formaliter attingitur. Confirmatur, quia nisi per imaginem expressam, fomaliter animal attingeret, ac sibi repræsentaret obiectum, nullus esset effectus formalis imaginis, vt imago est, nec per illam potentia vniretur, & assimilaretur obiecto. Vnde frustra diceretur imago, & absque fundamento, quandoquidem vt talis, nec cognosceretur in se, nec esset ratio cognoscendi aliud.

Ad primum verò fundamentum asserentium, cognitionem esse actionem productiuam imaginis expressæ, respondetur cum Scoto, cognitiones omnes ab Aristotele, ac reliquis auctoribus sæpe vocari actiones immanentes, non quia veræ actiones sint, sed propter similitudinem, quam habent cum actionibus propriè dictis. Quæ similitudo suo loco infra explicabitur. *In 1. dist. 3. q. 6.* *Cap. 3. huius Tract.*

Ad confirmationem respondendum est, Aristotelem dixisse, neque fœlicitatem, neque virtutis operationes esse qualitates eo modo, quo voluptas non est ex qualitatibus. Quod sanè in eius doctrina verificari non potest, nisi de qualitatibus permanentibus, quæ sunt difficile mobiles à subiecto, ac stabile, vt perfectum semper quodam esse includunt. Respondebat enim Philosophis, qui dicebant, voluptatem non esse bonam, quia indefinita est suscipiens magis, & minus, & in motione imperfecta est. Bonum verò definitum esse, ac semper eodem modo perfectum. Ait autem idem in iustitia, & in reliquis virtutibus euenire, vt & iustè, & temperanter, magis, & minus agamus: & nihilominus hæ bonæ sunt. Imò subiungit, etiam sanitas, quæ definita est, admittit, vt esse *10. ethic. c. 3.*

magis


10. ethic. c. 4. magis, ac minus possit. Postea verò concludit voluptatem esse aliquid, quod afficit sensum in operationem tamquam finis super exoriens, perinde atque venustas ijs, qui in flore ætatis constituti sunt, quousq; sensibile vel intelligibile, & id, quod iudicat, vel contemplatur, tale fuerit, quale esse debet. Quæ omnia non nisi de qualitate possunt verificari. Rursus, quia ibidem negat voluptatem esse generationem aliquam, aut motionem, aut aliquid, quod non sit totum simul: sed ait esse sensum cum bene affectus est erga optimum eorum, quæ illi obijciuntur, quippe cum (inquit) & visiones, & auditiones esse iucundas dicamus.

Ex his igitur rectè philosophando, quæ ab ipsomet dicta notauimus, dicendum est, Aristotelem non negasse fœlicitatem esse simpliciter qualitatem, sed talem dumtaxat, qualem negat esse voluptatem, vt explicuimus; Nam re vera neque fœlicitas, neque voluptas ex se est qualitas permanens, aut mera qualitas, vt ita dicamus, sine virtuali quadam ratione operationis, quatenus vtraque sic afficiat subiectum, vt faciat illud tendere in obiectum, & actu operans denominari. Quod si Aristoteles fœlicitatem in contemplatione constituat, & contemplationem sæpe numero intellectus operationem appellet, intelligendum est iuxta sensum explicatum, quo nos etiam frequenter loquuti sumus, & vt distinguatur opus virtutis, siue intellectus ab habitu illius, vt ex doctrina eiusdem Philosophi inferius tradita, licet colligere. (Cap. 6. eiusdem lib. 10. ethic.)

Ad argumentum verò illorum Theologorum respondetur, negando sequelam, nam adhuc si cognitio constituatur in qualitate, eodem modo remanet impossibile, vt lapis etiam supernaturaliter possit illam participare, vt infra explicabitur. (Cap. 3. huius Tract.)

In quo

In quo nam propriè consistat formalis repræsentatio obiecti, & ratio imaginis in sensatione interna. Cap. II.



X his, qui speciem expressam admittunt, nemo vnquam negauit, illam esse qualitatem repræsentatiuam obiecti; non parum tamen dissident in explicanda ipsa repræsentatione, in quo præcisè consistat, & quomodo fiat. Etenim vitaliter sibi repræsentare obiectum, ex vno capite, idem videtur, quod illud per cognitionem attingere; ex alio verò capite repræsentatio quidem imagini, non autem attingentia videtur competere. Quamobrem, qui sensationem constituunt in actione productiua imaginis; vel asserunt repræsentationem distingui ab attingentia, ac repræsentationem propriè fieri per speciem expressam tanquam per imaginem depictam ex se referentem obiectum: attingentiam verò, seu cognitionē formalem in ipsa expressione imaginis, & actione consistere: vel vtrumque simul compræhendendo, inquiunt, sicut passum attingitur ab agente, verbi gratia, per calefactionem, & calorem productum in illo; ita obiectum attingi secundum cognitionem, ac repræsentari per actum cognitionis simul, & imaginem productam per illum tanquam per terminum actionis.

At primus dicendi modus non potest subsistere, quia vt supra ostendimus, si prius attingeretur obiectum per cognitionem, quàm repræsentaretur, superuacanea omnino esset repræsentatio, quæ tantum ponitur, vt obiectum cognoscatur.

Secundus verò, maximam improprietatem, ac disparitaritatem inuoluit, cum supponat repræsentationem formalem obiecti consistere etiam in actione, qua eius imago producitur, quia vel eadem repræsentatio constitueretur ex rebus diuersorum prædicamentorum, nempe ex actione, & qualitate,

tate,

tate; vel esset duplex repræsentatio formalis, vna in fieri, altera verò in facto esse, quod & falsum est, & exemplo adducto omnino repugnat; nam passum, proximè & realiter attingitur per calorem productum in genere causæ formalis, & per calefactionem in genere causæ efficientis. Obiectum autem cognitum, formaliter quidem exprimitur, seu repræsentatur per imaginem eius productam; per actionem verò productiuam imaginis, non nisi efficienter ac remotè satis, & impropriè deberet repræsentari.

Deinde retorqueri posset idem exemplum in contrarium. Nam sicut constituere calidum formaliter, non pendet nisi ab ipsa qualitate caloris; licet enim efficienter, ac remotè dicatur etiam pendere ab actione calefactiua, qua calor fuit productus, vel conseruatur; formaliter tamen, & proximè non pendet nisi à calore; ita constituere obiectum repræsentatum, seu in conspectu interiori cognoscentis positum, tantùm pendere potest formaliter ab ipsa qualitate imaginis productæ, quamuis imago ipsa per actionem distinctam produceretur, sicut calor per calefactionem.

Capr. in 1. dist. 27. q. 2. Ferrar. 1. cont. gen. c. 53. & lib. 4. cap. 13. Caiet. 1. par. q. 27. art. 1. Torres ibid. disput. 3. & 5.

Rursus autem ex his, qui supponunt, huiusmodi repræsentationem formaliter tantum fieri per imaginem productam; Alij existimant prius imaginem terminare cognitionem per se immediatè, ac deinde tanquam quid cognitum sub ratione imaginis, vlterius nos ducere in cognitionem obiecti principalis, quemadmodum pictura, vel statua. Alij verò arbitrantur imaginem ipsam non cognosci in se, perficere tamen repræsentationem obiecti tanquam terminum cognitionis, seu esse id, per quod obiectum cognitum, cum sit absens, videtur esse præsens, & in conspectu ponitur, quod est repræsentari.

Et quidem, imaginem ipsam in se cognosci, & vt cognitam vlterius nobis repræsentare obiectum, ea potissimum ratio suadet; quia realis cognitio, realem ac præsentem terminum debet habere, quem inspiciat: sed obiectum principale sæpe est fictitium, & chimera, sæpissimè verò, & vt plurimum abest, ergo non semper rationem termini posset

habere,

habere, atque adeo nec cum fictitium est, vel absens posset cognosci, quod est contra experientiam. Quare dicendum videtur, interiorem cognitionem proximè, & realiter terminari in præsentem imaginem, quæ postea vt cognita nobis repræsentet obiectum, licet à parte rei, per eundem actum cognoscatur imago, & id cuius est imago, iuxta doctrinam Aristotelis cap. 2. de mem. & reminisc.

Accedit modus loquendi omnium Philosophorum, qui species expressas cõmuni consensu vocant imagines, id quod valde impropriè diceretur, nisi ad modum imaginis nos ducerent in cognitionem obiecti, nempe tanquam prius cognitæ. Alioquin si sufficeret aliquo modo esse rationem cognoscendi, omnia instrumenta, & media, quæ deseruiunt ad cognitionem, dicerentur imagines.

Dicendum tamen primò est, speciem expressam, in qua sensationem constituimus, non repræsentare obiectum secundum rationem imaginis, quæ prius cognoscatur, neque illam, vt imago est, à nobis vnquam sentiri. Id, quod, si non esset aliud argumentum, sola experientiæ simplici obseruatione sufficientissimè probaretur: quandoquidem dum circa aliquid imaginatione versamur; nullam intus imaginem intuemur, ad cuius similitudinem postea obiectum concipiamus, sed immediatè, ac directè cognitio tantùm tendit in id quod principaliter nobis repræsentatur, illudque simpliciter percipimus, prout est, vel putamus esse, aut fore cum suis circumstantijs à parte rei, ac si oculis idem pariter spectaremus, vt sibi contingere aiebat Augustinus, dum intus in memoria spatijs tam ingentibus montes, & fluctus, & flumina, & sydera, & Oceanum, quod credebat, quasi foris videret. *Lib. 10. confess. cap. 8.*

Quod si vtrumque simul, imago scilicet, & obiectum principale, repræsentaretur, licet per eundem actum formalem, omnino tamen duæ rationes obiectiuæ deberent actum ipsum terminare; nempe speciei, vt imago est, & obiecti principalis in se, ac proinde satis discernerentur ab inuicem, quia siue per eundem, siue per diuersum actum, nunquam latere

potest

poteſt cognitorem id,quod ſub peculiari ratione cognoſcit. Hinc autem eſt, vt cum nobis aliquid magnum, prout eſt in ſe, vt verbi gratia, mare, terrarum orbis, nubila,cœlum, aut ſimile quidpiam vaſtum, & grande per imaginem paruæ icunculæ, aut picturæ repræſentatur, ſimul nos intueamur paruum, & appræhendamus magnum ex cognitione præhabita. At in propoſito intus nos non percipimus paruum, vt paruum, ſed vnico, ac ſimplici intuitu potentia fertur in magnum. Ergo nullo modo dicendum eſt, imaginem præcognoſci.

Confirmatur, quia tota ratio repræſentationis obiecti, quæ reperitur in imagine prius cognita, fundatur in ſimilitudine aliqua,quam ipſa includit reſpectu illius ſecundum nonnulla prædicata, in quibus conueniunt, vt in figura, colore, aut magnitudine, & alijs, quæ de vtroque cognoſcuntur tanquam communia. Sed neque colorem, neque magnitudinem, neque figuram, neque locum, neque aliud quidpiam imaginis interioris cognoſcimus; ergo non adeſt fundamentum, vt talis imago eſſe poſſit ratio aliud cognoſcendi, vt prius cognita.

Deinde probatur, quia ſi imago ipſa aliquo modo in repræſentatione obiecti præcognoſceretur, vel eſſet duplex, ac diſtinctus conceptus obiectiuus imaginis, & obiecti; vel eſſet vnus compoſitus ex imagine, & obiecto. At omnes Philoſophi conueniunt in hoc, quod eſt aſſerere,conceptum obiectiuum non eſſe aliud, quàm ipſum obiectum cognitum,& repræſentatum per conceptum formalem; imaginem verò expreſſam, eſſe potius conceptum formalem, ſeu verbum, & vltima forma mentis, vel intrinſecus, & formalis terminus conceptionis; ergo dicendum eſt, imaginem expreſſam in repræſentatione obiecti, nullam habere rationem conceptus obiectiui, ac proinde, vt imaginem ab anima non præcognoſci.

Suar. l. 10. met. diſp. 2. ſect. 8.

Rurſus probatur,nam Deus quamuis eminenter contineat in ſe perfectionem omnium creaturarum, eas tamen non cognoſcit in ſe ipſo tanquam in imagine, ſed immediatè

fertur

fertur in illas tanquam in conceptum obiectiuum. Vnde Scotus, Ocham, Durand. & alij dicunt, ideas in mente diuina esse ipsasmet creaturas obiectiuè in ea existentes, & cæteri Theologi, qui dicunt ipsam essentiam diuinam esse ideam omnium creaturarum, explicant eam, non prout ducit in cognitionem illarum, sed prout imitabilis est ab illis tanquam exemplar; vt videre est apud D. Thomam; multò ergo minus creaturæ percipiunt obiecta in suis intrinsecis imaginibus tanquam prius cognitis.

Scot. in 1. distin. 35. q. 1. §. ad ista.
Ochã in 1. dist. 35. q. 5. & Gab. q. 5. art. 2. n. 1. 2.
Durand. in 1. dist. 30. q. 3.
1. par. q. 15. art. 2. & Caiet. ibid.

Vlterius id ipsum probatur, quia si ad repræsentationem obiecti supponeretur eius imago, vt cognita; prius intelligeretur producta imago, quam cognitio, & contemplatio illius, quæ in illam, & in obiectum tenderet, ac prius verbum mentis, quàm intellectio. Hoc autem falsum est in communi omnium opinione: nam vel cognitio constituitur in actione immanente nullius termini productiua absque vlla imagine expressa, & sic malè supponeretur imago producta; Vel cognitio constituitur in actione productiua verbi, seu imaginis; & sic falsò supponeretur imago producta ante productionem: Vel cognitio constituitur in ipsa imagine producta: & sic falsò desideraretur cognitio postquam illa iam intelligeretur producta, & constituta in ipsa imagine; Vel tandem cognitio constituitur in productione imaginis simul, & in imagine producta: & sic pariter falsum esset, his positis adhuc non intelligi cognitionem.

Item si imago præsupponeretur cognita in repræsentatione obiecti; vel cognitio imaginis à parte rei diuersa esset à cognitione, & repræsentatione obiecti; vel esset eadem. Si esset diuersa, vtrique differret non tantum numero, sed etiam specie; nam altera esset cognitio intuitiua, altera verò abstractiua; & vna saltem esse posset sine altera, sicut res omnes realiter, & essentialiter diuersæ; quod in proposito repugnat; quia de ratione imaginis esset referre obiectum, & de ratione repræsentationis obiecti, actu manare à cognitione imaginis. Si autem esset eadem, terminari deberet, si non ab vno, saltem per modum vnius; sed non

potest cognitio rerum, tam distantium terminari per modum vnius; alio enim modo terminat cognitionem qualitas intentionalis absque magnitudine, figura, colore, odore, & sapore; quàm res quælibet sensibilis, cum qua nullam habet conuenientiam in ijs, quæ sub sensum cadunt; sed tantum in prædicatis abstractis, quæ non nisi ab intellectu percipiuntur: ergo non potest vnica cognitione simul cognosci obiectum sensibile, & imago intentionalis illius.

Tandem illa simplex, vel duplex cognitio, quæ supponeret ipsam imaginem productam: vel esset actio, vel qualitas: non actio, quia vt talis deberet esse productiua alicuius termini, & hic esset verbum verbi, productum scilicet per cognitionem verbi, seu imaginis expressæ, & obiecti principalis. Non qualitas, quia esset qualitas qualitatis, & formalis repræsentatio imaginis, quæ est formalis repræsentatio obiecti. Et si semel concedatur qualitas, quæ absque actione propriè dicta attingat obiectum, frustra multiplicarentur tot entia absque necessitate, cum dici posset, ipsammet imaginem productam, esse qualitatem repræsentantem, & attingentem obiectum.

Vnus autem superesset dicendi modus, vt si quis diceret, imaginem expressam esse ipsam attingentiam, & repræsentationem obiecti, vt cognitam per se ipsam, hoc ipso, quod est ratio cognoscendi aliud, & formalis cognitio. Sicut præsentia localis, quæ ita est ratio locandi aliud, vt ipsa per se ipsam constituatur in loco. Et hoc pacto secundum vnam considerationem imago haberet rationem obiecti immediati repræsentantis obiectum principale; secundum aliam verò, haberet rationem attingentiæ, & cognitionis eiusdem obiecti principalis. Sed hic modus dicendi omnino repugnat; nam forma, vel actus quilibet creatus non nisi per alium actum potest cognosci; alioquin si se per se ipsum cognosceret, essentialiter, ac semper cognosceret. Quemadmodum enim non sine se, ita nec sine sui cognitione posset existere, identificaretque sibi suiipsius cognitionem, quod soli Deo potest competere. Deinde non daretur

tur cognitio reflexa, nam quælibet cognitio cognosceretur per se ipsam, & sensus externi perciperent suas sensationes: Quod non minus falsum, quàm inauditum est. Nec par est ratio de præsentia locali; tum quia esse hic, vel alibi, & ibi aliud cõstituere, non est perfectio simpliciter, quemadmodum esse cognitionem sui ipsius, & alterius. Tum etiam quia, esse accidens, per quod subiectum est hic, & non alibi, non potest intelligi absque eo, quod ipsum accidens sit ibidem vbi subiectum præsens constituit, & sic ipsum vlterius non est ibi constituendum per aliud. At cognitio, seu repræsentatio obiecti, potest intelligi absque eo, quòd simul sit cognitio sui ipsius. Cum itaque imago obiecti expressa, nec per se ipsam, nec per aliam sensationem, vt imago est, possit cognosci, remanet, vt non, vt cognita, sed alia via nobis repræsentet obiectum. Diximus, nec per aliam sensationem, quia in sensu etiam interiori non datur cognitio reflexa, quæ solius intellectus est, vtpotè, qui potentia est immaterialis, nulloq. organo quanto & extẽso alligatus. Ex quo deduxit Philoponus, si sensus cõuerteret sese ad suam sensationem dignoscendam, incorporeum eum futurum, separabilem, & sempiternum. Eodemq. argumento vsum in Charmide Platonem fuisse comperimus, cum nullum sensum sui ipsius esse probaret: quoniam magnitudinem, & multitudinem vim suam habere ad se ipsa impossibile est, solamq. scientiam quandam esse posse, quæ sui, & aliorum scientia sit. Deinde diximus (vt imago est) nam vt sensatio est, & actus quo tendimus in obiectum, negari non potest ab animali simul materialiter aduerti, cum per illam obiectum repræsentatur, vt docet idem Aristoteles, & nos ex mente illius hactenus explicauimus.

2. de anima tex. 136. vel 138.

Post medium.

Lib. de mem. & remin. cap. 2.

Dicendum igitur est secundo, repræsentationem formalem obiecti in sensu interiori, si sumatur ex parte ipsius obiecti tanquam effectus formalis constituens obiectum repręsentatum, consistere in apparentia illa, qua intus lucet, & apparet obiectũ: si verò sumatur ex parte causæ formalis repræsentãtis, consistere in ipsa sensatione, seu specie expressa quatenus per eã formaliter obiectũ, siue sit absens, siue pręsens, quasi in

conſpectu ponitur,ac ſiſtitur. In prima parte huius cõcluſionis,ſi conſideretur, nulla poteſt eſſe controuerſia: nam ſiue obiectũ ſiſtatur quaſi prẹſens, cũ ſit abſens cum circumſtantijs concomitantibus præſentiã, vt cũ quis imaginatur obiectũ hic,quod eſt alibi;ſiue è contra,appræhẽdatur,vt abſens, quod eſt prẹſens;ſiue referatur,& exprimatur cũ circumſtantijs propinquitatis,ac diſtantiæ,quas verè habet à parte rei; Omnino tamen,id, per quod intelligimus;obiectũ formaliter conſtitui reprẹſentatũ, eſt apparentia illa, qua vel videtur, & apprẹhenditur cum circumſtantijs,quas non habet;vel reuelatur,ſicuti eſt. Etenim à parte rei loquendo,obiectũ quando cognoſcitur,& repræſentatur,nec mouetur,nec mutatur,nec apparendo,vel terminando cognitionẽ,aliquid realiter operatur; ac proinde nec conſtituitur repræſentatum per aliud, quàm per ipſam apparentiam explicatã tanquam per actum realem, cum in illo nõ ſit niſi denominatio extrinſeca, & ens rationis cum fundamento in re, quatenus verè obijcitur, ſeu apparet,& percipitur per entitatem realem cognitionis,quia ſumpta ex parte cognoſcentis, dicitur attingentia, & perceptio; ſumpta verò ex parte cogniti, dicitur apparentia, ſeu obiectio,& propoſitio obiecti, qua in conſpectu ſeſe offerendo,ponitur. Ex quo ſumpſerunt Philoſophi, conceptum obiectiuum nihil eſſe à parte rei diſtinctum ab ipſa re, quæ obijcitur; conceptumq. formalem eſſe ipſam cognitionem, qua obiectum concipitur,vt ſupra paulò ante retulimus.

Secunda verò pars concluſionis probatur;nam ſenſatio eſt per quam formaliter potentia obiectũ attingit, ſeu vſque ad obiectum pertingit,dum appræhendit illud; ſed nõ dicitur illud attingere formaliter,aut apprẹhendere,niſi in quantũ aliquo modo tenet per formã illius,quam ſibi ſiſtit præſentem. Ergo formalis reprẹſentatio obiecti conſiſtit in ipſa ſenſatione,quatenus per eã formam obiecti quaſi reuera præſens tenetur, ſeu ante conſpectũ ponitur cum ſua propinquitate,vel diſtantia,cæteriſq. conditionibus,cũ quibus appræhenditur.

Deinde probatur;nam id quod nobis intus lucet,ſeu reprẹſentatur dum contemplamur, internoq. ſenſu aliquid intuemur,

mur, eſt ipſum obiectum, quod immediatè, & obiectiuè terminat cognitionem cum ſuis circumſtantijs, ſicuti eſt à parte rei, nulla obſtante diſtantia, vel propinquitate, magnitudine, vel paruitate, vt dictum eſt; ſed repræſentari terminando cognitionem, nulla eſt paſſio realis, aut operatio eiuſdem obiecti, quod propterea tandiù lucet, ſeu videri licet, quamdiù potentia per ſpeciem expreſſam, ſeu ſenſationem intendit in illud; Ergo tota ratio repræſentationis conſiſtit in ipſa cognitione, prout eſt forma intentionalis, qua realis forma obiecti exprimitur, & ante conſpectum cognoſcentis apponitur.

Ex quibus tandem intelligitur, in quo nam ratio imaginis, quæ de interna ſenſatione dicitur, formaliter conſiſtit. Cum enim huiuſmodi ſenſatio non aliter obiectum repræſentet, ſeu præſens intus conſtituat, quàm referendo formam illius per ſimilitudinem eius, quam intentionaliter participat virtute ſpeciei impreſſæ, à qua ſimul, & à potentia oritur, non ſecus ac imago ſe habet reſpectu ipſius obiecti, quatenus nimirum refert, ac exprimit ipſum tanquam ſimilitudo formalis, & intentionalis illius.

Quod ſi vlterius quæras in quo nam conſiſtat huiuſmodi ſimilitudo obiecti participata per ſpeciem expreſſam, cum nec ſpecies impreſſa, nec expreſſa in ſe ipſis cognoſcantur, quemadmodum cognoſci debent imagines ad hoc, vt ſimilitudines dicantur prototypi. Reſpondetur huiuſmodi ſpecies dici ſimilitudines, & imagines per attributionem, tum quia ſunt aliquid obiecti, ſimilem naturam participans, vt explicari poteſt in ſpecie coloris, & cæterorum obiectorum ſimplicium; tum etiam quia ſiue in actu, ſiue in habitu, repræſentationes ſunt obiectorum modo explicato; ac dum potentia ab ipſis informatur, videtur quodammodo obiectum induere, non ſecus ac ſi indueretur perſona, alterius effigiem referente, quia tunc obiectum in ipſa elucet, & vnuſquiſque id quod cogitat, in mente ſibi videtur geſtare: Vnde apud Hebræos idem nomen דבר, Dauar, & rem, & verbum ſignificat.

3. de Anima tex. 28. Quamobrem non alia ratione dictum est ab Aristotele, in actu cognitionis, cognitorem fieri quodammodo ipsum cognitum, nempè per assimilationem, vt sensitiuum sensibile, & quod scire potest, ipsum scibile; nisi quia licet realiter ad inuicem non attingantur, vel ad alterius figuram, seu formam efformetur, & aliud; nihilominus (vt diximus) per speciem expressam actu cognitor conformatur cum cognito, eandem illius formam intentionaliter gestans in animo, quam ipsum in esse habet realiter. Sicut speculum, quod eandem videtur habere, quam refert imaginem, cum imago illa sit ipsa forma realis obiecti, quam in speculo intuemur mediante inuisibili similitudine intentionali ibi incidente, & inde reflexa. Vnde non aliter in sensu, quam in speculo res ipsas sensibiles, prout sunt in se, nulla earum præcognita similitudine, quam habemus, intus cognoscimus. Secus ac res spirituales, quæ prout in se ipsis sunt, à nobis in hac vita appræhendi non possunt, sed tantum ad instar rerum corporearum tanquam in figurâ prius cognita. Quapropter dici- 1. Corint. 13. tur ad Corinthios: Videmus nunc per speculum in ænigmate; Quia licet non nisi per interuentum, & cooperationem sensus, phantasmata ministrantis, intellectus spiritualia contempletur; illa tamen non elucent in ipso sensu, quemadmodum sensibilia, veluti in speculo, sed in ænigmate, hoc est in figura ipsorum sensibilium, quatenus appræhenduntur ad modum ipsorum. Quoniam verò etiam per appræhensionem obiecti ad instar alterius, fit quædam conformatio mediata cognitoris cum cognito; rectè spiritualia in ænigmate per speculum dicuntur videri, non autem in speculo, sicut sensibilia, quæ immediatè per proprias imagines in sensu elucent tanquam in speculo. Quamobrem in formis sensibilibus, intelligibilia sunt, & quæ in abstractione 3. de Anima tex. 39. dicuntur, ait Aristoteles. Et Cicero, in perceptione rerum abstratarum, eandem conformationem, & assimilationem Lib. Topicorum. admittens, Tangi, inquit, demonstratiuè non possunt, cerni tamen animo, atque intelligi possunt; Quarum rerum nullum subest quasi corpus, est tamen quædam conformatio

tio insignita, & impressa intelligentia, quam (ait) notionem voco.

Absolutè tamen loquendo, conformatio ac similitudo, de qua loquimur non reperitur nisi inter cognitorem, & cognitum, cognitione immediata, vt est cognitio sensibilium in hac vita, quorum habemus proprias species, ac etiam cognitio rerum spiritualium in vita futura, cum eas videre licebit, prout sunt in se ipsis. Nam perfecta similitudo, dicit perfectam cognitionem, cuiusmodi est cognitio immediata præsertim iutuitiua. Vnde Ioannes de similitudine, qua vltimò efficimur Deo similes, ait; Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Quem locum citant Augustinus, & alij, cum beatitudinem nostram in clara Dei visione, qua perficitur similitudo Filiorum Dei, constituunt. Quò etiam spectat illud aliud Augustini; Imago, quæ renouatur in spiritu mentis in agnitione Dei, non exterius, sed interius de die in diem, ipsa perficietur visione, quæ tunc erit post iudicium facie ad faciem; nunc autem proficit per speculum in ænigmate. Propter cuius perfectionem dictum intelligendum est, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ex quibus satis apparet vbi in sensatione interna, vel qualibet alia cognitione, tota ratio imaginis, ac similitudinis constituatur, vt dum de re iam constat, cum cæteris loquamur.

1. Ioan. 3.
Aug. 1. de Trin. cap. 8.
Sotus in 4. dist. 49. q. 1. art. 3.
Aug. 14. de Trinit. cap. 19.

Ad fundamentum ergo oppositæ sententiæ respondetur, nullam requiri præsentiam termini in cognitione interna, tum quia cognoscere obiectum, non est illud producere, vel aliquo modo agere, & operari; nam verè obiectum nihil immutatur dum percipitur, ac terminat cognitionem; & vt sic non est propriè operari in distans, contra illud Aristotelis, vbi vult, agens, & passum debere esse simul, ac se inuicem tangere. Tum etiam, nam alioquin res absentes non possent percipi cum suis circumstantijs, vt cum Oceanum concipimus cum sua magnitudine, distantia, motu, ac cæteris accidentibus; nisi fortè illas postea per cognitionem reflexam noscceremus, quod est contra experientiam, qua vnico intuitu,

7. Physs. c. 2. tex. 10.
Et 1. de Generat. c. 6. tex. 43.

tuitu, ac directè ea omnia à nobis compræhendi iam constat. Causa verò, cur sensus externi requirant præsentiam obiecti, est quodammodo per accidens; nimirum quia aliter ab illis excipi non possent propria simulacra, quæ pendent in fieri, & conseruari ab eisdem obiectis. Alioquin, cum supernaturaliter Deus producit se solo imaginem, quam naturaliter produceret cum obiecto, eamq. constituit in sensorio sentientis, verè fit sensatio talis obiecti, nihilq. obstat eius absentia.

Sed vt omninò euertatur fundamentum eiusdem sententiæ, retorqueri potest idem argumentum. Nam si per imaginem præsentem, proximè & obiectiuè terminantem sensationem, deueniremus in cognitionem obiecti principalis, adhuc etiam concederetur cognitio rei absentis, & operatio in distans; siquidem obiectum non semper adest vbi potentia, nec saluari posset ratio imaginis ità explicatæ, nisi distinctè etiam cognosceretur obiectum principale absens, quod per ipsam repræsentatur, & ad quod dicit essentialem habitudinem similitudinis tanquam ad correlatiuum.

Quod si dicatur semper cognosci rem absentem tanquam præsentem in imagine, esset contra experientiam, quia non solum sensus internus percipit realem præsentiam, & absentiam obiectorum, sed etiam cum imaginamur pro arbitrio addere aliquid, quod abest, vel abesse, quod adest, secundum etiam maiorem, aut minorem propinquitatem, ac distantiam, semper diuersimodè immutatur.

Quod autem attinet ad proprietatem significationis per nomen imaginis: certum est, illud non omnino competere speciei expressæ, aut impressæ, neque aliter arbitratos communiter fuisse Philosophos, qui vtique non in toto rigore, sed per attributionem quandam dumtaxat huiusmodi species vocauerunt imagines. Quare sicut non obstat, species ipsas, nullam habere figuram, quantitatem, & colorem, quemadmodum habent veræ imagines, vt & ipsæ tales dicantur; ita neque ad hoc obstare debet, illas non esse rationes cognoscendi, vt cognitas, sed alio modo, vt explica-

tum

tum eſt. Nec denique eadem eſt ratio de ſpeciebus, ac de cæteris inſtrumentis, vel alijs, quæ deſeruiunt ad cognoſcendum. Nam hæc nullo fundamento dicerentur imagines, quia non modificant intrinſecè cognitorem ſecundum aliquam ſimilitudinem, quæ in eo recepta, ſtatim ille cognitum in ſe videatur geſtare, tanquam aqua, vel ſpeculum id, quod ibi quaſi figuratum elucet.

Qua ratione ſenſatio interna dicatur actus vitalis, & attingentia obiecti. *Cap. III.*



CONSTITVTA ſenſatione interna in qualitate, quæ dicitur ſpecies expreſſa, eaq. explicata ſecundum rationem imaginis, ac formalis repræſentationis obiecti; ſimiliter ipſamet hic explicanda erit ſecundum rationem actus vitalis, & attingentiæ eiuſdem obiecti; Siquidem hæc omnia prædicata, nec pauciora adæquatam eius quidditatem cenſentur præſcribere. Verum quid commune qualitati cum actu, ſeu actione vitali? aut quid commune imagini cum attingentia, & perceptione obiecti? Valde namque, magiſque diſſitas conditiones, quàm quæ in vnius conſtitutione naturæ poſſint cócurrere, huiuſmodi prędicata videntur exprimere; cum & formas diuerſorum prædicamentorum denotent, & ſub vno, eodemq. genere, incompoſſibiles differentias complectantur, operatiuæ nimirum qualitatis, ac paſſiuæ, vt per ſe patet ex terminis. Quare vt ſingula diſtinctius innoteſcant, de efficientia, ſeu actiuitate prius, ex qua ſenſatio actus & attingentingentia denominatur; ac deinceps de vitalitate illius diſſerendum erit.

Porrò, qui de ſenſu in vniuerſum loquendo, dixerunt, ipſum ſentire non eſſe niſi quoddam pati, implicitè omnem efficientiam ſenſationis internæ de medio abſtulerunt. Hi

autem

autem fuere Magnus Albertus, Aegidius, Venetus, Niphus, & alij. Poteftq. eorum fententia comprobari, primò auctoritate Ariftotelis, qui docet, fenfum accidere in eo, quod eft moueri aliquid, & pati. Deinde actiua operationis fenfus, effe extra, vt vifibile, audibile, & reliqua fenfibilium. Intellexit ergo fenfum, tantum pati. Ratione verò probatur, quia fentire, eft percipere rem, quæ fub fenfum cadit; cum autem hoc fiat per emanationem fpecierum ab illa, & receptionem earum in potentia, relinquitur ipfum fentire, non effe aliud intrinfecè ex parte potentiæ, quàm in fe habere, & fubftentare imaginem receptam.

M. Alber. in 2. par. fumme de homine, tract. de fenfib. anime. Ægid. q. 1. de cognitione Angelorum. Venetus in fumma de anima cap. 10. Niphus de fenfu agente. Arift. 2. de anima. tex. 51. & fequen. ibidem tex. 59.

Confirmatur; nam fæpe fit fenfatio renitente fenfu, qui potius conatur in oppofitum, & tamen fentit, quia non poteft non recipere fpecies ab obiecto approximato, in quod nullo modo ex fe fertur. Vt cum animal inuitum, dolorem fentit, audit, odorat, palpat, vel guftat, quod difplicet; Indicium eft ergo, animal non agendo, fed patiendo fentire; alioqui fuos actus cohiberet, obiectumq. fibi difconueniens, quamuis approximatum non fentiret.

Cæteri verò omnes, qui rectius funt Philofophati, fenfationem internam, omnemq. aliam cognitionem, efficienter docent à fua potentia manare, tanquam actus, qui ab eadem oriatur potentia, in qua recipitur, & manet; ideoque cognitiones, & appetitus omnes, communiter actus immanentes appellari. Ita Phyloponus, S. Thomas, Scotus, & alij quamplures, licet ex his, alij putent fenfationem effe ipfam caufationem caufæ efficientis, nempe actionem prædicamentalem, qua efficienter producitur imago obiecti; Alij verò, vt diximus, putent effe imaginem ipfam efficienter productam per fimplicem refultantiam, quod ad fufceptam quæftionem parum, aut nihil conducit.

Phylop. in textum 121 fecundi libri de anima. S. Tho. 1. par. q. 56. art. 1. & q. 79. art. 3. Scot. 2. de anima q. 12. Greg. in 1. dift. 3. q. 1. Capr. in 3. dift. 14. q. 1. & in 2. dift. 3. q. 2. Ferrar. lib. 2. con. gen. c. 82.

Probatur autem primò ex Ariftotele 2. de anima tex. 37. vbi docet, animam fimiliter effe caufam alterationis fenfus, feu fenfationis, & augumentationis, & nutritionis animalis. Quæ certè non nifi efficienter procedunt ab anima. Deinde eodem lib. tex. 138. vnum, eundemq. docet effe actum fenfi-

ſenſibilis, & ſenſus, quando actu aliquid ſentitur: nam datur auditum habere, & non audire, & habere ſonum, & non ſonare: cum autem (inquit) operatur potens audire, & ſonat potens ſonare, tunc ſecundum actum auditus fit ſimul, & ſecundum actum ſonus. Et textu ſequenti concludit: ſonatiui igitur actus, ſonus eſt, aut ſonatio, auditiui autem, auditus, aut auditio. Eandemq. rationem ſubiungit eſſe in alijs ſenſibus, ac ſenſibilibus. Quapropter tex. 156. ſenſus, inquit, aut potentia, aut actus eſt, vt viſus, aut viſio. Et tex. 161. loquens de imaginatione ait: multa eſt ſecūdum ipſam, & facere, & pati. Quod Simplicius ſic interpretatur, ac ſi dicat, ſenſum huiuſmodi internum, non ſolum patiendo, ac ſuſcipiendo, videlicet rerum ſimulacra impreſſa, ſed agendo quoque, & actum ſuæ cognitionis promendo, ſentire.

Item lib. de memor. & reminiſc. cap. 2. in primis agens, memoria, inquit, ſpeculatur, & ſentit hanc paſſionem, nempe phantaſmatis; ſtatim verò idipſum declarans quomodo fiat, poſtquam dixiſſet phantaſma conſiderari poſſe, vel ſecundum ſe, prout phantaſma, aut ſpeculamentum quoddam eſt; vel in ordine ad obiectum in quantum alterius imago, & memoriale eſt; ſubiungit: Quare & cum agit, motus ipſius ſi in quantum ſecundum ſe eſt, ſic ſentit anima ipſum, vt phantaſma aliquod videatur adeſſe; ſi autem in quantum alterius, vt imaginem ſpeculatur; nimirum per conſiderationem intellectus. Omnino igitur quocumque modo hoc fiat, ſentit Philoſophus ibi efficientiam animæ, aut phantaſmatis intercedere.

Præterea lib. de ſomno & vig. cap. 1. ait: Agere autem ſenſu propriè, & ſimpliciter, impoſſibile eſſe dormientem ſimul. & lib. de ſomnijs cap. 1. viſionem ait eſſe vſum viſus; & audire, vſum auditus; & omnino ſentire, vſum cuiuſcumque ſenſus. Per vſum autem ſenſuum, abſque dubio ſignificatur efficientia, quæ ab animali adhibetur per ſenſus, vel qua animal per ſenſus operatur. Quamobrem idem Philoſophus de ſenſu, & ſenſili cap. 2. coarguit Democritum aſſerentem, viſionem eſſe ipſam imaginem emiſſam ab obiecto

in ocu-

in oculis receptam, illudque repræſentantem; Nam hoc modo nulla eſſet ratio cur etiam ſpecula, & alia, in quibus apparent ſimulacra, non viderent. Et propè finem eiuſdem capitis; ſenſibile enim, inquit, facit agere ſenſum.

Tandem idem Philoſophus 7. Ethicorum cap. 12. & 13. voluptatem docet eſſe operationem ſenſus abſque impedimento, non quidem operationem, quæ ſit generatio, aut productio alicuius rei in ipſa natura animalis, ſed operationem, quæ ſupponat naturã cum habitu conſtitutam ad operandum, eamque conſequatur tanquam finis, nihil vlterius producendo. Vnde illam, inquit, conſiſtere, cum ſit vſus naturæ ſentientis, cuius eſt perfectio formalis, vt ipſemet exponit lib. 10. cap. 4. eiuſdem operis. vbi pariter ſenſum omnem dicit eſſe operationem quandam, cuius perfectio tanquam pullulans pulchritudo, eſt voluptas.

Habemus igitur de mente Ariſtotelis, pati quidem ſenſum recipiendo imagines ab obiecto, ipſamque, quæ deinde elicitur, cognitionem; non tamen ſine propria efficientia, dum ſcilicet ſpecie in ſe impreſſa vtitur ad exprimendam, ſeu promendam ipſam cognitionem.

Lib. 9. de Trin. cap. 7. Quod totum paucis, ac præclarè explicat Auguſtinus, dicens: Conceptam rerum notitiam tanquam verbum apud nos habemus, & dicendo, intus gignimus, nec à nobis naſcendo, diſcedit. Vbi per generationem innuitur actiuitas potentiæ, & per non diſceſſum, immanentia actionis.

Ratione verò probatur primo; nam ſenſatio interna non eſt ſpecies ab obiecto impreſſa, neque receptio illius, ſiquidem dantur hæc in potentia abſque actuali ſenſatione, ac dum vnum, aut nihil ſentit animal, innumerabilium ſimul retinet ſpecierum copiam, atque theſaurum. Eſt igitur aliquid aliud, per quod, vt diximus, actu in potentia repræſentatur obiectum. Sed hoc aliud ab aliqua cauſa debet efficienter procedere, nec poteſt ab obiecto, quia ſępe non eſt, vel non adeſt, vel ignobilius eſt; nec tantum ab anima, quia non eſt immediatè operatiua; nec ab appetitu, vel alia facultate, quia tunc facultates, quæ non ſunt cognoſcitiuæ, ſentirent;

tirent; nec tandem à ſpecie ipſa impreſſa, quæ valde ignobilior eſt. Ergo remanet, vt ab eadem efficienter procedat potentia, à qua poſtea ſuſtentatur, & quam denominat ſenſum in actu; licet in hac efficientia ſimul concurrat anima ſecundum quandam formalitatem influxus vitæ, inferius explicandam, ac pariter ſpecies impreſſa tanquam forma quædam inſtrumentaria.

Corroboratur, nam quod iuxta inclinationem naturalem appetitus ex tot tantiſq. obiectis, quæ per propria ſimulacra intus recondita poſſent cognoſci, actu non niſi certa quædam ſentiantur; aliaq. ſimilia falsò per artificioſam veluti copulationem ſpecierum effingantur; non eſt pati tantùm aliquid ab obiecto, quia frequentius obiectum non eſt, vel non adeſt; neque eſt pati tantum ab ipſis ſpeciebus impreſſis, quia ſemper eadem pateremur, eademq. ſentiremus donec ſpecies obiectorum, iuxta inclinationē appetitus manerent; neque eſt pati ab appetitu ſenſitiuo, aut voluntate rationali immediatè; quandoquidem voluntas, vel appetitus ex ſe neſciret, quas ſpecies copularet ad repræſentandum obiectum, ad quod naturalem habet inclinationem. Quod ſi demum per ſe copularentur ex ſympathia plures, ac plures ſimul, quaſi in diuerſa agmina copularentur; & adhuc nulla eſſet ratio, cur potius hæ, quàm aliæ ſenſationem elicerent, cum æque omnes potentiam informarent. Dicendum eſt igitur, tunc ſenſum pati à ſe ipſo, propriaq. efficientia, vti hac vel illa ſpecie impreſſa, iuxta opportunitatem appetitus ad eliciendam hanc, vel illam ſenſationem, quæ dicitur ſpecies expreſſa: & hanc eſſe connexionem potentiæ appetitiuæ cum cognoſcitiua, vt appetitus ſequatur cognitionem; hæc autem adaptetur appetitui, vt iuxta inclinationem, & propenſionem illius, obiecta diſquirat. Id, quod abſque propria efficientia, potentia cognoſcitiua obire non poſſet; nam vnum voluntas concupiret, & aliud cognitio cogeretur apprænhendere, ſi potentia cognoſcitiua ab obiectis, vel ab alio ſuas ipſius pateretur cognitiones.

Quod idem non abs re fuerit argumento ducto ab efficientia,

cientia, & libertate humanæ voluntatis iterum confirmare. Etenim quoad hoc, eadem est philosophandi ratio de omnibus potentijs appetitiuis, & cognoscitiuis, vt nempe propria, vel aliena efficacitate in sua obiecta ferri dicantur: cum æque pariter non immutent, nec attingant ipsa obiecta, nisi per quendam respectum, qui dicitur secundum esse volitum, vel cognitum; denominationem tantummodo importans rationis, fundatam in terminatione obiectiua illius respectus, aut inclinationis. Si igitur constabit voluntatem humanam effectiuè concurrere ad suos actus, idem pronunciandum erit de reliquis huiusmodi potentijs appetitiuis, & cognoscitiuis.

Probatur autem, voluntatem ita concurrere ad suos actus, vt posse velle, & non velle, sit posse agere, & non agere; nam alioqui non intelligeretur libera, & indifferens, cum ad solam receptionem non possit esse indifferentia. Id, quod suadetur primo ex communi conceptione, & modo loquendi Philosophorum moralium, qui semper intellexerunt voluntatem eatenus esse liberam, & habere dominium suorum actuum; quatenus potestatem habet studiosè, vel turpiter agendi, non solum per externos actus, sed præcipuè per suos ipsos internos, qui sunt velle, & nolle hoc, aut illud obiectum. Deinde ita etiam probatur, quia omnis potentia receptiua debet habere aliquam potentiam actiuam à qua, & cuius virtute, seu efficacitate recipiat suam formam. Hanc autem potentiam effectricem, necesse est, nobiliorem & potentiorem esse, quàm illa, in quam agit, saltem in eo genere, in quo ad inuicem opponuntur, quantò nobilius, & potentius est agere, quàm pati. Assignanda ergo esset aliqua potentia creata, quæ agat in voluntatem, & in illa producat volitionem tanquam potentior, ac nobilior causa. Cumque certum sit, nullam esse potentiam creatam formaliter liberam, præter voluntatem angelicam, & humanam: eiusmodi potentia consequenter esset verè necessaria, ac necessariò ageret in voluntatem, tanquam causa nobilior, & potentior; & voluntas illi subiecta esset, tanquam ea, quæ

solum

ſolum patitur, & recipit ab influxu illius formam productam. Ex neceſſitate igitur voluntas reciperet actus ſuos; neque ipſa poſſet determinare arbitrio ſuo ſuam cauſam agentem, vt agat, vel non agat in ipſam, cum illa neceſſariò ageret, ac tanquam potentior, agendo, voluntatem ipſam ſuo influxu moueret, vt non poſſet voluntas non recipere, ac neceſſitatem pati; vnde tota libertas periret. Vt itaque in voluntate ſaluetur libertas, neceſſe eſt ei actiuitatem circa proprios actus tribuere, vt hac ratione in eius poteſtate ſit eos elicere, vel non elicere, cum ad meram receptionem, talis indifferens poteſtas,ſui ſuorumq. actuum domina, intelligi non poſſit. Semel autem admiſſa actiuitate in voluntate, idem ſequitur pronunciandum de cæteris eiuſmodi potentijs cognoſcitiuis, & appetitiuis,vt ſupra dictum eſt, ac facilè rectè philoſophanti patebit.

Denique idem probatur in homine, nam ſenſus interior & appetitus animalis in eo, propter coniunctionem, & radicationem, quam habent cũ anima rationali,eleuantur interdum à Deo ad ſupernaturaliter operandum modo ſibi proportionato per habitus infuſos ad moderandas paſſiones, quæ ſolent hominem in id, quod diſſonum eſt, rationi vehementer inclinare,& ad facilius adhęrendum, & cogitandum de bono ſupernaturali, iuxta illud Pſalmiſtæ. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Quod experimur quotidie contingere in viris perfectis, & perfectiſſimè omnium contingit in Beatiſſima Virgine, vt cõmunis eſt Theologorum doctrina. Sed habitus ordinantur ad operationem eiuſdem potentiæ, in qua ponuntur; non verò alterius, quia non diſponunt ſubiectum ad recipiendum operationem extraneam,ſed potius ad intrinſecè operandum. Ergo ſenſus interior, & appetitus ſenſitiuus actiuè, & operatiuo modo circa ſua obiecta verſantur per appetitum elicitum, ac ſenſationem. *Pſal. 83.*

Verum, quæ dicta ſunt, licet rectè probent actiuitatem potentiæ ſenſus interioris,qua concurrit ad ſenſationem eliciendam, non tamen propterea probant actiuitatem eiuſ-

dem

dem ſenſationis, ſuppoſito, quod non ſit actio prædicamentalis, ſeu ipſa efficientia, & cauſatio agentis, ſed qualitas de genere diſpoſitionis, vt ſupra dictum eſt. Idcirco poſtquam conſtiterit ſenſationem internam effectiuè à ſuo ſenſu procedere tanquam à potentia actiua; vlterius indagandum eſt, num ipſa quoque ſenſatio effectiuè concurrat ad attingendum obiectum, vt verè actus cognoſcitiuus, & propria attingentia obiecti poſſit denominari. Qua in re, qui putant ſenſationem formaliter in actione conſiſtere, conſequenter nullam habere videntur difficultatem; nam actio eſt ipſa effectio efficientis, quæ ſicut efficienter dependet ab illo, ita efficienter concurrit cum illo tanquam via ad attingendum effectum in paſſo. Si ergo ſenſatio eſt actio effectiuè procedens à ſentiente, effectiuè pariter concurret cum illo ad attingendum ſenſibile, ſeu obiectum ſenſatum.

Re tamen verius conſiderata, ſiue ſenſatio ſit actio, ſiue qualitas in rigore loquẽdo, nunquam reperiemus à parte rei ſenſationem effectiuè obiectum attingere, cũ nullum obiectum cognitionis, aut appetitus, aliquid patiatur ab illis, ſed tantum extrinſecè denominetur cognitum, vel concupitum per noſtram conſiderationem fundatam in realitate cognitionis, vel appetitus tendentis in illud, tanquam ad terminum actionis. Hæc autem tendentia non eſt niſi reſpectus quidam ſecundum dici, identificatus cum ipſa cognitione, vel appetitu cui eſſentialiter conuenit, hoc ipſo, quod cognitio, vel appetitus eſt: ſicut eſſentialiter conuenit ſubiecto reſpicere formam, hoc ipſo, quod ſubiectum eſt. Vanum eſt igitur conſtituere cognitionem in actione prædicamentali, vt magis propriè dicatur attingentia obiecti, cum quidquid ſit ipſa cognitio, non niſi analogicè dicatur obiectum attingere. Quod ſi tunc verè diceretur influxus, & cauſatio efficientis, ac proinde verè actus agentis; hoc totum verificaretur quidem de cognitione reſpectu imaginis per illam productæ, non autem reſpectu obiecti cogniti; & ſic ad propoſitum parum referret. Ea enim dicitur actio, qua verè agens tendit in terminum, eumque attingit, per

quam

quam pariter terminus dependet ab illo, cum omnis actio à parte rei simul sit passio, causa, agentis, ac dependentia termini secundum diuersas considerationes. Non igitur eatenus cognitio diceretur attingentia obiecti, quia esset actio productiua cuiusdam qualitatis prorsus ab obiecto ipso discreta, sed quatenus terminaretur in obiectum, quod aliquo modo penderet ab agente per illam. Cumque hæc terminatio, ac dependentia obiecti simul, ac tendentia cognitionis in ipsum, dicantur penes respectum supra explicatum, quo cognitor ferri videtur in cognitum; tota cognitionis actiuitas, & attingentia sumenda erit ex ipsomet respectu, per quem tanquam per prædicatum essentiale cognitio adhærere videtur obiecto, seu ad illud vsque pertingere, & sic constituere vnum cognitorem cum cognito.

Dicendum est itaque speciem expressam, seu potius expressiuam obiecti, in qua sensationem constituimus, rectè dici posse actum cognoscitiuum, & attingentiam obiecti, ac potiori iure, quam actio, si qua daretur, productiua illius. Hanc conclusionem supponunt omnes Auctores, qui sensationem, omnemque aliam cognitionem, quam in verbo mentis, vel specie expressa constituunt, actum vocant potentiæ cognoscitiuæ, & attingentiam obiecti. Probatur autem vnica ratione; nam eo modo, quo obiectum, vt obiectum cognitionis est, attingi valet à potentia, immediatè attingitur per ipsam speciem expressam, sicut passum attingitur immediatè à potentia calefactiua per calefactionem. Obiectum enim, vt vidimus, attingi non potest à potentia cognoscitiua, nisi per tendentiam illam, seu respectum secundum dici, per quem potentia actu conatur, & fertur in ipsum, tanquam qui iacula mittit ad scopum, ad quod realiter non pertingit, & per quem, ipsum obiectum denominatur actu perceptum, vel sensatum, aut cognitori repræsentatum. At respectus eiusmodi, seu intrinseca, & immediata tendentia, non est nisi prædicatum quoddam essentiale imaginis expressæ identificatum cum illa, quæ hoc ipso, quod similitudo est obiecti, &

ratio, qua formaliter, & immediatè potentia adhæret obiecto, & vnitur cum illo, est tendentia eiusdem erga illud, seu id, per quod vltimo potentia fertur in illud, & per quod dicitur obiectum repræsentatum: Ergo non nisi per speciem expressam eo modo, quo potest, immediatè attingitur obiectum à potentia cognoscitiua, ac proinde rectè species expressa dicitur attingentia obiecti, & actus cognoscitiuus. Qua denominatione ita propriè denominari non posset actio productiua eiusdem speciei; nam licet secundum se esset verè actus talis potentiæ, non tamen esset cognoscitiuus. Siquidem actus specificantur per terminos proprios reales, & intrinsecos; terminus autem, qui realiter, & intrinsecè terminaret illam actionem, non esset cognitus, ac proinde constituere non posset actum ipsum essentialiter cognoscitiuum. Quare solum diceretur cognoscitiuus extrinsecè, impropriè, & remotè, prout esset productio qualitatis, qua cognitor sibi repræsentat, & cognoscit obiectum. Præterea huiusmodi actioni non conueniret essentialiter esse tendentiam, qua immediatè potentia fertur in obiectum cognitum, sicut potentia calefactiua per calefactionem in passum; sed tantùm extrinsecè, ac remotè, sicut conuenit actui cedendi marmur ad effingendam statuam, tendere in obiectum per illam repræsentandum. Et ideo nulla est euasio ijs, qui dicunt obiectum attingi simul per actionem, & speciem productam per illam, sicut passum attingitur per calefactionem, & calorem productum in illo; Nam licet in diuerso genere causæ, verè tamen & calefactio, & calor productus, immediatè passum attingunt, in eoque recipiuntur; obiectum verò eo modo, quo attingi potest, non nisi à specie producta attingitur.

Congruentiæ verò, quibus non immeritò sensatio hæc, omnisq. cognitio, qualitas cum sit, vocetur plerumq. actus, & actio, fundantur, cùm in explicata ratione attingentiæ, quam essentialiter includit; tum in similitudine veræ actionis, quam veluti imitatur, vt supra diximus ex Scoto, quia videlicet est ipse conatus potentiæ immediatè, & efficienter ab eo

Cap. 1. huius Tract.

ab eo productus nulla alia intermedia via,non secus,ac actio vt statim probabitur: & quia tamdiu durat, quamdiu obiectum actu attingitur, seu cognoscitur,& non auertitur acies cognoscentis, vt loquitur Augustinus, quemadmodum veræ actiones tamdiu sunt, quamdiu agens actu influit, & operatur. Vnde semper cognitio pendet in fieri, & conseruari ab ipsa potentia cognoscitiua,sicut actio ab agente.

Postremò vlterius dicendum est, sensationem internam communiter, ac meritò vocari actum vitalem, quia immediatè procedit à substantia vitali, seu à principio vitæ,quod est anima sensitiua in animali, quæ simul cum suis potentijs influit, & cooperatur in omne opus vitæ, vitaliter se exercendo, ad differentiam substantiarum non vitalium, quæ non ita sunt principia suarum actionum, sed emortua quodammodo se habent non se mouendo ad illas, nec immediatè influendo, sed merè substentando in se, seu incomposito qualitates actiuas, quæ sunt illis proxima ratio operandi, vt substantia ignis calefacientis per calorem, vel aquæ per frigiditatem frigefacientis.Quapropter huiusmodi principia non vitalia potius denominatiuè dicuntur agere denominatione sumpta à suis proximis rationibus agendi, quas sustinent. Vt cum lapis dicitur ex se deorsum moueri propter grauitatem, quam habet; non autem propter formam substantialem,qua lapis constituitur. Secus igitur animal cum sentit, non se habet tanquam inanime quoddam, substentando tantum in sensorio potentiam sensitiuam, sed immediatè concurrit cum illa ad sensationem eliciendam, cui tribuit vitalitatem, sicut potentia sensitiua tribuit esse talem operationem vitæ, & non aliam.

Vbi obseruandum est obiter, quòd sicut concursus causæ primæ, & vniuersalis contrahitur, ac determinatur formaliter ad esse talem per concursum causæ secundæ; ita etiam suo modo influxus substantiæ vitalis determinatur per concursum peculiarium potentiarum,vt sit hic, vel ille actus vitæ secundum speciem potentiæ cooperantis, verbi gratia,vt sit volitio, sensatio, vel intellectio. Sicut etiam voluntas

I 2 dum

dum liberè vtitur ſuis habitibus tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus, diuerſos elicit actus pro diuerſitate habituũ concurrentium, ac ſpecificantium amorem, vel odium &c. Ex quo fit, vt ſicut non reperitur actio vitalis, quæ non ſit, aut nutritio, aut generatio, aut appetitus, aut ſenſatio, & ſic de ſingulis iuxta diſtinctionem potentiæ cooperantis; ita non datur nutritio, verbi gratia, quæ non ſit actus vitalis, nec appetitus, aut ſenſatio, quæ pariter non ſit actus vitalis. Ac denique; nam hoc ipſum eſt viuere in actu ſecundo, nempe ſimul cum aliqua ex his potentijs operari, ac opus vitæ exercere, amando, ſentiendo, appetẽdo, vel intelligendo &c. Quapropter de perfectiſſimo actu vitali hominis, ac ſupernaturali, in quo beatitudo noſtra formalis conſtituitur, & per quem perpetuò viuitur, Veritas dixit ad Patrem: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et vita contemplatiua, in qua Gentiles Philoſophi humanam, ac naturalem fœlicitatem conſtituunt, non eſt aliud formaliter, quàm ipſa cognitio, & contemplatio veritatis, vt patet, tum ex Cicerone citato etiam ab Auguſtino in libris de Trinit. tum etiam ex Ariſtotele, qui pariter hactenus dixerat, viuere propriè, & præcipuè nihil aliud eſſe, quam ſentire, vel intelligere. Et quidem ſi vita non eſt aliud, quàm naturalis coexiſtentia, & conſortium animæ, & corporis cum quo eſt vnita, vt nonnulli definiunt: iure, & quidem optimo, illud proprijſſimè dicendum erit opus vitæ, ad quod vtrumque ex æquo, ſuo modo concurrit, vt eſt ſenſatio, vel intellectio. Quocirca ab vniuerſa poſtmodum antiquitate accepimus, ſenſum communionem quandam eſſe animæ cum corpore circa res externas: animamq. ipſam ad opus eiuſmodi vires ſuggerere, corpus verò inſtrumenta præſtare. Id, quod ſano modo intelligendum eſt iuxta ſuperius explicata.

Ioan. 17.

Ex fine Dialogi Hortentij.
Lib. 14. de Trinit. cap. 19.
Lib. 10. Etich. cap. 7.
Lib. 9. Ethic. c. 9.

Licetus lib. 2. de vita c. 7.

Et confirmari vltimò poteſt ex doctrina Diui Thomæ, omniumque Theologorum, ac Philoſophorum aſſerentium cum Ariſtotele, propterea motus etiam neceſſarios tàm ſenſus, quàm appetitus (vt in pueris, amentibus, brutis,

1. 2. q. 6. art. 2.
3. Ethic. c. 2.

brutis , & ijs , qui ex improuiſo operantur abſque electione) dicendos eſſe voluntarios , ſeu ſpontaneos latè loquendo , quia procedunt à principio intrinſeco operantis cum cognitione , ſiue cognoſcat per idem principium , ſiue per aliud , vt conſtat ex definitione voluntarij , quam ipſemet Ariſtoteles tradiderat . Vtitur autem in ea Ariſtoteles 3. ethic.c.1. nomine ἑκούσιον, quod eſt compoſitum ex propoſitione , ἐκ , quæ ſignificat , a , ſeu , ab , aut , ex , & ſubſtantiuo , οὐσία , quod ſubſtantiam denotat. Vnde ἑκούσιον, idem eſt ac (a ſubſtãtia.) Quamobrem à Latinis vſurpatur pro voluntario,ſeu ſpontaneo , quod certè eſt illud , quod procedit à principio intrinſeco cognoſcentis,vt eſt eius ſubſtantia . Idẽ eſt igitur apud Ariſtotelem cognitionem animalis, vel ſimilem actionem immanentem ex ſe , & natura ſua eſſe voluntariam , ac ex ſe procedere à principio intrinſeco vitali , & ſubſtantiali cognoſcente . Nec obſtat ſubſtantiam communiter non eſſe immediatè operatiuam: cum enim dicamus animam operari non poſſe ſine naturalibus inſtrumentis potentiarum, ac ſenſoriorum quibus vtitur, ſimul cooperando, & influendo cum potentijs ad actus vitæ ; omnes difficultates , quæ in contrarium faciunt , facile euaduntur,vt cuique rectè philoſophanti patebit .

Ad fundamenta igitur prioris ſententiæ,omnem ſenſationis actiuitatem , & efficientiam tollentis , reſpondetur primò , quod attinet ad auctoritatem Ariſtotelis in eo capite , Philoſophum tantum conferre ſenſum cum obiectis extrinſecis , dum ab illis verè mouetur , ac recipiendo ſimulacra, patitur; id quod non tollit eundem ſenſum ſimul ſecundum aliam rationem agere . Neque hoc negat Ariſtoteles ; imo potius affirmat quotieſcumque iuxta talem formalitatẽ de ſenſu ei ſermo inciderit,vt ex locis ſupra allegatis planum relinquitur . Quod autem hac tantum ratione , & non Lib.2.de anima alia, dicat ſenſum pati , manifeſtè probatur ex alio textu, in tex.51.& 59. quo eadem ferè, clarius tamen repetendo , poſtquam dixiſ- Ibidẽ tex. 121. ſet , ſenſum eſſe id , quod eſt ſuſceptiuum formarum ſine materia , nempè ſpecierum intentionalium , addit : ea

ratione ſenſum vniuſcuiuſque ab habente odorem, aut ſaporem, aut ſonum pati, non autem in quantum vnumquodque illorum dicitur.

Deinde ad rationem patet ſolutio ex dictis; nam res non cadunt formaliter ſub ſenſum per receptionem ſpecierum ab illis, ſed per expreſſionem ſimilitudinum, ac ſenſationum earum. Quare contingit ſpecies obiecti recipi in oculo, & obiectum non videri, vt in dormientibus apertis oculis, vel in his, qui aliò ſunt mente diſtracti, aut extaſim patiuntur; Species enim impreſſæ, vt ſæpe diximus, ſe habent per modum habitus ad complendam, & fœcundandam potentiam, non autem per modum actus, & attingentiæ, qua repræſentetur obiectum.

Ad confirmationem vero, conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia; Aliud eſt enim omnino pro arbitrio ſentire, vel non ſentire; aliud verò actiuè ad ſenſationem concurrere; quia neceſſitas operandi non tollit actiuitatem potentiæ operantis, vt in calore, verbi gratia, qui neceſſariò, & actiuè calefacit. Dicimus ergo poſſe hominem ſenſus exteriores non exponere, vel non applicare; ſemel tamen eos expoſitos in debita propinquitate, & cum ſufficienti attentione animi aliò virtutem ſenſitiuam non diuertentis, neneceſſario operari. Quod certè, vt dicebamus, actiuitatem ſenſus non aufert, ſicut neceſſitas amandi ſummum bonum ſaltem quoad ſpecificationem, actiuitatem voluntatis non minuit, quotieſcumque voluntas fertur in illud, ſed potius plerumque intentionem actus augmentat. Et neceſſitas deſcendendi deorſum non aufert à mole graui actiuum deſcenſum, nec actiuam productionem impulſus, ſi ruens aliud corpus impellat.

Senſationem

Sensationem internam per se, & non per viam aliquam interiectam, à potentia manare. *Cap. IV.*



HACTENVS iuxta sermonis opportunitatem vix, aut leuiter aliquid insinuatum est de productione verbi, seu speciei expressæ, in qua sensationem internam constituimus, cum eius exactior peruestigatio non minus necessaria censeatur ad perfectam explicationem ipsius quidditatis productæ, quam ad seorsum internoscendam connexionem, ac distinctionem, quam habet sensatio cum sua causa efficienti, quod hic erit præstandum.

Auctores igitur, qui putant, sensationem formaliter in actione consistere, siue productiua, siue non productiua termini, consequenter affirmant, illam nulla alia interiecta via à facultate vitali procedere, vt commune est cuique actioni, quæ vt actio est, includit actualem, & immediatam dependentiam ab agente, in quo nulla esse potest controuersia.

Alij verò, cum quibus sensationem internam & intellectionem constituimus in verbo, seu qualitate imaginis expressæ, non eodem modo philosophantur. Nam quidam ex eis, speciem expressam asserunt produci per actionem distinctam ab illa ex natura rei. Cæteri autem non nisi per simplicem resultantiam identificatam cum ipsa entitate speciei productæ, eo modo, quo actiones propriè dictæ producuntur ab agentibus, relationes à fundamento, & similia.

Primum philosophandi modum tuentur nonnulli doctissimi recentiores. Probant autem primò; nam actus cognitionis non includunt essentialem, & immutabilem dependentiam à suis potentijs, cum nulla res creata ab alijs realiter distincta, tantam habeat dependentiam ab aliqua creatura, vt non possit à solo Deo fieri sine adminiculo, vel con- *Suar. 2. to. met. disp. 48. sect. 2. n. 12. Vasq. in 1. 2. D. Tho. q. 3. disp. 9. c. 7.*

ſortio illius. Quod ſi idem actus cognitionis à ſolo Deo poteſt produci, dependentia, qua de facto ipſe dependet à potentia, non eſt de eſſentia, & entitate ipſius, ac proinde neceſſario erit modus ex natura rei diſtinctus ab ipſo, & propria cauſalitas potentiæ de prædicamento actionis.

Secundo probant; nam eadem qualitas cognitionis, ſicut & amoris duobus modis poteſt produci; nimirum modo naturali, vt pendeat à facultate vitali, & à ſpecie impreſſa, vel etiam ab habitu aliquo acquiſito, aut infuſo; & modo ſupernaturali, ita vt tantum producatur, & dependeat à Deo, & à facultate vitali, ſupplente ipſo Deo vicem ſpeciei impreſſæ, & cuiuſcumque habitus: ſed hoc fieri non poſſet, ſi qualitas cognitionis per ſe ipſam immediatè produceretur; nam variato principio producente, ipſam quoque formam immediatè productam, vel producendam variari neceſſe eſt. Ergo potius dicendum videtur, qualitatem cognitionis, media aliqua actione produci.

Tertio idem probari poteſt; nam operationes immanentes cognoſcendi, & appetendi, non modo fieri poſſe in nobis à ſolo Deo de potẽtia abſoluta, nihil nobis ad eas cooperantibus, docent plures Theologi cum Scoto: ſed Nominales, ita etiam nunc de facto fieri affirmant operationem beatitudinis, ſeu claram Dei viſionem in beatis; Quod certè verificari non poſſet ſi actiones ipſæ immanentes includerent actualem, & immediatam dependentiam à facultatibus, & principijs vitalibus in genere cauſæ efficientis.

Scot. in 3. diſt. 13. §. ad 3. q. Ochã in 1. diſt. 1. q. 2. concl. 2. Gabr. ibid. q. 2. art. 2. concl. 4. Maior. in 3. diſtin. 14. q. 2. Marſil. in 3. q. 10. art. 2. Soncin. 9. met. q. 20. & 21. Vega lib. 6. in Conc. Trid. c. 8. Aug. epiſt. 105. Greg. Mag. 16. moral. cap. 10. vel 11. Anſel. in 1. Cor. 15. Ad Philipp. 2. Lib. 1. ad ſimplician. q. 2.

Poſtremò hoc idem confirmatur; nam gratia præueniens, quam Deus operatur in nobis ſine nobis, vt docent Auguſtinus, Gregorius Magnus, Anſelm. & alij Patres; communiter exponitur eſſe ſanctam quandam cogitationem, quæ & vocatio dici ſolet, iuxta quam etiam Deus operatur in nobis velle, & perficere, vt ait Apoſtolus ad Philippenſes, quem Auguſtinus interpretatur. Ergo de facto non ſemper cognitiones, & volitiones procedunt à principio, & potentia vitali; ac proinde cum procedunt, procedere debent per actionem interiectam, ac dependentiã illis omnino accidẽtalem.

Nihilo-

Nihilominus opposita sententia probabilior nobis videtur, & communior apud recentiores Philosophos, nempe qualitatem ipsam, per quam formaliter sentimus, & cognoscimus, per suam entitatem proximè pendere à facultate, & principio vitali in genere causæ efficientis, nulla intermedia actione, seu productione ex natura rei distincta. Probatur autem primò, quia nihil essentialiter alicui conuenire potest per aliquid à se ex natura rei distinctum, vt per se est euidens, & principium in Philosophia; sed dependere à potentia, & principio vitali, essentialiter conuenit sensationi internæ, & cuilibet cognitioni, vt supra probatum est; & ab aduersarijs, vt plurimum conceditur; ergo sensatio sicut quælibet alia cognitio non dependet à potentia, & à principio vitali per aliquid à se ex natura rei distinctum. *Cap. præcedenti.*

Responderi posset, dependentiam à facultate, & principio vitali, quæ essentialiter conuenit cognitioni, non esse dependentiam actualem, qua actu pendet ab illis, prout existens est, sed tantum esse exigentiam quandam naturalem ipsius, vt pendeat à tali principio, & facultate, quamuis actu pendeat per accidens à se distinctum ex natura rei; Quod est dependere quidem essentialiter, sed mediate. Quemadmodum dependentia, qua omnis creatura essentialiter à Deo dependet, non est dependentia actualis, qua creatura actu, & immediatè producitur, vel conseruatur (nam sicut per accidens quælibet creatura actu existit in rerum natura; ita per accidentalem viam, suum esse actuale à Deo debet recipere, nempe per creationem, aut conseruationem) sed est illa dependentia, qua omnis creatura siue hac, siue alia via necessario omnino dependere debet à creatore, quod prædicatum conuenit creaturæ actu existenti, & non existenti. Quare optimè videtur saluari essentialem dependentiam cognitionis à facultate, & principio vitali, quamuis per viam interiectam ab illis dependeat.

Sed contra est primò; nam si dependentia, qua actualis cognitio immediatè dependet à cognoscente, non esset pariter de essentia illius, prout existentis (quod est proximè depen-

dependere per suam substantiam) sed potius conueniret illi tanquam accidens distinctum; eodem modo esset variabilis, quo variabilis est dependentia actualis, qua actu eadem creatura dependet à creatore, quæ modo est creatio, modò verò conseruatio (quamuis in valde probabili opinione, nec conseruatio distinguatur ex natura rei à creatione, nec vtraque via, vt sic à nobis concepta à creatura.) Ex hoc autem vlterius fieret, quod variabilis etiam esset causa cognoscitiua, seu cognitor, manente eadem numero cognitione. Siquidem non esset eadem ratio, ac de inuariabilitate causæ primæ respectu creaturæ. Etenim creatura ex eo dependere non potest nisi à solo Deo, quamuis proximè dependeat per accidens interiectum, quia non reperitur in rerum natura alia causa præter Deum, à qua absolutè dependere possit. Quare si plures essent Dij, vel entia à se, (vt falsò, & impie arbitrantur Gentiles) indifferens esset creatura non solum ad procedendum per hanc, vel illam dependentiam actualem, sed etiam ab hoc, vel ab illo Deo, seu causa creante, & conseruante: quia de se creatura, vt talis est, non postulat nisi esse ab alio creante, & conseruante, quodcumque illud sit. At cognitio cum ex se, & natura specifica sua, non tantum ab vno cognitore possit procedere, sed à pluribus eiusdem saltem speciei, si semel concedatur, variari posse dependentiam proximam, & actualem eiusdem numero cognitionis, eadem ratione sequitur variari etiam posse causam ipsam cognoscentem, seu cognitorem eo modo, quo cum calor productus à sole, vel ab vno igne conseruatur ab alio igne, non modo variatur calefactio, sed ipse quoque calefactor. Quod argumentum maiorem vim habet in sententia eorundem aduersariorum, qui dicunt cognitionem non variari, nec numero, variato principio producente, & via, per quam ipsa ab eo dependet. Sequeretur enim cognitionem productam ab intellectu Angelico conseruari posse in se ab intellectu humano, vel saltem vnum hominem intelligere posse per cognitionem alterius hominis de potentia absoluta, transferente Deo, cognitionem productam ab

vno,

vno, vt conseruetur ab alio. Quod est absurdum.

Secundo idem effugium præcluditur, & impugnatur; nam si dependentia à sua potentia, & principio vitali, quæ est de essentia cognitionis, tantum intelligeretur secundum exigentiam naturalem, qua cognitio essentialiter postulat conatum potentiæ, & substantiæ vitalis; non autem secundum actualem, & immediatam connexionem suæ substantiæ cum ipsa potentia, & principio vitali: Sequeretur de facto posse Deum se solo qualitatem cognitionis producere, vel conseruare cum omnibus absurdis ab eisdem aduersarijs contra talem positionem relatis. Sequela verò manifestè probatur, tum ratione vniuersali, qua se solo Deus potest producere quicquid de facto producit cum causa secunda concurrente per actionem distinctam ex natura rei; tum in specie, quia non destrueretur essentia cognitionis sic explicata; semper enim maneret in cognitione eadem inuiolata exigentia, qua essentialiter postularet suum principium naturale, quemamodum manet in quantitate Corporis Christi exigentia essentialis ad habendam extensionem naturalem, quam non habet in Sacramento Eucharistiæ, & quam alibi retinet mediante alia præsentia locali. Vt igitur iure dicamus implicare contradictionem, cognitionem fieri, vel conseruari absque sua facultate, & principio vitali, explicanda est dependentia essentialis illius non modo secundum exigentiam prædictam, sed etiam secundum immediatam connexionem, quam substantia cognitionis includit cum suo principio naturali: ita vt intelligi non possit cognitio actualis, quin actu, & proximè dependeat à sua facultate, & substantia vitali. *Vasq. eadem disput. 9. c. 5.*

Nec item effugiet, qui dixerit, cognitioni actuali essentialiter quidem conuenire talem dependentiam actualem, attamen mediante actione distincta. Nam implicat contradictionem, aliquid essentialiter actu alicui conuenire, & conuenire per aliquid à se ex natura rei distinctum, vt supra in prima ac principali probatione assumpsimus. Si igitur huic cognitioni, vt existens est, essentialiter conuenit actu procedere

dere à suo principio, & potentia vitali, ipsa processio non potest esse aliquid ex natura rei distinctum ab illa. Alioquin ex vno capite id per quod actu,& proximè cognitio dependeret,esset via interiecta, ac proinde sine tali via accidentali non daretur huiusmodi actualis dependentia. Ex alio verò capite, necessariò daretur sine illa; nam hoc ipso, quod huiusmodi actualis dependentia esset prædicatum essentiale, cognitionis actualis,non posset non verificari de suo subiecto actu existente. Quare magis consequenter loquitur,qui negat prædictam dependentiam essentialem cognitionis à potentia, cum asserat pendere per veram actionem distinctam, quàm qui eandem concedit, asserens vtrumque saluari, eo quod cognitio non sine concursu facultatis, & substantiæ vitalis potest procedere,quamuis per viam ex natura rei distinctam procedat. Quod certè idem est,ac constituere talem concursum simpliciter de necessitate, & essentia, seu entitate cognitionis, quæ sine illo nec de potentia absoluta intelligi, aut existere possit; cum tamen ex alio capite constituatur accidens à parte rei distinctum à cognitione tanquam via, seu actio prædicamentalis à termino.

Suar. loco cit.

Vasq. loco cit.

Vlterius ergo alia ratione probatur conclusio; nam de essentia cuiusque cognitionis, & amoris est, vt per illam immediatè animal tendat, ac feratur in obiectum; ac de cognitione hoc est peculiare, vt per illam homo attendere dicatur ad rem cognitam. Attentio autem manifestè indicat conatum eius, qui attendit, vt aduersarij etiam concedunt; ergo non potest per alium conatum, seu distinctam efficientiam procedere; sed eadem attentio, prout essentialiter denotat operationem cognoscentis, dicetur conatus illius; prout verò denotat attingentiam obiecti, dicetur formalis cognitio. Implicat enim conatum per alium conatum procedere, & attentionem non esse ipsum conatum, seu egressum potentiæ, quo concipimus cognoscentem ferri, ac tendere in obiectum.

Nec alia ratione actio prædicamentalis est ipsa efficientia agentis, & attingentia effectus per se ipsam immediatè producta;

ducta; ad cuius similitudinem & proportionem, cognitiones omnes, & volitiones dicuntur actiones grammaticales, quamuis in se sint meræ qualitates. Quia videlicet pari modo includunt essentialem,& actualem dependentiam à causa efficiente, ipsamque constituunt formaliter tendentem. Vnde videntur quodammodo eminenter continere conditiones, & proprietates actionum, ac proinde eminenter vocari posse actiones.

Tertio non minus perspicuè probatur conclusio; nam tota ratio ponendi vias, ac dependentias distinctas à terminis, est, quod termini ita dependent à quibusdam causis, & ab earum influxu, vt sine illis etiam produci, & existere possint. Et e contra,tota ratio asserendi nonnullas formas in sua entitate includere essentialem, & actualem dependentiam à suis efficientibus, aut subiectis, (quod est per se, & immediatè dependere ab illis) non est alia, nisi quia huiusmodi entitates nec esse, nec intelligi possunt in rerum natura absque tali dependentia; Vt actio absque dependentia ab agente; vnio à partibus; figura à quantitate; & relatio à fundamento: Vt communiter ab omnibus Philosophis cum Aristotele probatur. At nullum est signum, quo appareat, sensationem internam, aut alium similem actum vitalem produci, aut existere posse absque actuali dependentia à sua facultate,& principio vitali; imo concipi non potest sensatio absque sensu, visio absque visu, tactus absque tangente &c. Ergo rectè inde à posteriori colligitur, sensationem huiusmodi, aut similem aliam qualitatem, & operationem vitalem, se ipsa, & non per aliquid intermedium pendere à facultate, & principio vitali.

Corroboratur hoc argumentum, nam si sensatio, & intellectio, vel similis actus vitalis produci, aut existere posset virtute diuina, ac supernaturali absque actuali dependentia à principio vitæ, plura sequerentur absurda, quæ contra Doctores supra citatos solent afferri. Vt, verbi gratia, lapidem posse sentire recipiendo talem qualitatem à solo Deo productam, quia ex parte receptionis nulla esset implicantia,

tia,& talis qualitas formaliter constitueret eum sentientem, quemadmodum densitas constituit densum. Similiter intellectum ab anima separatum posse intelligere, ac beari: quemadmodum quantitas sine substantia in Sacramēto potest dealbari. Insuper posse inanimem voluntatem frui, & amare; & liberum esse actum voluntatis sine ratione, & similia. Sed nullo alio pacto negari potest diuinæ omnipotentiæ talis productio actus, nisi dicamus proximè, & essentialiter eum dependere à sua facultate,& principio vitæ actu concurrente: Quia nullo alio argumento probari posset id implicare contradictionem, vt patet ex solutione aliarum rationum: Ergo ne tot, ac tanta cogamur absurda concedere, potius dicendum est, id, quod à posteriori colligimus, (nempe Deum se solo non posse hos effectus producere) à priori ea ratione probari, quia implicat contradictionem, modum esse absque re, quam modificat, & cognitionem absque cognoscente, à quo proximè per suam essentiam & entitatem dependet.

Tandem confirmatur conclusio, quoniam iuxta illam multo melius intelligitur, intellectum fieri omnia in actu, quo ipsa intelligit, vt docet Aristoteles. *3. de anima tex. 18.* Quandoquidem immediatius videtur referre obiectum per modum se habendi erga illud, quàm referret per productionem, & receptionem imaginis illius. Imo dum res per sui modificationem aliam refert, ipsamet constituitur veluti imago illius, vt cum homo gestu, aut loquela alium imitatur, ac refert. Vnde & fusilis magnitudo æris, vel ceræ, immediatius alia corpora refert per figuram; qua intrinsecè, & immediatè terminatur, & efformatur, quàm si per colores, vel aliud à se realiter distinctum, eadem ipsa referret.

Quod si quis putet inconueniens, vltimam hominis perfectionem, vt est cognitio, vel amor, in entitate quadam modali constituere, quæ quidem videtur ex se maximam imperfectionem includere, ac diminutum tantum esse participare, eo quod semper sit esse alterius, à quo separari non potest: Occurrendum est, licet quilibet modus, prout con-

distin-

distinguitur à propria re, & prout ens alterius est, ex genere suo dicat imperfectionem ; nihilominus ratione propriæ differentiæ,& naturæ specificæ, multos esse modos longè perfectiores,& nobiliores pluribus accidẽtibus,quæ distinguũtur, sicut res à re à suis subiectis . Vt vnio substantialis animæ rationalis cum corpore ; subsistentia naturalis cuiuslibet substantiæ;& vnio hypostatica humanitatis cum Verbo Diuino. Qui modi quidem sunt ; sed nobilissimi . Non igitur hoc ipso, quod cognitio, & amor modalem essentiam participant, rectè sequitur imperfectissima esse accidentia , nec posse hominibus perfectionem adducere .

Ad fundamenta ergo oppositæ sententiæ respondetur: ad primum concedendo nullam rem creatam ab alijs realiter distinctam , tantam habere dependentiam ab aliqua creatura,vt non possit à solo Deo fieri absque adminiculo, vel consortio illius; negando tamen omnes actus immanentes, præsertim actus cognitionis esse huiusmodi ; Nam vt vidimus , cognitio non est res realiter distincta , sed modus potentiæ cognoscentis distinctus ab illa modaliter ex natura rei, sicut relatio à fundamento , figura à quantitate, sessio à sedente , & actio ab agente . Quamobrem sicut implicat contradictionem præfatos modos esse , aut produci absque concursu rerum, quarum sunt modi ; atque ex hoc colligitur essentialis dependentia eorum , qua omnes fatentur proximè per suam substantiam pendere ab illis; ita similiter fatendum est eadem ratione , cognitionem produci non posse absque suo principio essentiali , ac proinde per suam entitatem , & non per aliquod intermedium pendere ab illo .

Ad secundum respondetur,variato principio producente, variari etiam cognitionem productam,non tantum numero, sed quandoque etiam specie secundum diuersas formalitates . Quod certè non asseritur absque fundamento , vt putant aliqui. Nam ad distinctionem numericam cognitionum, non est necessaria diuersa intentio qualitatis cognitionis,vel alius modus siue in re cognita , siue in actu cognoscendi diuersus , vt ipsi supponunt . Potest enim idem omnino inuariatum

Vasquez in 1. 2. q. 3. disp. 9. c. 7.

riatum obiectum cognosci per diuersas cognitiones æque intensas, vel remissas in diuersis temporibus ab eodem eadem ratione cognoscente, vt ipsimet aduersarij (licet parum consequenter) tandem concedunt. Ergo multò magis idem cognoscetur per diuersas numero cognitiones, quando vel cognoscens est diuersum, vel sunt diuersæ rationes, & principia cognoscendi. Siquidem plus valet ad distinctionem numericam actuũ, diuersum aliquod principium, à quo proximè per suam substantiam dependent, quam tempus hoc, vel illud ad quod est per se indifferens, hic vel alius actus. Ratio verò à priori est, nam quando eadem indiuisibilis entitas secundum diuersas formalitates proximè à pluribus agentibus simul dependet, aut producitur, variato vno agente, variatur tota entitas rei. Siquidem ita tota dependet ab omnibus, vt tota pariter dependeat à singulis, & mutato in illa vno gradu metaphysico, seu vna formalitate ipsius, tota mutatur entitas physica eiusdem. Vnde amor naturalis plusquam numero differt ab amore supernaturali eiusdem obiecti, etiam si in eodem tempore quilibet illorum disiunctiuè consideretur in subiecto: idque non alia ratione, nisi quia mutatur vnum principium amoris in aliud numero & essentialiter diuersum. Sic ergo cognitio elicita per habitum naturalem, & speciem impressam non esset eadem numero, si eliceretur à sola potentia eleuata per auxilium Dei extrinsecum, vel qualitatem supernaturalem.

Denique eadem ratione, qua aduersarij probant, variato principio producente, variari etiam productionem; probatur, variato principio cognoscente, variari cognitionem. Vtraque enim forma eodem omnino pacto dependet à suo principio. Non ergo sequeretur ex nostra sententia, posse eandem cognitionem produci à diuersis principijs, manente eadem dependentia; sed cum dependentia diuersa, sequetur mutari etiam cognitionem, cum qua dependentia identificatur. Nec obstat hoc esse aliquod nouum, vt ipsi aiunt, si hactenus alia ratione firmius non impugnetur.

Ad tertium respondetur ex antecedenti assumpto iuxta opi-

opinionem illorum Doctorum rectè inferri, quod intenditur; nihil tamen contra nos eo argumento; quippe qui oppositam sententiam communi aliorum consensu, veriorem ac probabiliorem existimauimus cum D. Thoma, magisq. consonam Concilio Tridentino, vbi damnatur, qui dixerit liberum arbitrium nostræ voluntatis à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, sed veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, merèq. passiue se habere.

2. 2. q. 23. art. 1. & 1. 2. q. 3. art. 2. 3. & 4.
Concil. Trident. sess. 6. can. 4.

Ad confirmationem respondetur, modum illum loquendi Sanctorum Patrum non significare Deum operari in nobis sanctam cogitationem sine nostro physico concursu, sed sine nostra libertate, ac determinatione, ex qua actus nostri denominantur humani, ac nostri propriè dicti, vt homines sumus, iuxta doctrinam Diui Thomæ. Et iuxta eundem sensum Apostolus ad Romanos negabat se operari suos proprios motus sensus, vel appetitus cum sine deliberatione eos eliciebat, dicens. Quod odi malum, illud facio, iam non ego operòr illud, sed quod habitat in me peccatum.

1. 2. q. 6. art. 1.
Ad Rom. 7.

Quotuplex sit sensatio interna. *Cap. V.*

PLVRA, ac diuersa internarum sensationum genera commemorantur apud Philosophos, proprijs nominibus varia vniuscuiusque ratione nuncupata; ex quibus totidem plerique inferunt esse potentias, à quibus manant. Et quamuis in numero non conueniant, omnino tamen plusquam quatuor, vel quinque non reperiuntur enumerata. Ad vnum enim genus communiter pertinere aiunt quamlibet cognitionem obiectorum perceptibilum etiam à sensibus externis in præsentia illorum, quæ sensatio dicitur esse sensus communis: Ad aliud verò, cognitionem eorundem in absentia, eamque vocant imaginationem. Insuper ad

aliud dicunt pertinere ſenſationem obiectorum, quæ ab externis ſenſibus non percipiuntur, & vocant extimationem. Ad aliud pariter ſenſationem per quam percipiuntur, & copulantur obiecta non ſenſata cum ſenſatis à ſenſibus externis, quæ ſenſatio phantaſia, ſeu phantaſma appellatur. Ac tandem ad aliud genus ſpectare dicunt quamcumque prædictorum memoriam, ſeu recordationem. De quibus videre licet Auicennam, Auerroem, Algazelum, M. Albertum, Gandauenſem, & alios, qui in ſecundum de anima agunt de numero ſenſuum internorum. Verum hæc enumeratio ex parte redundat, & ex parte deficit in quibuſdam, multa ſupponendo, quæ non ſunt, aliaque ſatis diuerſa nullatenus diſtinguendo, de quibus mox ſigillatim nobis erit agendum.

Auicenn. lib. 6. natural. par. 4. Auerr. 2. de anima comm. 6. Algazel. lib. de anima tract. 4. cap. 4. Alber. Mag. 2. de anima tract. 4. cap. 7. Gandauenſ. 2. de anima q. 37.

Vt igitur diſtinctius, ac facilius procedamus, cum ſupra determinatum ſit quot, & quæ nam obiecta ſub ſenſum interiorem cadant, ſtatuendum hic in primis eſt, tot eſſe ſenſationes internas ſpecie diuerſas, quot eſſe diximus obiecta illarum eadem ratione in ſe ipſis diſtincta. In quo nulla poteſt eſſe controuerſia, ſuppoſita doctrina Ariſtotelis communiter recepta de ſpecificatione actuum per obiecta. Et vnica ratio ſuadet, nam ſi proculdubio iuxta diuerſitatem obiectorum differunt imagines impreſſæ emanantes ab ipſis; ita pariter differre debent expreſſæ, quæ eandem omnino naturam ſapiunt ac referunt, & quæ virtute impreſſarum tanquam ex ſemine potentiam fœcundante, ad eandem naturam obiecti exprimendam procreantur.

2. de anima tex. 33.

Secundo ſtabiliendum eſt, aliquas dari in obiectis etiam eiuſdem naturæ circumſtantias, & conditiones diuerſas, quæ ex ſe valent ſenſationes internas ſpecificè diuerſificare. Huiuſmodi ſunt præſentia, vel abſentia obiectorum, & coniunctio, vel ſeparatio eorundem cum potentia, prout conſtituuntur illi intrinſeca, vel extrinſeca, vt ſupra explicauimus. Quia licet non varient ſubſtantiam obiecti, variant nihilominus modum immutandi potentiam, proindeque ſe habent tanquam differentiæ eſſentiales in ratione

Tract. 3. cap. 2.

obiecti

obiecti formalis. Probatur autem hoc primò de præsentia, vel absentia: Nam quando percipitur obiectum præsens (cooperantibus nimirum sensibus externis) fit sensatio actu patiendo aliquid ab illo; secus verò si sit absens, præteritum, vel futurum. Ex quo fit, vt in præsentia per receptionem nouæ imaginis, aliter se habeat potentia in actu primo, quotiescumque promit actum secundum. In absentia verò hac ratione non immutetur, sed per vsum speciei, quam hactenus obiectum inuexit, eliciat sensationem, quæ est actus secundus. Cum igitur potentiam de nouo sic immutari, vel non immutari in actu primo dum operatur, differentiæ sint essentiales in ratione operantis, vt operans est: sequitur vt operationes ipsæ diuersimodè ab eo sic ortæ, ad duo ac diuersa sensationum internarum genera pertineant, ita vt sentire in præsentia cooperantibus sensibus externis, & sentire in absentia, sensationes sint genere diuersæ. Vnde primum genus in cunctis reperitur animantibus: Secundum verò non omnibus, sed perfectioribus dumtaxat competit animalibus, nimirum his, quæ valent, quod senserint meminisse, vt iuxta doctrinam Aristotelis explicat Aphrodiseus. *1. Metaph. t.1.*

Deinde idem probatur de coniunctione, vel separatione, qua obiecta dicuntur intrinseca, vel extrinseca; Nam sensatio interna alicuius obiecti intrinseci, vt motus appetitus sensitiui, vel sensus externi, non solum est diuersa à sensatione interna obiecti extrinseci iuxta substantialem diuersitatem ipsorum obiectorum inter se; sed etiam propter circumstantias, seu conditiones diuersas coniunctionis, & separationis, quas includunt eadem obiecta respectu potentiæ. Siquidem quando obiectum est intrinsecum, & coniunctum, proximè attingitur à solo sensu interiori, nullo alio interiecto ministerio alterius potentiæ, siue proximo, siue remoto: quando verò est extrinsecum, non nisi cooperantibus sensibus externis, per quos eius similitudo intus transfunditur, vel hactenus fuit transfusa: Quapropter semper sensatio interna circa extrinseca inuoluit cognitio-

nem sensationis externæ, quam supponit tanquam principium aliquod sui esse per speciem, quam illa emisit, & qua mediante ipsa fuit elicita. Itaque tam ex parte inadæquatæ terminationis obiecti extrinseci, quàm ex parte principij à quo dependet ipsa sensatio interna obiecti extrinseci, essentialiter differt à sensatione obiecti intrinseci. Id, quod ex eo vlterius planum fit; nam aliqua obiecta intrinseca, etiamsi præterita sint, reuocari quasi valent in præsentiam, sensu interiore excitante appetitum ad similem actum, vel sensationem externam prouenientem ab intrinseca causa, dum illum ipsum actum imaginatur, quem de nouo facit elicere, vt frequenter tam vigilantibus, quàm etiam dormientibus circa intensum dolorem, aut delectationem, famem, & sitim contingit: Quæ omnia exerceri nequeunt circa obiecta extrinseca, quorum præsentia, vel existentia non est in potestate potentiæ sentientis. Concluditur ergò, quatuor esse species internarum sensationum ex parte prædictarum conditionum, cum quibus offerri solent obiecta.

Tertio dicendum est tot esse sensationes internas specie diuersas, quot sunt earum modi attingendi obiecta essentialiter diuersi, vt si attingant intuitiuè, vel abstractiuè, mediatè, vel immediatè, vt dictum est. Similiter si procedant per modum extimationis circà realitatem obiecti, vel tantum sistendo in apparentia, quæ per imaginationem concipitur, aut effingitur. Tandem si procedant per modum primæ, seu absolutæ cognitionis, vel per modum iteratæ cognitionis circa obiecta cognita, vt hactenus cognita, prout sunt cognitiones memoratiuæ. De quibus omnibus sequentibus capitibus sigillatim agendum est, cum hic recensere tantummodò ipsos modos statuerim, quos infrà constabit esse essentialiter diuersos: planumq. fit omnium Philosophorum consensu, modum attingendi obiecta essentialiter diuersum, diuersam pariter cognitionem reddere secundum speciem.

Interim tamen potest constare omnia nos genera inter-

narum.

narum ſenſationum enumeraſſe; nam primo, quod addunt alij genus extimationis ad percipienda obiecta non ſenſata à ſenſibus externis, omninò redundat; ſiquidem per huiuſmodi obiecta, vel intelligunt ſenſationes ipſas ſenſuum externorum, & motus appetitus ſenſitiui; Et ſic eorum interna ſenſatio iam admiſſa eſt à nobis, diſpoſitaque in ſuo genere cognitionis obiectorum intrinſecorum. Vel per huiuſmodi obiecta intelligunt paſſiones illas entium, de quibus ſupra inueſtigauimus, vt bonitatem, & malitiam, ſeu conuenientiam, & diſconuenientiam, amicitiam, & inimicitiam, & ſimilia; & vt ſic locum non habet hæc ſenſatio, quæ dicitur extimatio, quia re vera talia obiecta ſunt extrà latitudinem obiecti adæquati ſenſus interioris, ſolumq. percipiuntur ab intellectu, vt ibi ſatis abundè, luculenterque probare conati ſumus. *Tract. 2. cap. 4.*

Deinde, quod addunt genus phantaſiæ ad copulandas ſpecies non ſenſatas cum ſenſatis, ex eo reijcitur; nam ſi ſermo ſit de ſpeciebus impreſſis, hæ nec copulantur, nec ſeparantur per actum cognitionis formaliter, quia nullo modo cognoſcuntur à ſenſu, ſed tantum ſunt illi rationes cognoſcendi obiecta; copulantur autem materialiter dum ſimul potentia vtitur illis ad cognoſcenda obiecta ſenſata, & inſenſata, quod fit per imaginationem, & extimationem in aduerſariorum ſententia; Vnde nihil in hoc agendum remanet phantaſiæ. Si verò ſermo ſit de ſpeciebus expreſſis, hæ pariter nulla indigent coniunctione, aut ſeparatione, præter materialem connexionem, qua vna ſpecies, ſeu actus exprimitur poſt alium, vel ſimul cum alio, niſi fortaſſe quis dicat coniungi, vel ſeparari ſpecies obiectorum per expreſſionem connexionis, vel diſcrepantiæ, quæ eſt inter ipſa obiecta. Quod certè, vel idem eſt, ac ſeparare, & componere affirmando, aut negando vnum de alio, & formaliter cognoſcendo connexionem ipſam, ac diſcrepantiam, ſeu conuenientiam, & diſconuenientiam prædicati cum ſubiecto: Et ſic eſt opus ſolius intellectus, ac ſenſui minimè concedendum. Vel tantum eſt materialis quædam, & com-

plexa appræhensio prædicati cum subiecto per naturalem connexionem specierum, quibus illa simul repræsentatur, siue tanquam vnita inter se, siue remota; vt infrà dicetur constitui obscurum, & imperfectum iudicium: Et sic talis copulatio specierum, siuè modus cognoscendi non constituit sensationem essentialiter diuersam, sed ad summum tantum inuoluit maiorem perfectionem, ac distinctionem ipsius cognitionis, perfectioremq. vsum imaginum impressarum, quatenus per illas non confunduntur obiecta diuersa, vt cum exprimuntur per modum vnius, sed seorsum repræsentantur, siuè coniuncta, siuè remota, prout sunt à parte rei per simultaneam cognitionem, quæ imitatur iudicium. Idemque dicendum est de sensatione, quæ procedit per modum discursus. Siquidem omnes sunt differentiæ accidentales, secus ac in operationibus intellectus, per quas exprimitur formalis connexio prædicati cum subiecto, & consequentis cum antecedenti.

Cap. 11. huius Tract.

De interna sensatione obiectorum præsentium, quæ dicitur sensatio sensus communis. Cap. VI.



XACTIOR tradenda erat de singulis sensationibus internis inuestigatio, quam quæ proximo cap. enumeratio illarum simul permitteret. Deinceps igitur sigillatim de illis agendum erit, ac primo de interna perceptione obiectorum præsentium, quæ natura, & ordine cæteras antecedit. Affinis est enim sensationibus externis, similemq. sortitur conditionem cum illis, à quibus ferè omnis interior sensatio per rerum simulacra sumit exordium. Ac ne frustra eandem disputationem sub diuerso verborum titulo repetamus, certum esse debet, sensum interiorem omnia, & singula obiecta sensuum externorum peculiari quadam sensatione in eorum pręsentia simul cum ipsis externis sensibus operando percipere; quæ sensatio dici solet sensatio sensus com-

communis; idque satis potest constare ex dictis de existentia sensus interioris in principio, ac diuisione sensationum paulo ante disposita. Hic tamen inuestigandum remanet qua ratione dicatur sensus interior attingere in obiectis præsentiam, & quo pacto hæc interna perceptio fiat: Id, quod non caret difficultate. Cum enim præsentia obiecti constituatur ex circumstantijs quibusdam simultatis temporis, & loci iuxta sphæram actiuitatis potentiæ; difficile videtur ab alia facultate, quam ab intellectu per comparationem percipi posse, loquendo de cognitione formali, ac distincta. Quod si loquamur de cognitione materiali, & confusa, prout sensibus externis conceditur, alia ratio aduersatur: Nam hæc ex vno capite necessariò esset cognitio intuitiua. Directè enim intueretur, & per se attingeret obiectum cum præsentia per modum vnius, quemadmodum attingit quælibet sensatio externa. Quandoquidem per hoc formaliter omnis cognitio intuitiua differt ab abstractiua; quod intuitiua per se sit perceptiua realis, & existentis præsentiæ obiecti: abstractiua verò non ita, sed aliunde obiectum absens cognoscat. Ex alio verò capite non esset cognitio intuitiua, quia non attingeret obiectum immediatè, sed mediantibus sensibus externis: ad cognitionem autem intuitiuam requiritur attingentia immediata. Quamobrem visio clara Dei, quæ est notitia intellectus intuitiua, dicitur fieri facie ad faciem, vt ait Apostolus: Atque ex hoc scripturæ loco, qui im- *1. Corin. 13.* mediationem attingentiæ significat, putat Scotus, & Gre- *Scot. quodlib. 6. art. 1.* gorius, desumptam fuisse appellationem notitiæ intuitiuæ. *Greg. in 1. dist. 3. q. 3. art. 1.* Ne igitur hæc duo contradictoria simul sequantur, concludi videtur, sensum internum, nec materialiter, nec formaliter præsentiam in obiectis attingere, quæ non nisi intuitiuè, & immediatè attingi potest, vt ex alijs patet inductione, quia nulla alia datur attingentia præsentiæ, quæ simul non sit immediata, & intuita, qualis sensatio interna esse non potest.

Vt autem luculentius difficultas euadatur, distinguendum est de præsentia huiusmodi obiectorum; nam si loqua-

mur de illa absolutè respectu ipsius sensus interni, absque controuersia omnia sensibilia dicentur illi æque præsentia, & vt præsentia etiam longè remota cognosci. Nam obiectum tunc dicitur præsens potentiæ cognoscitiuæ, quando constituitur intra sphæram actiuitatis illius, siue prope, siue longe. Mons enim ad quingenta, vel sexcenta stadia eminus conspicitur, remotioresq. firmamenti stellas apertissimè intuemur, ac tonitrua longe facta audimus, prout hæc omnia verè nobis præsentia. Et sicut non potest obiectum attingi extra sphæram actiuitatis potentiæ, ita quotiescumque attingitur vt præsens, hoc sensu attingitur. Cum ergo obiectum sensibile siue propinquum, siue remotum à sensibus externis, semper sit intra sphæram actiuitatis, siue cognitionis sensus interioris, & æquè ab illo attingatur: non potest non vt præsens attingi. Vnde Augustinus de ingenti aula suæ memoriæ proloquutus subiungit. Ibi mihi cœlum, & terra, & mare præsto sunt cum omnibus, quæ in eis sentire potui &c. pauloq. inferius concludit. Et hæc omnia rursus quasi præsentia meditor. Controuersia igitur tantum esse potest de præsentia obiecti respectu sensuum externorum, & quam attingunt ipsi sensus externi. Vtrum scilicet hæc percipiatur etiam à sensu interiori, non obstantibus rationibus dubitādi proximè adductis; nam de tali, & non alia præsentia communis loquendi modus videtur supponere.

Lib. 10. confess. cap. 8.

Dicendum primo est, sensum interiorem verè, ac propriè attingere in obiectis præsentiam, quam attingunt sensus exteriores, dum operatur simul cum illis. Ita communiter supponunt Philosophi, dum quidquid à sensibus externis percipitur, ad sensum communem transfundi, aiunt cum Aristotele, & expressè docent plures recentiores. Probatur autem primo; nam sicut nihil valet operari sensus exterior absque concursu interioris saltem in vigilia, vt sæpe ab experientia, & ex Aristotele retulimus: ita nihil valet sentire, quod ille pariter non sentiat. At sensus exterior percipit præsentiam obiecti cum distantia, vel propinquitate loci cæterisque conditionibus, quamuis materiali modo: Ergo multò

De somn. et vig. c. 2. & de vita, & morte c. 1. Conimbr. 2. de anima q. 3. ar. 1

multò melius idem percipiet sensus interior, qui per diuersos aditus, ac sensus exteriores, plures valet simul circumstantias compræhendere. Secundo probatur; nam quando aliquid contemplamur, simulq. oculis intuemur, necessariò repræsentatur nobis cum certa ac reali præsentia, imò & distantia, seu propinquitate, alijsq. circumstantijs, quas non possumus non affirmare de illo tanquam veras, prout sunt à parte rei. Quod si clausis oculis idem obiectum imaginemur, non amplius necessario, sed pro arbitrio cum illis circumstantijs offeretur: ac propterea ea omnia tunc nequaquam certò vera esse dicemus, quamuis in se vera sint: quia in aduertente sensu interiori, distantia, vel præsentia illa tunc potuisset mutari. Indicium est ergo sensum interiorem verè cum externo concurrere, ac percipere obiectum cum presentia, quam necessario indicat veram. Confirmatur; nam si sensus interior vna cum exteriori distinctè non perciperet præsentiam, eodem modo decipi posset in vigilia, sicut in somnis frequenter decipitur, præsens aut propinquum iudicando, quod distat, vel abest; & è contra. Ex quo fieret, vt exterior euidentia & certitudo nō transfunderetur interius, & vt non nisi alieno iudicio sponte sensus interior adhæreret; vnde passim confunderetur, ac deciperetur, quod maximum esset absurdum. Tandem ratio à priori est; nam quidquid sensibus externis ad repræsentationem inuritur; siue sint ipsa rerum simulacra, siue modificationes eorum per accidentia, hoc omne intus refunditur; vnde principium, & regimen obtinet sensus in externis functionibus obeundis. Cum igitur præsentia obiectorum siue per distinctas imagines, siue per modificationem earum, quæ ab obiectis emanant externis sensibus innotescat, interno pariter eam repræsentari consequitur.

Vlterius dicendum est, sensum interiorem propriè ferri in sua obiecta præsentia cum sensibus externis, modo intuitiuo, seu cognitionem illius, qua percipit obiecta præsentia simul cum sensibus externis, esse cognitionem intuitiuam: Hæc conclusio sequitur ex præcedenti, supposita communi

Docto-

Doctorum explicatione, ac doctrina de notitia intuitiua, & abstractiua. Illam enim definiunt esse cognitionem intuitiuam, per quam percipitur præsentia obiecti in se, & vi ipsius cognitionis; non verò, quia aliunde comprobatur. Vnde dicitur notitia rei præsentis, vt præsens est, vt Scotus cum alijs aduertit. Sed sensatio interna obiectorum præsentium, quæ simul fit cum sensatione externa, est perceptiua ipsius præsentiæ in se sicut ipsa sensatio externa; idque ex vi propria suæ conditionis, quia valet percipere, & necessario percipit quidquid percipit sensus exterior; non verò, quia aliunde, nempe, quia per aliam cognitionem, vel per aliam rem prius cognitam talis præsentia comprobetur; Ergo sensatio interna obiectorum præsentium, quæ simul fit cum sensationibus externis, verè, & propriè est cognitio intuitiua.

Scot. in 1 dist. 2. p. 2. quæst. 1. & quodlib. 6. ar. 1. Ferrar. lib. 2. cont. gen. c. 69. Duran. in prolog. q. 3.

Confirmatur; nam si quid esset, per quod tanquam per aliam cognitionem, vel per aliud prius cognitum ab interiori sensu huiusmodi præsentia nosceretur, id esset ipsa species expressa, seu sensatio sensus exterioris, in qua prælucere dicuntur obiecta extrinseca cum suis conditionibus: At sensus interior quamuis indigeat sensatione externa, vt per eam fœcundetur propria, ac recenti specie impressa ad eliciendam cognitionem obiecti præsentis, vt præsens est; non tamen per eam ducitur in cognitionem talis obiecti tanquam per imaginem prius cognitam; nec tanquam per cognitionem intermediam, qua sola attingatur obiectum extrinsecum, vt præsens est; nam sensatio interna, vt sæpe diximus, directè fertur in huiusmodi obiecta, ac propterea illa immediatè attingit simul, ac ipsam sensationem externam per eandem speciem impressam: siquidem, vt docet S. Thomas, quando aliqua multa vna specie intelligi possunt, simul intelliguntur: Ergo realis præsentia obiecti extrinseci non percipitur à sensu interiori per alienam cognitionem, vel aliud intermedium, sed per propriam notionem intuitiuam.

1. par. quæst. 12. art. 1.

Rursus idem corroboratur; nam aliud est, sensum interiorem attingere præsentiam obiecti per aliam cognitionem præhabitam à sensu exteriori; aliud verò est in hac attin-

gentia

gentia necessariò concomitari sensationem externam, vt per eam iugiter simulacra recipiat, ac successiuè constituatur in actu primo ad internoscendam simultatem temporis, & loci in obiecto respectu potentiæ exterius sentientis, vbi fundatur præsentia; quod tantum est indigere eius cooperationis ministerio, & concursu. Nihil ergo ex hoc capite obstat quominus huiusmodi attingētia sensus interioris in actu secundo sit propria cognitio intuitiua. Alioqui nec ipsa sensatio externa esset intuitiua; nam sicut obiectum extrinsecum, vt verè præsens est, ab interiori sensu absque exteriori nō posset certò dignosci; ita idem obiectum ab exteriori sine concursu interioris, nullatenus perfectè posset sentiri propter dependentiam, quam exterior sensus ab interiori in operando includit, vt hactenus declarauimus. Denique sicut vsus inspicilli, quo infirmus oculus iuuatur in actu primò ad simpliciter intuendum, vel vsus thelescopij ad percipienda Medicæa sydera, non tollit, vtramque visionem esse intuitiuam; ita actuale ministerium sensus exterioris ad cognoscendam interius realem obiecti præsentiam, non tollit notionem illam esse intuitiuam.

Cur autem ex ijs, quæ pertinent ad obiectum extrinsecum, sola eius realis præsentia non possit ab interiori sensu dignosci absque actuali concursu exterioris, ea ratio esse potest. Nam cætera prædicata pertinent ad quidditatem essentialem, vel accidentalem obiecti, quæ omnia cognosci possunt etiam abstractiuè, & per species hactenus habitas ab ipsis obiectis ministerio sensuum externorum. At verò realis præsentia cum consistat in exercitio actualis existentiæ ipsius obiecti in tali loco, & tempore, cū tali propinquitate, & distantia; necesse est, vt in quolibet instanti cognoscenda, seu affirmanda sit interius de ipso obiecto talis præsentia; in eodem instanti recipiatur species actualis existētiæ ipsius, vt iuxta illud hic & nunc, in quo fundatur simultas potentiæ cognoscitiuę, & obiecti, quod dicitur prę sens, verè affirmetur præsentia realis de ipso. Cumque species illæ iugiter nouæ in quolibet instanti haberi non possint, nisi ab exteriori sensu

prius

prius excipiantur per ſenſationem externam;hinc eſt vt realis præſentia obiecti attingi non poſſit ab interiori ſenſu abſque cooperatione, & miniſterio exterioris.

Vbi notanda eſt obiter differentia inter præſentiam realem obiecti,& imaginariã in modo,quo percipiuntur à ſenſu interiori. Nam is quando cognoſcit rem præteritam, vel abſentem, vt exiſtentem, & præſentem, illa cognitio eſt abſtractiua, non autem intuitiua. Siquidem non terminatur in exercitium actus exiſtentiæ, & præſentiæ illus rei, ſed tantum in quiditatem ipſius actus exiſtentiæ, & præſentiæ cum quo concipitur; abſtrahendo ab exercitio eiuſdem actus, quia re vera per talem cognitionem ſimul non concipitur actus exiſtentiæ in exercitio; quemadmodum ſi verſaretur in rem verè exiſtentem,aut præſentem. Quod exercitium licet accidentaliter competat actui exiſtentiæ, vel præſentiæ, ſicuti etiã rebus alijs creatis, hoc ipſo quod creatæ ſunt; in illud tamen neceſſariò ferri debet cognitio ad hoc, vt verè intuitiua dicatur. Cum igitur ſenſus interior miniſterio ſenſuum externorum hic, & nunc percipit adeſſe obiectum extrinſecum (quod eſt ſimul percipere exercitium, non autem ſolam quidditatem actus exiſtentiæ, & propinquitatis illius) talis cognitio erit propriè intuitiua; ſecus verò ſi illum actum, quem non ſentit extare, abſolutè tantum imaginetur ſecundum ſuam quidditatem abſque exercitio.

Vltimò dicendum eſt ſenſum interiorem verè etiam attingere præſentiam in ſuis obiectis intrinſecis, eaque ſimiliter, vt præſentia modo intuitiuo cognoſcere. Hæc concluſio ſatis manet probata ex ſuperius dictis, eoque magis patebit;nam obiecta intrinſeca nullo miniſterio alterius cognitionis, interiori ſenſui repræſentantur, ſed ſtatim atque ſunt in rerum natura per ſe emittendo proprias ſpecies intentionales immediatè illi obijciuntur tanquam præſentia, prout ſunt à parte rei ſimul in eodem corpore animalis,cum maiori, vel minori diſtantia iuxta organa appetitus ſenſitiui, ac ſenſuum externorum. Quare cognitio ſic elicita,

verè

verè est rei præsentis, vt præsens est, per se, & non aliunde præhabita; ac proinde intuitiua. Vnde pariter diuersimodè immutatur sensus interior, quando percipit obiecta intrinseca verè præsentia, atque cum eadem, absentia vel præterita, vt præsentia imaginatur. Nunc scilicet necessariò iudicando illa verè præsentia; nunc verò omnino abstrahendo à præsentia, vel pro arbitrio illam fingendo. Nunc tendendo in exercitium actualis præsentiæ illorum: nunc verò tantum in quidditatem eorum, siue secundum proprium esse, siue secundum existentiam in tali loco, & tempore, quæ etiam abstractiuè potest cognosci.

Ad rationem igitur dubitandi in principio positam respondetur primò ad primum caput difficultatis, præsentiam obiecti, de qua loquimur, vel sumi prout formaliter dicit relationem simultatis existentiæ in tempore, & loco cum debita propinquitate, ac distantia iuxta sphæram actiuitatis sensuum externorum; & vt sic verè à sola facultate intellectiua per collationem plurium, & non aliter percipi posse, vt in eodem argumento asseritur: vel sumi materialiter pro fundamento illius relationis, nempe pro actuali coexistentia obiecti, qua constituitur hic, & nunc intra sphæram cognitionis prædictæ: Et vt sic percipi à sensu interiori, & exteriori: nam vterque per similitudinem, quam actu excipit ab obiecto, sentit, illud ibi tunc extare cum suis conditionibus temporis, & loci, quas pariter non nisi materialiter percipit, vt hactenus dictum est de propinquitate, & distantia.

Ad secundum verò caput difficultatis respondetur, sensum interiorem immediatè, ac proinde intuitiuè attingere præsentiam obiecti, vt probatum est. Quando autem dicitur ipsum operari mediantibus sensibus externis, intelligendum esse in actu primo, non verò in actu secundo: nam verè tunc constituitur in actu primo ad operandum per speciem, quam recipit à sensationibus externis, in quibus relucere dicuntur obiecta præsentia tanquam in speculo: Quod tamen non obstat quominus per actum secundum ipse imme-

diatè

diatè attingat ſimul ſenſationes, & obiecta per illas repræſentata. Sicut per eundem actum viſionis beatificæ immediatè, ac ſimul terminatur cognitio in eſſentiam diuinam, gerentem vicem ſpeciei, & in creaturas, quæ per eam repræſentantur ſecundum ſuas proprias rationes formales. Nam quid eſt, quod non videant, qui videntem omnia vident? ait Gregorius. Et Bernardus de anima beata. Videt (inquit) verbum, & in verbo, facta per verbum. Atque hæc omnia, vt docet Auguſtinus, vnico intuitu videri intelliguntur, quia (inquit) non erunt volubiles noſtræ cogitationes ab alijs in alia euntes atque redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram vno ſimul conſpectu videbimus. Cum igitur videri aliquid in aliquo ex ſe non tollat immediationem, & vnitatem actus cognoſcendi, qui in vtrumque ſimul terminatur, non eſt cur ſenſatio interna ſimul immediatè non attingat ſenſationem externam, & præſens obiectum in illa repræſentatum.

Greg. lib. 4. Dialog. c. 33. & lib. 2. moral. c. 3.
Bern. lib. 5. de conſid. ad Eugen.
Auguſt. 15. de Trin. cap. 16.

De interna ſenſatione obiectorum abſentium, & non exiſtentium. Cap. VII.



VNA, & eadem erit hic philoſophandi ratio de ſenſatione interna reſpectu obiectorum abſentium, nempe quæ alibi ſunt extra ſphæram actiuitatis ſenſus exterioris, penes cuius latitudinem de præſentia loquuti ſumus; ac reſpectu obiectorum non exiſtentium, quæ nullibi, & nullo modo ſunt, vt præterita, & futura, poſſibilia, & impoſſibilia. Etenim de omnibus vnica eſſe poteſt quæſtio circa modum, quo ab interiori ſenſu cognoſcuntur, cum nullum eorum actu fœcundare poſſit potentiam per emiſſionem propriæ ſpeciei, vt neceſſarium eſſe diximus ad quamlibet ſenſationem eliciendam.

Cum communi ergo ſententia primò ſtatuimus cognitionem huiuſmodi obiectorum ſemper fieri per vſum alicuius

ſpeciei conſeruatæ ex alia priori cognitione eiuſdem ſenſus interioris, qua vel idem obiectum, vel aliud ſimile in præſentia nouimus. Ita paſſim apud Ariſtotelem, cæteroſque Peripateticos teſtatum inuenimus, præſertim ſecundo de anima textu 138. vbi cum dixiſſet; Vnumquodque ſenſorium eſſe ſuſceptiuum ſenſibilis ſine materia (hoc eſt ſpeciei intentionalis illius) ex hoc inquit fieri, vt ſemotis, vel abeuntibus ſenſibilibus, inſint etiam ſenſus, & imaginationes. & cap. 2. de mem. & remin. Dubitabit, inquit, aliquis quomodo paſſione quidem præſente, re verò abſente meminit quod non præſens. Et poſt multa concludit, animam agendo ſpeculari abſentia in imagine quaſi pictura prius facta in ipſa anima, & in parte corporis habente ipſam per motum ſenſus, qui ſcilicet eadem obiecta percepit, quãdo erant præſentia; & ob hoc aliquando nos neſcire, factis in anima huiuſmodi motibus ab eo, quod prius ſenſimus, ſi ſecundum ſenſationem accidit, & ſi eſt memoria, an non. Deinde c. 3. loquendo de rebus abſentibus, quæ procul percipiuntur ab anima non extendendo illuc cognitionem, ſicut viſum, ſic inquit: Etenim cum non ſint, ſimiliter intelliget, ſed ratione quadam mouebit; ſunt enim in ipſa ſimiles figuræ, & motus. Senſit ergo Ariſtoteles, obiecta abſentia etiam quando non ſunt, intelligi ab anima, ratione quadam mouente ſimiles figuras, quæ ſunt in ipſa, ac ſimilibus motibus; quod eſt vti ſpeciebus hactenus impreſſis in ſenſorio, vbi intellectus phantaſmata per illas elicita ſpeculatur.

Ratione verò probatur, quia nequit ſenſus aliquid appræhendere ſine ſpecie illius in ſenſorio impreſſa, ſiue ſit propria, ſiue aliena; nec habet ſpecies ingenitas obiectorũ, cũ ab illis eas accipere debeat, vel immediatè ſi ſint obiecta intrinſeca, vel mediantibus ſenſibus externis ſi ſint obiecta extrinſeca. Quando igitur propter abſentiam, vel non exiſtentiam obiecti, nullam eius actu ſimilitudinem poteſt excipere, remanet vt non niſi per vſum alicuius imaginis hactenus in ſenſorio relictæ huiuſmodi obiectorum cognitionem eliciat. Diximus autem per vſum ſpeciei, qua vel idẽ obiectum, vel

aliud

aliud simile in præsentia nouimus ad insinuandam diuersitatem in modo cognoscendi obiecta absentia, vel non existentia, quæ aliquando in præsentia fuerunt ab eodem sensu sensata; & ea, quæ nunquam adhuc in eius præsentia sunt constituta, & vt talia ab ipso recognita. De qua diuersitate mox aliquid seorsum dicendum erit: illud hic prius admonendo, eandem esse rationem de obiectis nunquam sensatis, ac de aliquando sensatis; quorum species omnino sunt obliteratæ, siue deperditæ. Nam vt docet Augustinus, cum imago, quam memoria gerit, obliuione deleta est, non erit quo aciem animi formandam voluntas recordando retorqueat; ac proinde eadem est ratio de vtrisque.

11. de Trinit. cap. 4.

Secundo autem stabiliendum est, speciem illam, per quam sensus interior cognoscit absentia, vel non existentia hactenus sensata in præsentia, esse propriam illorum, & eandem numero, per quam primò eadem obiecta in præsentia nouit. Qua in re nulla potest esse controuersia; atque hunc modum cognitionis supponunt, cum Aristotele omnes Philosophi quotiescumque loquuntur de memoria actuali, seu de actu recordationis. Et ratio est manifesta; quoniam species propria istiusmodi obiectorum, quæ excipitur per sensationem externam, non aboletur statim per vsum sensationis internæ, sed paulatim decursu temporis per indispositionem subiecti, cum ipsa contrarium non habeat; vt aliàs dictum est. Quare ipsa manente in sensorio dum recolitur obiectum, ex quo ipsa manauit, & cuius est propria imago impressa, non est cur alia quæratur similitudo ad exprimendam rursus talem sensationem, sed eadem propria species ad omnem eiusdem obiecti expressionem deseruiet, ex quo fit, vt præterita, vel absentia obiecta per eandem speciem, & cum eisdem circumstantijs repræsentata, quandoque intensè cogitantibus videantur adesse, ita vt factis in anima huiusmodi motibus confundant memoriam cum perceptione præsentium, aiebat Aristoteles paulò ante citatus. Vnde vox impressa per aures postquam sonuerit, & præterierit, vestigio quodam recolitur, ait Augustinus, quasi sonaret, cum iam non

Lib. 10. confess. cap. 9.

non ſonet. Et odor, inquit, dum tranſit, & euaneſcit in ventos, olfactum afficit, vnde traijcit in memoriam imaginem ſui, quam reminiſcendo repetamus.

Tertio dicendum eſt, id, quod nunquam ſenſus expertus eſt in præſentia, ſiue ſit alibi, ſiue nullibi, ſiue præteritum, ſiue futurum, ſiue tantum poſſibile, aut impoſſibile; non appræhendi ab eo, nec per propriam ſimilitudinem, nec per ſimilitudinem alterius præhabitam, quaſi formaliter ad inſtar illius. Prior pars huius concluſionis nulla indiget probatione, nam ſenſus interior non poteſt appræhendere obiectum per ſpeciem, quam non habet; at nullam poteſt habere, aut retinere ſpeciem propriam obiecti, quod hactenus non ſit expertus: ergo nequit illud appræhendere per propriam ſpeciem. Poſterior verò pars concluſionis probatur. Nam concipere vnum formaliter ad inſtar alterius per vſum ſpeciei illius, tranſcendit vim, & facultatem cuiuſque potentiæ ſenſitiuæ, eſtque ſolius opus intellectus, quia inuoluit comparationem vtriuſque; comparatio autem ſupponit prius aliqualem ſimplicem cognitionem eorum, quæ poſtea comparantur, & ſi per eandem ſpeciem vtrumque aliquo modo cognoſcitur, antequam comparetur, non niſi per abſtractionem poteſt cognoſci; nam, quæ vt plura intelliguntur per eandem imaginem, ſunt propriè abſtracta, nec abſtrahi poſſent, niſi prælucerent in ſpecie, vt natura vniuerſalis, & paſſiones rei in ſpecie eiuſdem rei particularis. Duo autem ſenſibilia diuerſa quantumuis ſimilia, nec per eandem omnino ſpeciem poſſunt ſecundum ſe repræſentari, nec per eandem, vt ſimilia, vel diſſimilia concipi, & ab inuicem à ſenſu interiori præſcindi, ac ſeparari. Cum igitur ſenſus interior non poſſit vnum alteri comparare, ſeu plura ſimul inter ſe conferre, nec in vna ſpecie plures formalitates, ac rationes, quæ in ipſa elucent, præſcindere, vt videat in quibus obiecta diſcrepent, aut conueniant: ſequitur, nec poſſe vnũ formaliter ad inſtar alterius cognoſcere per vſum eiuſdem ſpeciei illius propriæ, ſicut præualet intellectus,

qui ſpeculando phantaſmata, non modò ipſa ſenſibilia obiecta, quorum illa ſunt propria, & expreſſa ſimulacra, cognoſcit; ſed & alia, quæ virtute in ipſis phantaſmatibus continentur, & latitant reſpectu cognitionis corporeæ, ac ſenſitiuæ; vt ſunt naturæ vniuerſales eorundem ſenſibilium, paſſiones, ac proprietates, & quæcumque prædicata eſſentialia, & accidentalia illorum: & rurſus ea ipſa ad modum aliorum ſenſibilium, ac rerum corporearum valet appræhendere. Vnde Ariſtoteles loquendo de formis intentionalibus, ac phantaſmatibus, in quibus intellectus ſua obiecta diſcernit, inquit; In formis ſenſibilibus intelligibilia ſunt, & quæ in abſtractione dicuntur, & quæcumque ſenſibilium habitus, & paſſiones ſunt.

3. de anima tex. 39.

Quarto itaque dicendum ſupereſt, ſenſum interiorem imaginari obiectum, cuius ſpeciem non habet, ſeu quod nunquam ipſe in præſentia eſt expertus, per ſpeciem alterius, quam habet; materialiter quidem attingendo id cuius imago illa eſt propria, formaliter verò illud, quod intendit, aut credit attingere. Probatur hoc rationabili diſcurſu ſumpto ab experientia, & auctoritate; nam quando quis imaginatur ſe videre aliquid, quod nunquam vidit, ſiue ſit præteritum, ſiue futurum, ſiue exiſtens, tamen abſens; aliud certè verè hactenus viſum interius intuetur, & aliud conatur exprimere. Sicut qui mœnia Romæ intuens, Troiam imaginatur. Dum ergo vtitur ſpecie vnius rei præcognitæ ad inueſtigandum, vel effingendum aliud, quod non nouit, verè, & realiter terminatur cognitio in ipſam rem præcognitam, cuius illa ſpecies propriè eſt repræſentatiua; materialiter tamen, & non formaliter: quia non ſiſtit ibi cognitio, ſed vlterius tendit, vt perficiatur, nempe in rem, quam vltimò intendit, & cuius denominatione prior illa attingentia veluti informatur; nam finis, & vltimus terminus dat quaſi formam, & eſſe actui tendenti principaliter in illum; quamuis idem actus realiter aliud prius attigerit, quod eſt quaſi, inchoatè noſcere, & materialiter appræhendere. Quare formaliter loquendo, id, quod

per

per huiusmodi imaginationes putatur repræsentari, non est obiectum prius cognitum, sed illud, quod effingitur, & inuestigatur.

Contingit autem hoc fieri non per simplicem speciem alterius obiecti sensati, sed per copulationem plurium imaginum diuersorum totalium, aut partialium obiectorum, vel per disiunctionem earundem, ordinis inuersionem, circumstantiarumq. additionem, aut diminutionem. Vnde qui Pegasum volantem imaginatur, simul speciem alarum cum equina forma coniungit, quam vtramque retinet ex æquo, & Aquilæ prius visis. Et qui Centaurum, vel Sirenam appræhendit, hominemque, belluamq. mutilando in vnum componit per species inadæquatas vtriusque corporis, quod secundum partes repræsentatur. Id, quod eleganter Cicero *Lib. 1. de nat.* expressit illis verbis: si fingere nobis, & iungere formas ve- *Deorum.* limus, qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus inuehens belluis adiunctis humano corpori. Quamobrem præualet animus, inquit Augustinus, non solum oblita, ve- *11. de Trin. c. 5.* rum etiam non sensa, nec experta confingere, ea quæ non exciderunt augendo, minuendo, commutando, & pro arbitrio componendo; & sæpe imaginatur, quasi ita aliquid sit, quod aut scit non ita esse, aut nescit ita esse. Id igitur, quod formaliter terminat huiuscemodi imaginationes, seu quod formaliter repręsentatur per illas tanquam per imagines expressas, non sunt obiecta hactenus sensata, & quorum specierum ministerio efficitur talis repræsentatio: sed est ipsum obiectum effictum, & quasi compositum ex illis præcognitis tanquam ex partibus, siue ita sit à parte rei, siue secus. Nam imaginatio, vt docet Aristoteles, potest esse vera, & *2. de anima* falsa. Nec obstat realitati, ac formalitati repræsentationis, *tex. 161.* falsitas obiecti totalis compositi, ac formaliter repręsentati, cum ad realitatem cognitionis sufficiat veritas obiectorum materialium, quæ sub tali forma concipiuntur, & ad formalitatem eiusdem cognitionis sufficiat modus peculiaris tendendi, & cognoscendi, quo multifariam obiecta illa realia in compositione totius effícti dicuntur efformari, quamuis ex

parte conceptus obiectiui,nulla sit à parte rei forma totalis.

Ex quibus colligitur primò, per accidens esse, formam rei,quam non sensimus, veraciter,aut secus quam est,imaginari: per se verò formam rei hactenus sensatæ per propriam speciem, prout est repræsentari. Quandoquidem idcirco sensus propriorum semper est verus, aut rarò admodum suscipit falsitatem, vt docet Aristoteles, quia semper fit per propriam speciem: quod autem per propriam speciem, seu imaginationem concipitur, per se non potest aliter figurari; sicut e contra quod concipitur per alienam, non nisi casu, vel coniectura propter similitudinem verificatur. Quapropter D. Augustinus, cum phantasma describeret, quod ipse de Alexandria, quam nunquam viderat apud se præsto habere solebat, iure subnectit. Quam tamen imaginem si ex animo meo proferre possem ad oculos hominum, qui Alexandriam nouerunt, profectò aut omnes dicerent, non est ipsa: aut si dicerent, ipsa est, multum mirarer, atque intuens in animo meo ipsam eandem imaginem,quasi picturam eius, ipsam tamen esse nescirem, sed eis crederem, qui visam tenerent; hæc ille,ad explicandam incertitudinem veræ repræsentationis rerum non expertarum.Qui propterea vlterius docet per phantasias rerum corporalium nos etiam ea, quæ non visa sunt, ficto phantasmate cogitare siue aliter quàm sunt, siue fortuitu, sicuti sunt.

2. de anima tex.161.

7. de Trin.c.6.

Aug. lib. 9. de Trinit.cap.6.

Deinde colligitur formam rei in præsentia nunquā sensatæ,aliquando pro arbitrio ex electione, vel opinione cōfingi, vt in speculantibus ab alijs narrata, vel chymeras consultò componentibus: quandoque verò per accidens ex causa naturali, vt in dormientibus,vel ratione non vtentibus,cum variæ species per se diuersimodè copulantur, & ex se occurrentes vsui offeruntur ad exprimendas res non sensas, ab appetitu tamen plerumque latenti propensione conquisitas, aut auersione respuitas. Vnde in somno, & vigilia plures actiones, quas nunquam expertus est homo, offeruntur, pluraque euenta inaduertente ratione effinguntur; natura sensus hæc omnia moliente ad prosequenda vtilia, ac delectabilia,

ctabilia, & noxia, vel contraria fugienda. Nam, & cum appetendo in talia voluntas intenditur, fiunt istæ impressiones imaginum, ait Augustinus, & cum deuitandi, & cauendi causa rapitur animus in ea contuenda, quæ fugiat. 11 de Trin.c.4.

Interest autem inter istiusmodi efformationem obiecti imaginarij, quæ fit in hominibus, & eam, quæ in brutis etiam fieri contingit, non solum, quia in hominibus consultò ex electione, aut opinione: In brutis verò non nisi ex naturali concursu, & copulatione specierum fieri potest; siquidem in his iniussa veniunt rerum simulacra, & iniussa discedunt: Sed quia ipsa quoque forma obiecti resultantis tanquam fictitia, prout est, vel tanquam non certò vera simul ab hominibus habetur, vt retulimus ex Augustino; cum plerumque à brutis eodem modo, ac si vera esset promiscuè cum realibus obiectis appræhendatur, ita vt non tantum sit falsitas in imaginatione, sed etiam in extimatione eorum circa huiusmodi obiecta omninò imaginaria. Quò fit, vt belluæ non nunquam actiones etiam non sensatas ac falsas, tanquam veras ac reales in se ipsis figurando pertimescant; & vt præsertim canes non modo somnijs perterriti interdum sublatrantes secum conquærantur, vt obseruat Aristoteles; Lib. 4. de histor. anim. cap. 10. verum etiam, vt expergefacti, quasi stricto gladio expetiti, frustra præcipites dilabantur. Et idcircò in principio diximus, huiuscemodi cognitionibus formaliter attingi id, quod intenditur, vel putatur attingi, non autem, id, quod realiter attingitur, sicut obiectum, quod per propriam speciem repræsentatur.

Tandem de futurorum præsagitionibus, seu cognitione, aliquid superest explicandum: siquidem iuxta prædicta non videntur futura, vt futura sunt, posse repræsentari per species præteritorum, aut præsentium; tum propter circumstantiam temporis, cum qua appræhenduntur diuersam: tum etiam propter ipsam obiecti naturam priùs omninò incognitam, quæ sicut non posset huic potius rei, quam illi præteritæ, vel præsenti assimilari; ita de facto, non videtur posse per vsum speciei huius eiusdem, vel alterius rei, quauis

facta mutatione aliquo modo repræsentari. Cum ex alio capite videatur constare, non modo nos plura sensibilia, quæ adhuc non sunt, nec fuerunt, præsagiendo, vt futura, præscire. Quia gentem nullam video, aiebat Cicero, neque tam humanam, atque doctam, neque tam immanem, tamque barbaram, quæ non significari futura, & à quibusdam intelligi, prædiciq. posse censeat: Verum bruta quoque animantia interdum nonnulla huiuscemodi præsentire. Nam sicut hominibus inest vis, & natura quædam, vt idem inferius addidit, quæ tum obseruatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu, afflatuq. diuino, futura prænunciat; ita in belluis simile quidpiam respondere necesse est, cum plura, quæ adhuc non extant, veraciter vt futura portendant, & pro viribus prosequi, aut vitare contendant; Vt, verbi gratia, Apes hyemem, & imbres, teste Aristotele, cum non aduolant, sed sereno adhuc, in alueo volutantur; vel tempestatem Echini, affigentes sese scopulis, aut arena saburrantes; & Fulicæ matutino clangore, cæteræq. aquaticæ aues concursantes; Et Grues in mediterranea festinantes; vel Delphini tranquillo mari lasciuientes, flatum ex qua veniunt parte: aut Gracculi hyemalem penuriam, serò à pabulis recedentes, vt obseruat, ac refert Plinius; Et Euripides in genere aues Deorum præcones appellauit ex tot diuinationum auspicijs; teste Plutarcho de solertia animalium. Nec formicæ in æstate cibum sibi pararent, & congregarent in messe, vt Salomon adnotauit, nisi futuram deinceps egestatem præsentirent; maximè cum non habeant ducem, nec præceptorem, (vt idem dixerat) à quo illæ in huiusmodi actionibus dirigantur. Si ergo huiusmodi futura verè, vt futura sunt ab interiori sensu etiam brutorum animantium discernuntur, alius assignandus erit modus, quo tanquam præsagio sentiantur, cum per species præteritorum, aut præsentium, vt diximus, innotescere non videantur; adeò vt propterea fortasse ab Aristotele dictum putetur: quod non contingit meminisse futurum; Quasi scilicet cognosceretur per species præteritorum, & per sensum, quo

1. de diuinat.

Lib. 9 de Histor. animal. c. 40.

Lib. 18. natural. Hist. c. 35.

Prouerb. 6.

De mem. & remin. cap. 1.

quo præsentia nouimus, neque futurum, neque factum, cognosci.

Dicendum tamen est vltimo, sensum interiorem non apprӕhendere futura, vt futura sunt sub formalitate futuritionis, nec prout in se erunt à parte rei; sed tantum eo modo, quo fingi possunt tanquam præterita, vel præsentia. Probatur hoc primo ex Aristotele, qui de mem. & remin. cap. 1. docet futurum esse opinabile, & sperabile per scientiam quandam sperariuam, quam alij diuinatiuam dicunt: At sensus interior, seu imaginatio sensitiua, vt docet idem Aristoteles 3. de anima tex. 57. non potest habere opinionem, quoniam eam, quæ est ex syllogismo non habet, sicut habet facultas rationalis; nam, inquit, vtrum aget hoc, an hoc, iam rationis est opus, & necesse est mensurare; Ergo sensus interior ex se non valet futura, vt futura conijcere. Et confirmatur ex eodem Philosopho, qui tex. 53. eiusdem libri, loquendo de contrarietate, quæ est inter concupiscentiam, & rationem. Intellectus (inquit) propter futurum retrahere iubet, concupiscentia autem propter præsens. At concupiscentia non sequitur nisi sensum, & imaginationem; Ergò supponit Aristoteles, sensum interiorem non percipere futurum, vt futurum, nec ducere appetitum ad illud, aut propter illud retrahere, sicut intellectus, sed tantum propter præsens. Vnde tex. 47. præcipiente, inquit, intellectu, & dicente fugere aliquid, aut persequi, non mouetur, sed secundum concupiscentiam agit, vt in ipso fieri solet incontinente.

Deinde ratione probatur, quia siuè quoad substantiam, siuè quoad conditionem futuritionis, sensus non habet species futurorum. Quarè ipsa ab intellectu, vt futura sunt, non nisi spe, & opinione ex fide attestantis, aut coniectura, & discursu percipiuntur, sensu imagines præsentium, vel præteritorum præbente; quarum commutatione, ac diuersa copulatione, sicuti reliqua ob absentiam, vel non existentiam adhuc non sensata effinguntur. Concurrit ergo sensus ad futura exprimenda eodem pacto quoad possibile tantum, vel

etiam impossibilia tanquam præsentia repræsentanda, licet intellectus ex hac expressione talia obiecta speculando, si futura sint, coniectura diiudicet, opinionem scilicet futuritionis ex ipso phantasmate verisimilia repræsentante, & ex causa approbante, per abstractionem eliciendo, quod quidem arguit futura etiam, vt futura ex phantasmatibus præsentibus dignosci, non tamen ab ipso sensu, qui per ea formaliter operatur, sed ab intellectu, qui eadem speculatur, eademq. iubet diuersimodè copulari, vt connexionem inueniat, causamq. futuritionis, cuius virtute probabiliter ventura denunciet. Quamobrem Augustinus loquendo de thesauris innumerabilium imaginum ex rebus sensis in memoriam inuectarum, postquam dixerat, ibi reconditum esse quidquid etiam cogitamus, vel augendo, vel minuendo, vel vtcumque variando ea, quæ sensu attigerit, & si quid aliud commendatum, & repositum est, quod nondum absorbuit, & sepeliuit obliuio: addit inferius, ex eadem copia etiam similitudines rerum, vel expertarum, vel ex eis, quas expertus sum, creditarum, alias, atque alias, & ipse contexo præteritis, atque ex his etiam futuras actiones, & euenta, & spes; & hæc omnia rursus, quasi præsentia meditor.

Lib. 10. confess. cap. 9.

Ad illud autem, quod ab experientia afferebatur de hominum, belluarumq. præsagijs, respondendum est, non belluas, sed homines per ipsarum actiones tanquam per indicantia signa formaliter præsagire. Sentiunt enim ipsæ inchoatam tempestatem, vel aeris mutationem, idque signo aliquo ostendunt, quod homines obseruantes, naturalem pluuiæ, aut ventorum inualescentiam subsecuturam, tanquam effectum à causa, vel finem à principio argumentando per intellectum præsagiunt. Quæ autem parantur à belluis ad finem futurum (vt triticum à formicis in messe ad hyemalem comestionem) sicut non parantur ex cognitione finis vt finis est, ita nec ex cognitione futuritionis illius; sed tantum materialiter, prout sensus, & appetitus fertur in illa, quæ ex natura sua, media sunt ad finem intentum ab Au-

ctore naturæ. Quandoquidem, vt dicebamus ex D. Thoma, tota irrationalis natura comparatur ad Deum tanquam instrumentum ad agens principale, tenditq. in finem quasi ab alio acta, vel ducta, sicut sagitta. Imò ex hoc videtur monere Salomon considerandas esse vias formicæ in prædictis; nam cum inspexerimus, illam non habere, neque interius, neque exterius à quo per eas ducantur, intelligamus duci à summo duce, principe, ac præceptore, cuius prouidentia cuncta in proprium finem aptissimis medijs diriguntur. Itaque remanet, vt futura verè quatenus talia, ab interiori sensu nequaquam dignoscantur, sed pro arbitrio dumtaxat variè effingantur, appræhendanturq. ad modum præteritorum, atque præsentium, ea ratione, qua declarauimus. *Tract. 2. c. 5. 1. 2. q. 1. art. 2.*

Quæ nam interna sensatio propriè dicatur Imaginatio. Cap. VIII.



VIA multipliciter contingit circa obiecta absentia, vel non existentia interiorem sensum versari, varia quoque nomina sensationes ipsius sortiuntur, vt peculiares modi, quibus eadem obiecta exprimere solent, propriè ac sigillatim significentur. Atque in primis occurrit nomen Imaginationis satis apud omnes in vsu receptum. Quod planè si ethimologiam spectemus, non nisi ab imagine, quam sensus per huiusmodi sensationem in se interius efformare videtur, deriuari posse comperiemus. Græcè verò Imaginatio dicitur φαντασία, sicut imago dicitur φάντασμα, & imaginatiuus dicitur φανταστικός. Ac passim phantasia eo, quod apud Latinos etiam idem significet, confunditur cum imaginatione. Vt patet in translatione Interpretum Aristotelis, qui sumendo Imaginationem pro phantasia, dicunt illam à lumine, & visu nomen habere: quia tanquam lumen visionis interius immanens, multa facit cognoscere, & ad dirigendas plures *Lib. 2. de anima tex. 155. et 162*

plures operationes animalium deseruit. Quæ quidem omnia non cõpetunt imaginationi, nisi secundum quod phantasia à Græcis vocatur; lumen enim Græcè φάος dicitur, & inde venit φανός, quod est apparitio, vel illuminatio, vt notat S. Thomas à verbo scilicet φαίνομαι, quod est appareo. *Lib.6.c.2.* Etenim per lumen res visui apparent. Vnde Quintilianus, quas φαντασίας (inquit) Græci vocant, nos sanè visiones appellamus, per quas imagines rerum absentium ita repræsentantur animo, vt eas cernere oculis, ac præsentes habere videamur. Alij verò nomen phantasiæ de mente Aristotelis ἀπὸ τοῦ φάους καὶ τῆς στάσεως, idest à lumine, & à statu dicunt deriuari; Eo quod phantasia sit veluti lumen interius immanens, ac persistens, quo mediante res absentes, cum libuerit animo intuemur. Quare à Philopono phantasia dicitur quasi τῶν φανέντων στάσις, hoc est eorum, quæ apparuerunt, seu visa sunt status. Nimirum, quia status quidam obiectorum in animo videatur immanens illa repræsentatio, quæ dicitur phantasia. Quoniam autem aliud est à quo nomen deriuatur, aliud verò ad quod significandum imponitur; & omnis sensatio interna consistit in aliqua expressione imaginis, vt supra diximus: explicandum hic erit proprium significatum huius vocis, seu quænam sit sensatio interna, quæ propriè à Philosophis dicitur imaginatio.

Polus Lauredan comment. in Arist. ibid. Aristoteles igitur lib. 2. de anima à textu 153. vsque ad tex. 161. exactè de imaginatione discurrens, demum concludit, imaginationem, seu actum imaginatricis facultatis, esse motum in animantibus à sensu secundum actum facto. Nempe (vt exponunt aliqui) motum prouenietem ab actuali sensatione externa iam facta per simulacra intus transfusa, quorum postea ministerio sensus internus mouetur ad repręsentanda eadem obiecta extrinsecus sensata. Quoniam (inquit idem Aristoteles tex. 160.) est moto hoc (nempe sensu exteriori actuato à sensibili) moueri aliud ab hoc, scilicet sensum internum ab exteriori in actu. Nam profectò quemadmodum sensibile, sensum; ita actio sensus, imaginationem excitat. Et tex. 155. sumendo imaginationem pro potentia

tentia imaginatiua, ſupponit Ariſtoteles non in tranſlatitio; ſed in proprio ſignificatu, illam eſſe, ſecundum quam phantaſma aliquod in nobis fieri dicimus; quod certè non fit, niſi mediantibus ſimulacris à ſenſibus externis in actu ſenſationis emiſſis.

Sed hæc definitio ſic expoſita videtur genericè competere cunctis ſenſationibus internis, ſiquidem, ſiue proximè, ſiue remotè, omnes procedunt à ſenſu ſecundum actum iam facto, à quo ſpecies habent impreſſas, quibus eliciantur, omnesq. dicuntur phantaſmata, nempe viſa quædam, ſeu internæ viſiones, & apparitiones obiectorum. Vnde hoc ſignificatu tam ſenſatio interna obiectorum præſentium, quæ immediatè conſequitur ſenſationem externã in actu, quam reliquæ ſenſationes internæ obiectorum abſentium deriuantes à ſenſu in actu iam olim facto, omnes dici poſſent imaginationes. Et quidem non aliter fortaſſe Auguſtinus hoc nomen imaginationis vſurpat, cum libro de ſpiritu, & anima, poſtquam dixiſſet: Imaginatio eſt ea vis animæ, quæ rerum corporearum corporeas recipit formas, ſed abſentes: ſtatim addit, ſenſus namque formas in materia percipit, imaginatio extra materiam, & ea vis, quæ exterius formata ſenſus dicitur, eadem traducta vſque ad intimum, imaginatio vocatur. *Aug. de ſpir. & anima c. 11.*

Verum licet omnis interna ſenſatio rectè imaginatio dici poſſit, latè loquendo ſecundum quod eſt expreſſio, ſeu efformatio quædam interna alicuius imaginis per vſum ſpeciei ab exteriori ſenſu emiſſæ; non tamen hoc ſenſu hìc de imaginatione inquirimus quid ſit, aut ſignificet: ſed ſecundum propriam acceptionem ſpecificam, qua imaginatio condiſtinguitur ab extimatione, à recordatione, & ab interna perceptione obiectorum præſentium, quæ dicitur ſenſatio ſenſus communis. Quapropter ex alijs conditionibus, quas Ariſtoteles de hac pręciſa ſenſatione tetigit in eodem diſcurſu, iuxta hunc ſenſum, veracius fortaſſe dilucidanda erit eius definitio, & clarior nobis inſtituenda erit imaginationis deſcriptio. Vt ſi cum Philopono, Simplicio, & Alexandro

alijſque

alijsque dicamus per sensum secundum actum, à quo, Aristoteles docet, procedere motum imaginationis, non intelligi sensum externum, sed internum; ita vt intendat Aristoteles, imaginationem esse motum illum, qui proximè consequitur sensationem internam obiectorum, prout sunt, vel fuerunt à parte rei in se hactenus sensata. Etenim post absolutam apprehensionem obiectorum, qua illa siue absentia, siue non existentia cognoscimus, prout alias in præsentia nouimus, motus quidam consequitur, quo eadem obiecta variari videntur, nunc mutando circumstantias temporis, & loci; nunc verò illa cum alijs coniuncta, aut secundum partes diuisa, ac separata exprimendo, vel etiam in diuersa actione, aut passione repræsentando. Qui quidem motus, vel fit pro arbitrio, vt in hominibus operantibus ex electione, vel per connexionem specierum, vt in dormientibus, ac brutis: quia mota vna specie repræsentante ipsum obiectum, prout hactenus perceptum est, mouetur alia connexa cum illa, & est causa alicuius variationis repræsentando alia circa illud, vnde inquit Aristoteles. Quoniam est, moto hoc, moueri aliud ab hoc, imaginatio motus quidam videtur esse, & non sine sensu fieri (à quo vtique procedit) sed sentientibus (hoc est quando actu sentiunt,) & quorum sensus est. Scilicet eorundem obiectorum, quæ actu sentiuntur; nam idem quod verè vt est, sentimus, variando aliquo modo repræsentationem, dicimur imaginari. Erit igitur imaginatio, per Aristotelem, motus à sensu interiori in actu, quia proximè oritur ab illo, quando actu informatur specie expressiua talis obiecti, quod per ipsum motũ imaginationis subsequẽtem aliquo modo variatur. Et hunc modum imaginationis similem necesse est esse sensui (subiungit Aristoteles) nam illud; quod mouet in quantum mouetur, causat motum similem motui, quo ipsum mouetur, vt notat S. Thomas in expositione eiusdem tex. Et sic imaginatio similis est propriæ cognitioni obiecti, vt est, vel fuit à parte rei, imo & sæpe confunditur imaginatio cum sensatione sensus communis, & memoria eiusdem rei, vt cum non exactè recordamur.

Quod

Quod autem per ſenſum,à quo talis motus procedit, Ariſtoteles non intellexerit ſenſum exteriorem,ex eo poteſt argumētari. Nam extimatio qua certò ſenſus interior iudicat hoc ſenſibile eſſe hominem, vel ſtatuam ex accidentibus, quæ exterius obijciuntur, eſt verè ac propriè motus à ſenſu exteriori in actu. Etenim quod ſimpliciter foris apprehenditur, intus tale iudicatur; & tamen ab Ariſtotele excluditur à ratione imaginationis. Nam tex. 156. inquit, cum operamur certè circa aliquod ſenſibile, non dicimus, quod videtur hoc nobis homo. Et lib. ſequenti tex 39. aliud, inquit, eſt imaginatio à dictione, ſeu affirmatione, & negatione. Igitur Ariſtoteles per ſenſum in actu, à quo procedit motus imaginationis non intellexit ſenſum exteriorem, ſed interiorem; ita vt ex vera,ac certa cognitione interiori obiectorum, oriatur motio, qua illa variè per additionem, aut diminutionem effingantur, vel appareant.

Rurſus,quia ſenſatio interna obiectorum preſentium,quæ conſequitur,& comitatur ſenſationem externam,per Ariſtotelem dici non poteſt imaginatio, cum hanc doceat eſſe, & fieri etiam in dormientibus, nullo operante ſenſu exteriori; Et tamen maximè eſt motus à ſenſu exteriori in actu; nam ab hoc immediatè procedit,& verè moto hoc ab obiecto extrinſeco, eſt moueri aliud ab hoc, nempe ſenſum internum per motum, qui eſt repræſentatio eiuſdem obiecti, à quo ſenſus exterior fuit motus. Ergo putandum eſt,Ariſtotelem per ſenſum in actu, à quo eſt motus imaginationis, non intelligere ſenſum externum.

Confirmatur retorquendo eandem expoſitionem; nam ſi moto ſenſu exteriori, eſt moueri aliud ab hoc, & hic motus eſt imaginatio, non dabitur motus in ſenſu exteriori, quin detur etiam imaginatio tanquam motus internus neceſſariò conſequens motum illum externum: quod non poteſt verificari niſi de ſenſatione interna, quæ dicitur eſſe ſenſus communis,non autem imaginatio. Deinde quia motus actu procedit à mouente, eſtque immediata dependentia moti ab illo, nec dari poteſt ſine illo, ſicut nec modus ſine re cuius

eſt

est modus;ergo si per Aristotelem motus imaginationis esset à sensu exteriori in actu tanquam à moto mouente, non daretur imaginatio absque sensu exteriori in actu operante, cuius oppositum ipse supponit. Quod si dicatur motum imaginationis fieri à simulacris per sensationes externas intus transfusis, & hoc sensu ab Aristotele vocari motum à sensu exteriori in actu, ac fieri posse amplius non operantibus sensibus externis: Contra est, quia impropriè valde locutus fuisset, definiendo huiusmodi causationem, seu motum per causam remotam, & æquiuocam, vt est sensatio externa ad motum imaginationis, & extimationis, memoriæ, ac simplicis appræhensionis obiectorum præsentium; cum alioquin propriè dicere potuisset esse motum ab ijs, quæ sensu percepta sunt, non autem motum ab ipso sensu in actu.

Præterea Aristoteles tex. 161. probans quomodo contingat, imaginationem esse veram, & falsam, supponit aliquando illam procedere à sensu in actu, qui versatur circa absentia; ait enim contingere sensationem sensibilium per accidens, ac sensibilium communium, esse falsam tam in absentia, quàm in præsentia: & hinc colligit, imaginationem, quæ ab hac sensatione procedit, pariter esse falsam, vt rectè exponit S. Thomas ibidem. At sensatio, quæ versatur circa absentia, ac sensibilia per accidens, non est sensatio externa, sed interna; Ergo per sensum in actu, à quo est motus imaginationis, intelligit sensum internum, & non externum.

Iuxta hæc igitur clarius imaginationem describendo, dicimus illam esse sensationem internam, per quam obiecta absentia, vel non existentia diuersimodè repræsentantur tanquam per simplicem apparentiam.

Per sensationem autem internam exprimitur genus iam supra explicatum, sub quo non conueniunt sensationes externæ. Per particulam vero (obiecta absentia, vel non existentia) tanquam per primam differentiam excluditur sensatio interna obiectorum præsentium. Deinde per particulam (diuersimodè repræsentantur) excluditur tum sensatio obiectorum præsentium, tum absentium recordatio; nam

vtraque

vtraque est repræsentatio rei ſicuti est, vel fuit, eodem ſemper modo exprimens, quod in præſentia interius, exteriusq. ſicuti eſt, obijcitur, vel hactenus obiectum fuit. Ac denique per particulam (tanquam per ſimplicem apparentiam) excluditur tum memoria, per quam obiecta abſentia non repræſentantur, aut apparent ſimpliciter; ſed vt prius ſenſata, & eo modo, quo fuerunt ſenſata: tum etiam extimatio, per quam obiecta repræſentantur, vt realiter talia, vel non talia, non ſecus ac per affirmatiuum, vel negatiuum iudicium abſtractiuum circa realitatem illorum, vt infra explicabitur. Quo fit, vt non contingat pro arbitrio extimare, aut opinari, vt docet Ariſtoteles. Quoniam ſicut eſſe, aut non eſſe rerum, nequaquam eſt in noſtra poteſtate; ita neque extimare; ſed à rebus ipſis pendet, quæ ſunt, aut eſſe videntur. Imaginari autem hoc ipſo, quod per omnia vagatur, & non modo, quæ ſunt, ſed etiam ea, quæ non ſunt, nec eſſe poſſunt, inſpiciat, ſibiq. proponat iuxta ſimplicem tantummodo apparentiam abſque iudicio realitatis illorum; in noſtra omnino ſit poteſtate, ſicut & fingere, inquit Ariſtoteles, præ oculis eſt cum volumus, perinde atque hi faciunt, qui artificioſæ memoriæ comparatis, atque diſpoſitis locis, imagines fingunt, & collocant ſimulacra. Et ſecundum imaginationem (addit) ſimiliter nos habemus circa obiecta, ac ſi in pictura eadem ſpectaremus. Quocirca etiam Plato Phantaſyam velut picturam quandam eſſe ſtatuit, in quam animus cogitatione refringens, ita inſpiciat, velut in illa, à quibus iſta manarunt, videlicet obiecta.

2. de anima tex. 153.

2. de anima tex. 154.

In Sophiſta. & lib. 7. de Republ.

Ex quibus tandem duæ proprietates imaginationis etiam colliguntur, quas Ariſtoteles ibidem tex. 161. commemorat, nempe primò illam eſſe veram, & falſam, quia contingit nunc imaginari obiectum ſicuti eſt, nunc vero ſecus; errore deducto, vel à ſenſu exteriori, qui nonnunquam decipitur circa ſenſibilia communia, vt eſt motus, quies, magnitudo, numerus, & figura: vel ab extimatione circa ſenſibilia per accidens, vt ſunt ſubiecta accidentium ſenſibilium: vel à

2. de anima tex. 161.

praua connexione, aut disiunctione specierum, quibus effingitur falsa repræsentatio.

Secundo verò multa per illam animalia operari, seu facere, & pati. Quandoquidem sicut sensus mouet appetitum ad præsentiam sensibilium, ita etiam imaginatio in absentia, quamuis interdum illa non sint; nec possint esse, saltem affectu quodam simplicis complacentiæ, aut displicentiæ; præsertim cum non vt talia, nempe impossibilia appræhendantur. Idque maximè contingit ex defectu intellectus, aut existimationis, vt cum non discernitur apparentia à realitate, & existentia obiecti. Vnde inquit S. Thomas cum Aristotele; Quando intellectus non dominatur, agunt animalia secundum phantasiam, seu imaginationem; alia quidem, quia omnino non habent intellectum sicut bestiæ; alia verò, quia habent intellectum velatum, sicut homines in somno, vel in aliqua infirmitate, aut passione constituti, vt amentes, & qui nimium concupiscentia, ira, vel timore commouentur.


2. de anima tex. 162.

Diximus contingere maximè ob defectum intellectus, & extimationis, quia negari non potest, animalia; operante extimatione, siue vera, siue falsa, per eam potius quàm per imaginationem moueri, tam in vigilia, quàm in somno, cæterisq. casibus enumeratis; cum magis moueat realitas, quàm apparentia obiectorum, & non minus in his passionibus, cum imaginatione exerceatur etiam extimatio; Ideoque non tantum homines nouimus vera cum falsis in somnijs confundere, multaq. vt realiter talia extimare, proindeq. ad varios appetitus ac motiones excitari; sed & belluas quoque interdum somniare, falsaque veris miscendo, extimationis motu, varijs affici passionibus, vt canes cum dormiendo audiuntur sublatrare, vt ait Aristoteles; nam fieri non potest, vt similibus passionibus commouerentur, nisi visa illa vt vera, ac præsentia extimarent. Quod si inter opera animalium computare velimus delectationem, & voluptatem, quam quis capere solet de chymeris, seu imaginibus rerum absentium, aut futurarum, alijsq. vltrò compositis,

Lib. 4. de Hist. anim. c. 10.

ſitis, & effictis: quæ veluti vt picturam contemplatur; ad hæc certè mouebitur homo, præcipuè motu imaginatiõnis, ſed abſque defectu intellectus aut extimationis; nam ſæpe rectè iudicando de falſo exiſtente, de illo tamen, quia concupiſcitur, tanquam de vero gaudemus. Sicut è contra de aduerſis, ac odio habitis, licet non ſint, aut ſaltem extare neſciamus; quia tamen metuimus, interdum ſola imaginatione affligimur, ac triſtamur.

Quæ item interna ſenſatio propriè dicenda ſit extimatio. Cap. IX.



ARISTOTELES in libris de anima nihil de ſenſitiua extimatione ſcriptum reliquit, ſed tantùm exiſtimationem commemorat, quæ ad partem rationalem pertinet, & ſub qua continentur actus ſcientiæ, opinionis, & prudentiæ, iiſque contrarij; de quibus ipſe ex profeſſo agit lib. 6. Ethicorum. *Lib. 2. tex. 154.*

Arabes autem (vt Auerroes, Auicenna, & Algazelus, quos deinde ſequuti ſunt ex Latinis M. Alber. S. Thomas, & alij), extimationem concedendo etiam in brutis, eamque diſtinguendo à cæteris ſenſationibus internis, dicunt eſſe illam, per quam intentiones non ſenſatæ, ab animalibus percipiuntur: vt amicitia, & inimicitia; conuenientia, ac diſconuenientia: & alia huiuſmodi, ſecundum quas obiecta dicuntur ſalutaria, vel noxia; vtilia, vel inutilia. Verum, quia hæc, & ſimilia, ſi formaliter ſumantur, ab adæquata ratione obiecti ſenſus interioris iam ſupra reiecta ſunt, non eſt cur hic extimationem ita diſtinguamus, aut per talia obiecta illam conſtituamus; ſed aliunde iuxta tradita principia exploranda nobis erit eius formalitas, & eſſentia, attendentes illud Ciceronis, non tam Auctorum placita in Philoſophia diſputando, quàm rationis momenta eſſe quærenda.

Auerr. 3. de anim. comm. 6. Auicēna 6. natural. p. 4. c. 7. Algaz. lib. de ſenſib. inter tractat. 4. c. 4. M. Alber. 3. de anima tract. 1. cap. 2. & 3. S. Tho. 1. par. q. 78. art. 4.

Tract. 2. c. 4.

1. de natura Deorum.

Vt igitur instituta quæstio exitum reperire commodè possit, supponendum primò est, dupliciter posse animalia circa realem, & actualem existentiam rerum versari: nempe vno modo intuitiuè, euidenter, ac præsentialiter percipiendo illam quoad exercitium, vt suo loco explicuimus, de qua cognitione habetur postea etiam memoria. Altero vero modo abstractiuè per actum quendam, quo sensus interior ad modum cuiusdam assensus intellectus absque euidentia adhæret obiecto, illud actu, & realiter tale appræhendendo, vel iudicando: & hac cognitione efficaciter moueri animalia ad prosequenda, vel respuenda obiecta absentia, quæ nisi vt realiter talia appræhenderentur, efficaciter appetitum non allicerent, nec remouerent, vt ex varijs obseruationibus præcedenti cap. tactis, & ex doctrina Aristotelis facile potest constare. Qui in tantum docet, bonum esse affectabile, seu appetibile per actum voluntatis, in quantum tale vnicuique videtur, quod quandoque simpliciter quidem ita est à parte rei; quandoque verò per accidens tantum apparet. Et idem hactenus. Cum opinamur (inquit) difficile aliquid; aut terribile, statim compatimur: secundum imaginationem autem similiter nos habemus, sicut qui considerant in pictura. Quare alibi, sentire (inquit) simile est ipsi dicere solum, & intelligere: cum autem iucundum, aut molestum, vt affirmans, aut negans; persequitur, aut fugit. Vbi cognitionem realitatis obiecti, per affirmationem, & negationem explicat.

[Marginal notes: Cap. 6. huius Tract. — 3. Ethic. c. 4. — 2. de anima tex. 154. — 3. de anima tex. 28.]

Secundo supponimus per huiusmodi actum, sensum interiorem non percipere formaliter veritatem obiecti, vel realitatem, & existentiam illius distinctè, sed tantum materialiter, & confusè concipere obiectum ipsum, non tanquam apparens, sed existens à parte rei, quamuis euidentiam de illo non habeat. Etenim licet apparens, vt apparens, sicut fictum, vt fictum, & falsum, vt falsum à sensibus non percipiatur; nihilominus bruta animantia materialiter optimè discernunt corpus reale ab apparenti, vt in imagine, vel speculo, licet quandoque sicut etiam homines decipiantur.

His

His positis, dicendum primò est, extimationem esse sensationem internam, per quam absque euidentia actuali, vel præterita, vt præterita appræhenduntur sensibilia, vt realiter talia. Probatur autem, quia extimare ex vno capite, cõmuni omnium consensu, non est fingere, sicut per imaginationem: alioqui non magis mouerentur animalia ad prosequenda obiecta, quæ verbi gratia comestibilia, aut iucunda in absentia extimantur, vel ad euitanda imminentia mala, ac si per imaginationem, vel in speculo, aut in pictura eis repræsentarentur. Ex alio verò capite, extimare, non est obiecta, vt talia euidenter, ac intuitiuè cognoscere, actu recipiendo ab illis propria simulacra; nam æque extimantur obiecta in præsentia, ac in absentia sensuum externorum; imo prædicatum sub quo, vel cum quo appræhenditur subiectum extimatum, semper est absens respectu sensuum externorum. Etenim non dicitur extimari iucundum, aut molestũ, quod exterius, tale actu sensibus perhibetur, nisi fortè per reflexionem, ac denominationem intellectus: sed dicitur extimari ab animalibus tale, id, quod ita eis videtur ex alijs accidentibus connexis, quæ actu ab eisdem siue interius, siue exterius percipiuntur. Vt cum belluæ procul escam videntes, vel memoria recolentes, saporem, & iucunditatẽ cum illa concipiunt, extimantq. gustui iucundum, quod exterius non nisi oculis perceperũt; aut cum è contra extimant molestum, quod eis actu non adhuc per iniuriam, sed aliter exterius innotescit. Denique extimare, non est obiecta, vt sensata recolere, vt per se patet; quamuis dari possit iterata extimatio: Ergo remanet vt extimatio non sit nisi illa cognitio sensus interioris, per quam supra diximus, obiecta appræhendi quidem, vt realiter talia, vel talia secundum propriã existentiã, non tamen euidenter.

Deinde idipsum confirmatur; nam sæpe animal perceptis quibusdam accidentibus media vniuscuiusque propria specie actu ab ipsis emissa, alia appræhendit accidentia realiter cum illis coniuncta, quorum in indiuiduo actu, ac simul non recipit proprias species, vt in exemplis proximè adductis de sapore in esca, vel molestia in obiectis, quæ aliter offeruntur.

Et vniuersaliter omnia illa, quæ communiter dicuntur sensibilia per accidens, secundum omnium sententiam, verè, ac propriè à sensu interiori percipiuntur. Atqui huiuscemodi sensibilium perceptio, verè non est sensatio obiectorum præsentium, quia nõ est actu recipiendo ab illis proprias species, quãuis valdè sint approximata, vt candor niuis oculis clausis, vel in tenebris tactæ; aut figura canis à tergo latrantis; Nec est imaginatio, quæ vt diximus, tantum inspicit, quod apparenter obijcitur, vel iam obiectum, pro arbitrij, aut naturæ exigentia, & opportunitate commutat. Nec denique est memoriæ, vel reminiscentiæ actus, quo animal talia, vel similia obiecta hactenus in præsentia se meminit percepisse; nam aliud est, id, quod olim sensit, recolere; aliud verò illud idem, vel simile quidpiam nunc cum altero in præsentia realiter coniunctum appræhendere, & quasi affirmare, aut negare. Ergo remanet, vt hæc perceptio circa prædicta sensibilia, vt realiter talia versando absque euidentia, ad aliud pertinere debeat genus sensationis internæ, quod quidem, communi philosophantium loquẽdi modo inhærentes, vocamus genus extimationis. Nam cõmuniter subiecta sensibiliũ per se verè, ac propriè dicuntur talia extimari, qualia à parte rei concipiuntur esse à sensu interiori absque euidentia; vt cum extimatur lac, aut cõmestibile, quod tantum per colorem exterius innotescit, vel cum agnus matrem, aut aliam ouem balantem, quam actu non videt, agnoscit. Et communiter dicuntur obiecta, talia extimari, qualia sensibilibus per accidens affecta concipiuntur, vt lac dulce cum tantum est visum, vel nix candida, cum non nisi manibus contrectatur.

Insuper cõfirmatur: nã saltẽ perfectis animalibus necessariò conuenit discernere verũ ab apparenti, siue in prẹsentia, siue in absẽtia, vt functiones vitæ obire cõmodè possint, & ne frustra in obiecta ferantur (sumendo verũ saltẽ materialiter pro entitate realis obiecti,) qui autem inter duo discernit, vt ait Aristoteles, vtrumque debet cognoscere. At quod in se non est, nisi apparens in absentia, cognoscitur ab illis per imaginationem: Ergo quod realiter tale est in absentia, percipere debent

2. de anima. tex. 146.

debent per aliam ſenſationem internam, ſicut in præſentia, cognoſcunt per ſenſationem obiectorum præſentium; & hāc vocamus extimationem, per quam videlicet, nec præſentialiter, & euidenter, nec fictè, nec recolendo dignoſcuntur obiecta; ſed tantum prout realiter talia putantur, licet ſimul recordatio aliqua ſupponatur de formalitate, ſeu forma ſub qua concipiuntur, quia niſi memoria aliqua haberetur de ipſo prædicato in indiuiduo, vel de alio ſimili eiuſdem rationis, non poſſet illud tanquam verè cum ſubiecto coniunctum extimari.

Secundo dicendum eſt, extimationem prout modo deſcripſimus, eſſe poſſe veram, & falſam, & quodammodo ſe habere in ſenſu, ſicut opinio ſe habet in intellectu. Primum apertè ſequitur ex dictis; nam verſatur circa obiecta per modum aſſenſus abſque euidentia; ex quo fit, vt illa non ſemper ſint talia prout iudicantur, ſed contingenter, & vt ſæpe aliter ſe habeant à parte rei, ac per huiuſmodi ſenſationem ab animalibus appræhenduntur. Quidquid enim formaliter extimatur, vel eſt tanquam ſubiectum formæ, quam animal intuitiuè cognoſcit, aut cognouit, vt cum extimatur lac ex candore ſubiecti; vel eſt tanquam forma ſubiecti ſimiliter cum euidentia cogniti, vt cum extimatur dulce, aut comeſtibile, quod manibus contrectatur. Vtroque autem modo contingens eſt, illa ita ſe habere, ſicut putantur eſſe. Nimirum formam illam habere tale ſubiectum, aut ſubiectum illud habere talem formam; Siquidem non ſunt neceſſario connexa. Et hinc oritur quandoque eſſe veram extimationem, quandoque falſam; ac propterea in quibuſdam ſenſibilibus per accidens decipi animalia; in quibuſdam verò minimè, vt auibus illis accidiſſe teſtatur Plinius, cum ad vuas à Zeuxide depictas aduolaſſent, non timentes puerum, qui eas ferre, non tam excellenti artificio repræſentabatur; vtpote deceptis in vno, & non in alio; quia vuas reales illas putabant, puerum verò non talem. Atque ex hoc etiam differt extimatio à cognitione intuitiua, & memoratiua; nam hæ ſemper ſunt veræ, illa autem vera, & falſa eſſe poteſt. *Lib. 35. c. 10.*

Alterum verò, quod scilicet extimatio se habeat in sensu, velut opinio in intellectu, sumitur tum ex doctrina Platonis, qui docet, id quod in oratione sunt affirmatio, & negatio, hoc in cognitione opinionem esse; nempe affirmatiuam, aut negatiuam. Et cum non per ipsam, sed per sensum hæc passio accidit, hoc phantasiam esse: Vbi vt alias phantasiam cum extimatiua confundit. Tum verò idipsum doctrinæ Aristotelis maximè cohæret; nam sicut intellectus per intuitum veritatis probabilis, adhærendo alteri parti contradictionis, assentitur obiecto, illudq. tale dicitur opinari; non quia necessario in se tale sit, sed quia tale ex connexis putatur, cum aliter se possit habere, vt docet ipse Aristoteles; ita similiter extimatio procedit per modum assensus adhærendo realitati obiecti, quod ex connexis contingentibus, quasi probabiliter tale putatur, cum à parte rei aliter se possit habere. Et sicut propterea opinionem veram, & falsam esse contigit, vt ibidem probat Aristoteles; ita etiam extimationem, vt dicebamus, vtramque scilicet ex defectu euidentiæ. Quia non ex alio assensus principiorum, qui dicitur intellectus, & scientia, sunt cognitiones semper veræ, & nunquam falsæ, sicut etiam sensationes intuitiuæ obiectorum præsentium ex natura sua, quia eliciuntur ab intellectu, aut à sensu cum euidentia, qua semper obiectum manifestatur sicuti est à parte rei, siue per se immediatè, siue per medium demonstratiuum. Nec est necessarium, vt animal per extimationem ita realitati obiectorum adhæreat, vt simul (materialiter saltem) falsum subesse timeat, quod est apprehendere aliquid cum actuali formidine alterius oppositi; Nam sicut virtualis, seu radicalis tantum formido ad essentiam opinionis requiritur, nempe, vt tantum sit talis assensus, cui ex parte obiecti, aut medij assentiendi, non repugnet subesse falsum: nam alioqui nonnulli ex his, qui opinantur (vt inquit Aristoteles) non ambigunt, sed certò se scire existimant; ita similiter ad incertitudinem extimationis, sufficit, vt sit veluti assensus cum formidine virtuali, ac radicali, quatenus ex parte obiecti non repugnat, illam esse

7. de Republica.

1. Poster. c. 26.

7. ethic. c. 3.

esse falsam, & aliter ipsum obiectum se habere, ac extimatur, aliterq. posse eidem animali quandoque innotescere; licet nonnunquam etiam in actu homines, ac bruta animantia videantur de opposito formidare, vt cum non satis illis constat, quod extimant tale.

Vbi notandum est, multa extimari ab animalibus talia ex quibusdam intrinsecè connexis, ac manifestè cognitis, vt subiectum ex figura, & colore, aut saporem ex odore, & similibus. Multa verò ex pluribus remotè connexis, vel non manifestè cognitis, vt cum tale putatur obiectum ex circumstantijs temporis, situs, & loci; vel effectibus, vt transitus cuiuspiam ex vestigijs, aut quid aliud ex signis. Cum verum sit, quod Aristoteles docet, bruta quoque animantia non tantum strependi, sed etiam significandi differentias posse dignoscere, qui tamen modus extimandi magis propriè hominibus competit, vt cum quis hostem adesse comprahendit, seu extimat, sentiens signum face datum, vt idem Philosophus ait. Ex quo fit, vt extimatio in hominibus etiam cogitatio, quasi propriori vocabulo à plerisque nūcupetur propter maiorem perfectionem, quam habet in illis, relicto nomine extimationis ad significandam eandem quidem sensationem, sed prout in brutis, vt videre est in Auerroe, ac D. Thoma. Quamuis non omnes hanc distinctionem susceperint, eo quod cogitare, tam apud Philosophos, quam apud Theologos frequentius operationem intellectus significet.

Lib. 9. de histor. anim. cap. 1.

3. de anima tex. 33.

Auer. 3. de anima comment. 6. & 20. S. Tho. 1. p. q. 78. art. 4.

Tertio dicendum est, proprium esse extimationis, vt quando animalia decipiuntur, non nisi per ipsam formaliter decipiantur. Probatur autem ex eo; nam duo requiruntur ad veram, ac propriam deceptionem animalis, vnum est percipere obiectum aliter quàm se habet à parte rei: alterum verò concipere illud prout realiter tale. Vnde communiter deceptio dicitur apprahensio, seu cognitio rei falsæ tanquam veræ: nam qui apprahendit falsum, vt falsum, aut fictum, vt fictum, siue apparens, non decipitur. Hoc autem duplex requisitum si in rigore loquamur, soli extimationi formaliter

competere reperiemus. Porrò ſenſus externi, vel ſemper omnino prout ſunt obiecta percipiunt. Qua ratione, inquit Ariſtoteles, ſenſum propriorum ſemper eſſe verum, vel ſi quandoque ex indiſpoſitione organi, falſum aliquid repræſentare videntur, vt cum ex quadam ſuffuſione in pupilla conſiſtente, quidquid aſpicitur, veluti feneſtratum eſſe putatur: aut ex humore ad palatum defluente, quidquid guſtatur, putatur amarum, etiamſi ſit in ſe dulce; hoc non faciunt attribuendo talem formam ſubiecto, quam non habet; ſed illam inadæquatè, ſeu tantum in partem, vel confusè cum proprio, & alieno ſubiecto percipiendo. In quo formaliter non errant. Nam re vera manent partes in circuitu feneſtræ, vt apparent; nec propriè videtur feneſtra, ſed potius id, quod in medio non videtur, tanquam feneſtra exiſtimatur, vt docet Galenus. Sic etiam adeſt in palato amaritudo, quæ ſentitur, dulcedinemq. repellit: Cum tamen omnia per modum recipientis concipiantur: poſtea ſenſus interior eſt, qui amaritudinem, quaſi cum extrinſeco ſubiecto coniungens, perficit iudicium de illo tanquam de amaro, cum ſit dulce. Similiter autem cum allucinatur animal circa ſenſibilia communia, nempe magnitudinem, figuram, numerum, vel motum; non percipit illa per ſenſus exteriores ſecus quam ſunt, & ex ſe obijciuntur, ſed aliter interius iudicando, quod exterius, prout eſt, obijcitur, vt cum aliquid magnum à longè paruum putatur, vel alterius figuræ, quam eſt, aut ſub diuerſo numero, vel motu concipitur. Non enim oculus turrim eminus viſam, paruam, aut magnam diiudicat, aut quadrangularem, cum in ſe ſit rotunda; ſimiliter nec cum quis oculum torſiſſet, duas ex lucerna flammulas eſſe viſas, vt ait Cicero; ſed ſenſus interior hæc omnia diſcutit, extimatq. probè, vel prauè. Quare idem Cicero, opinionis eſſe mendacium, inquit, non oculorum, quaſi quæratur quid ſit, non quid videatur. Vnde etiam Lucretius. Proinde animi vitium hoc oculis adfingere noli. Siue enim diſtinctè, ſiue confusè ſenſus exterior ſua obiecta percipiat tam propria, quàm communia, nunquam formaliter

2. de anima tex. 156. & tex. 161

Lib. 4. de sympomat. causis cap. 2.

Lib. 2. Academicarum quæstionum.

Lib. 4.

liter

liter percipit illa, secus quam sunt; nam licet subiectum non ita se habeat, forma semper est vera, vt dicebamus de dulci, quod putatur amarum. Exemplumq. esse potest, quod experimur in inspicillis, sub quorum colore obiecta repræsentantur, quamuis ita colorata non sint. Itemque, quod per varias organi affectiones in morbis contingit, vt Galenus, cum sæpe de alijs, tum de se ipso narrat: quum per æstatem ardente febri laboraret, ac festucas atro colore ex cubili eminere, & floccos in vestibus esse falsò putabat, quum enim (vt ipsemet subdit) cuiuspiam biliosus succus in cerebro abundat, acciditq. febris ardens, is afficietur perinde ac si ad ignem torreretur, oriturq. tum fumus veluti in lucernis ab oleo, qui per vasa, quæ ad oculum tendunt delapsus, visorum in ipsis causa censetur. Igitur color, seu forma subiecti oculum non fefellit, sed extimationem, qua putabatur inesse festucis, quod inerat fumo. Sicut color vitri putatur in termino visionis, cum tantum sit in medio, nimirum in ipso vitro, quod tanquam medium ad videndum deseruit. Nam re vera extrinsecus ibi non offerebantur festucæ secundum omnia accidentia illarum sensibilia, sed extimabantur tales ex vero colore, & certa quadam figura, quæ erat in fumo. Sicut extimantur culices, vel simulacra quædam, ac per exteriorem aerem circumferri crassa illa corpuscula diuulsa, & inter se non continua, quæ oculis iuxta crystalloidem quandoque innascuntur, vt docet idem Galenus. Quippe, inquiens, sic affecti, & colorem, & substantiam, & figuram extrinsecus se videre existimant. Quod autem de sensationibus externis argumentati sumus, idem omnino de sensationibus internis obiectorum præsentium pronunciandum est, quandoquidem hoc ipso, quod pariter sunt cognitiones intuitiuæ per proprias species obiectorum actu ab ipsis in præsentia receptas, sunt etiam perceptiuæ entitatis illorum, sicuti sunt à parte rei; Nec potest species candoris, siue interius, siue exterius repræsentare nigredinem, sicut neque species dulcedinis, amaritudinem, aut imago trianguli repræsentare quadrangulum; & sic de alijs. Nam quando ap-

Lib. 4. de locis affectis c. 2.

Lib. 4. de symptom. causis c. 2. aliàs 3.

plicata gustui dulcedine, ægrotante sensorio, sentitur amaritudo, non sentitur per speciem dulcedinis, cum hæc, vel non recipiatur in organo malè disposito, vel si recipiatur, ab humore ibi per congestionem amarescente absorbeatur. Itaque in interna sensatione obiectorum præsentium, sicut in sensationibus externis, eadem ratione formaliter cadere non potest deceptio.

De imaginatione verò, nulli dubium esse potest, quin formaliter per illam animalia minimè decipiantur, nam licet vera, & falsa esse possit, non tamen per illam, obiecta ita esse putantur sicuti effinguntur, nisi accedat formalis extimatio, qua sensus adhæreat obiecto apparenti, ac si ita esset à parte rei. Quare sicut histriones non decipiuntur cum se reges faciunt in scænis regumq. munia exercent; decipiuntur autem phrenetici, & alij insanescentes, cum se tales realiter esse existimant; ita non decipitur sensus per falsam repræsentationem, seu imaginationem, quousque id, quod per illam apparenter effingitur, per extimationem appræhendatur, vt saltem materialiter verum. Remanet igitur, vt tota formalis deceptio animalis, in ipso extimationis actu constituatur, quando realiter ita esse iudicat, quod aliter se habet. Quia tunc extimatio non tantum est forma, per quam animal cognoscens non conformatur obiecto, sicut per imaginationem falsam, sed est forma, per quam, veluti putat se attingere, quod non attingit. Quod si in actibus memoratiuis simile quidpiam accidere videatur, totum refunditur in extimationem, quæ tunc reiteratur, aut concomitatur memoriam, siue illam subsequitur, vt luculentius ex dicendis patebit.

Quæ

Quæ tandem ſenſatio interna dicatur memoria actualis ſenſus interioris, ſeu actus memoriæ ſenſitiuæ. Cap. X.



NVS hic ſupererat modus explicandi, quo ſenſus interior circa abſentia, vel non exiſtentia obiecta verſatur, eſtque per actualem memoriam, quam de illis retinet; quæ etiam dicitur actus memoriæ ſenſitiuæ. Sed vt ritè in eius explicatione procedamus, tria nobis erunt ſigillatim diſcutienda. Primum nempe, quid, ſeu quæ nam cognitio per nomen memoriæ actualis in vniuerſum propriè, ac formaliter ſignificetur. Secundum vero, Vtrum formaliter detur talis cognitio in ſenſu interiori. Tertium tandem, qua ratione eadem cognitio interdum dicatur etiam reminiſcentia in ipſo ſenſu interiori.

Memoria igitur in vniuerſum non ſemper pro eodem apud Philoſophos vſurpatur; nam aliquando accipitur pro potentia, vel habitu, quo conſeruantur ſimulacra rerum inſidentium animo, qua ratione Themiſtius memoriam dicit eſſe habitum, quo imagines rerum poſt impreſſionem cuſtodiuntur, ac retinentur imagines, vt imagines ſunt. Aliquando verò ſumitur pro imagine à præcedenti ſenſatione relicta, firmiterq. impreſſa, ac defixa ſenſorio, quæ habitus etiam dici poteſt, & affectio ſenſus interioris, vt docet Ariſtoteles, qui ſecundum hanc acceptionem in proprio opuſculo agit de memoria, eamque diſtinguit à reminiſcentia, vt ibidem exponit Simplicius cum alijs. Ac denique aliàs memoria ſumitur pro eo, quod eſt meminiſſe, ſeu pro actu memorandi, ac ſenſu recolendi obiecta. De quo in præſenti quærimus, per quid propriè conſtituatur, abſtrahendo à memoria ſenſitiua, vel rationali, vt deinceps quo pacto à reminiſcentia diſtinguatur, & in ſenſu interiori formaliter reperiatur, clarius innoteſcat.

Dicendum

Dicendum autem primò eſt, memoriam actualem, nihil aliud eſſe niſi iteratam quandam præteritorum cognitionẽ, quæ fit cum illa hactenus cognita, rurſus & vt cognita percipiuntur. Sumitur hęc cõcluſio ex toto diſcurſu Ariſtotelis. Ex quo ſecundum partes ſic poteſt probari. Nam primò dicitur iterata cognitio, quia ſemper ſupponit aliam priorem cognitionem eiuſdem potentiæ circa idem obiectum. Deinde dicitur præteritorum, quia memoria non eſt niſi facti, ſeu præteriti. Eſt enim, inquit Philoſophus, præſentis quidem ſenſus, futuri verò ſpes, facti autem memoria. Quo ſenſu etiam Tullius. Memoria, inquit, eſt, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Vnde rurſus. Conſcientia, inquit, bene actæ vitæ, multorumq. benefactorum recordatio, iucundiſſima eſt. Et quia incognita repeti non poſſent, nec in memoriam reuocari, vt per ſe patet; idcirco additur particula explicatiua (cum illa hactenus cognita) ita vt per obiecta præterita intelligantur ea, quæ hactenus eidem cognitori nota fuerunt; ſiue actu ſecundum exiſtentiam præterierint, ſiue adhuc in rerum natura quãdo recoluntur exiſtant; dummodo eorum ſpecies omnino ex ſinu memoriæ non exciderint; nam tunc, vt ait Auguſtinus, non eſt quò aciem animi formandam voluntas recordando retorqueat. Et hinc ab Ariſtotele non dicitur, quempiam meminiſſe, niſi hoc quidem, quod didicit, aut ſpeculatus fuit; illud verò, quod audiuit, aut vidit, aut aliquid tale. Denique additur particula (& vt cognita) quia ad actum formalem memoriæ, non ſufficit, vt ſit iterata cognitio rei hactenus cognitæ. Siquidem per extimationem, & imaginationem, aut comtemplationem plura ſunt, quæ pluries cognoſcuntur; & tamen non dicuntur recolita per illas poſteriores cognitiones. Item plura ſunt, quæ rurſus quidem cognoſcuntur, nullo prioris cognitionis veſtigio relucente, quorum propterea nullo modo tunc cognitor dicitur recordari, ſed potius ea tanquam oblita de nouo apprehendere. Requiritur ergo ad proprium actum memoriæ, vt ita verſetur circa rem hactenus cognitam, vt ſimul percipiat illam à ſe prius fuiſſe cognitam.

Cap. 1. & 2. de mem. & remin.

Ariſt. ibid. c. 1.

Cic. 2. de Inuention. lib. de ſenectute.

11. de Trin. c. 4.

cognitam. Semper enim, ait Aristoteles, cum secundum ipsum meminisse agit, sic in anima dicit, quod hoc prius audiuit, aut sensit, aut intellexit. Verum non semper, nec necessario res illa percipi debet, vt hactenus cognita per actum distinctum, ac formalem reflexionem, vt quandoque fit ab intellectu, sed sufficit, vt materialiter cum ipsa re, quæ recolitur, appareat hoc, quod est prius fuisse cognitam.

Id autem fit tum per connexionem, quam habet species præteritæ cognitionis cum specie propria obiecti, qua talis cognitio tunc fuit elicita, ita vt excitata vna, excitetur & altera, & vtraque per modum vnius, confusè repræsentetur obiectum, & prior cognitio illius: tum etiam quia species illa obiecti relicta, semper per vsum prioris cognitionis, aliquam modificationem intelligitur accepisse, qua diuersimodè postea se habet cum iterum occurrit vsus ipsius, nempe noua eiusdem obiecti cognitio. Atque omnino experimur aliter potentiam se habere, & operari per nouam speciem non dum prius haustam, & exercitam, sed tunc primò impressam, ac per eam quæ diu in sensorio perseuerauit, & qua alias cognitor vsus fuit. Vnde nonnulla sunt quæ cum noua sunt, oblectant; postea verò non simili modo, ait Aristoteles; Quia nimirum specie nouiter impressa incitatur animus, intentusq. magis primum reditur in operatione, quàm cum denuo eadem vtitur ad repetendum obiectum iam cognitum. Vnde operatione neglecta, voluptas etiã hebetatur. Talis ergo est modificatio, quæ intelligitur in specie illa relicta post vsum prioris cognitionis, vt in posterum cum obiectum iterum repræsentat, simul quasi vsum ipsum indicet quo hactenus fuit repræsentatum, quod est repræsentare obiectum, vt cognitum materiali modo. Atque ex his iam satis videtur explicata memoria actualis in communi loquendo, per suas differentias essentiales. *Lib. 10. ethic. cap. 4.*

Nunc verò, quia diuersimodè talis cognitio oriri, aut comparari solet, nempe, vel per simplicem oblationem, seu excitationem imaginis eius, cuius meminisse contingit; vel per inquisitionem præcedentem, & excitationem eiusdem imaginis

ginis ex alia illi connexa: notandum est quando priori modo oritur talis cognitio, tunc tantum per nomen memoriæ actualis, ac recordationis illam apud Philosophos propriè explicari: quando verò posteriori modo proceditur, non nisi reminiscentiæ nomine significari. De qua significatione seorsum aliquid dicendum censuimus ad tollendas æquiuocationes in modo loquendi Philosophorum, & explicandos, ac distinguendos magis quoscumque actus memoratiuos.

Secundo itaque dicendum est cum Aristotele cap. 3. & 4. eiusdem opusculi, memoriam actualem non esse idem cum reminiscentia, sed hoc inter se differre, quòd reminiscentia tunc tantum dicitur, cum iterum in alicuius cognitionem venimus per aliquid illius, vel cum illa connexum, cuius propriè recordamur. Vt cum quis alicuius dicti, cuius magna ex parte oblitus fuerat, per verbum quod ex illo memoriæ adhuc retinet, reliqua inquirendo, integrè recordatur; Vel cum locum, tempus, personam, aut alias circumstantias, cum quibus pronunciatum fuerat, iterum appræhendit, & exinde statim recordatur. Vbi notandum est, duo ad reminiscentiam requiri. Primo reliquias post obliuionem relictas, quæ sunt illæ rerum imagines, quas firmiter, ac distinctè tenebamus, per obliuionem postea aliquantulum obliteratæ, vel saltem cum cæteris confusæ. Secundo verò excitationem quandam specierum, quæ per aliquem ordinem, vel connexionem cum eo, quod meminimus, fieri solet. *Cap. 3. de mem. & reminisc.* Vnde Aristoteles facilè (inquit) esse reminiscibilia quæcumque ordinationem habent, vt dogmata mathematica; difficulter verò, quæ non ita.

Deinde aduertendum est, talem excitationem specierum dupliciter posse fieri: aliquando scilicet per quandam expressam, ac distinctam inquisitionem potentiæ, quæ per modum syllogismi ex his, quæ recordatur, alia disquirit dum reminiscitur, vel reminisci contendit; vt ex Aristotele attulimus; *Ibidem cap. 4.* & hoc pacto proprijssimè dicitur fieri reminiscentiam in doctrina Peripatetica; Nam cum reminiscimur (inquit ipse) *Ibid. cap. 3.* venamur, nempe id cuius reminisci volumus, meditantes ab

ipso

ipso nunc, aut alio aliquo, & à simili, aut contrario, aut propinquo. Siquidem & à locis, vt ipse inferius subiungit, & ex circumstantijs, vt dicebamus, quarum meminimus, ipsarum rerum, quas inquirimus, reminiscentiam comparamus. Aliquando vero huiusmodi excitationem experimur fieri per connexionem ipsarum specierum, seu per simplicem oblationem internam, vel externam alicuius speciei adeo cum illis connexæ, vt statim atque illam appræhendimus, cæteræ omnes excitentur, & sic reminiscamur. Qua ratione Petrus cum galli cantum audiuit, statim, vt inquit Matth. recordatus est verbi Iesu, per species enim cantus, cæteras connexas excitauit, vt Christi Domini integræ prædicationis reminisceretur. Qui tamen modus excitationis specierum, iuxta doctrinam peripateticam, non tam propriè videtur constituere reminiscentiam, quæ sæpius ab Aristotele per expressam inquisitionem explicatur. Nihilominus hoc discrimen fortasse non est essentiale; nam dummodo rei cuiuslibet reminiscamur per aliquid illius, vel connexum cum illa, quod memoriæ tenemus; quocumque modo fiat excitatio specierum, siuè per inquisitionem, siue per oblationem rei connexæ; hoc satis videtur, vt actus huiusmodi non sit mera recordatio, seu mera memoria actualis prout à Philosophis communiter accipitur. Non enim semper conatur potentia ex his quorum meminit, longo discursu oblita perquirere; sed quandoque statim, vel casu offertur illi aliquid, ex quo eorum reminiscitur, quorum imagines obliuione, aut confusione quasi obrutæ, ac sepultæ fuerant; idque ex connexione illa, quam supra explicuimus; vt cum quis repente ex pluuia, aut humido recordatur autumni, hoc quærens anni tempus, ait Aristoteles. *Matt. c. 26.*

Ex quibus omnibus patet, siue vno, siue alio modo reminiscentia fiat, omnino tamen memoriam actualem propriè dictam multum ab illa differre, quippe quæ, nec per inquisitionem, nec per excitationem vnius speciei ex alia requirit procedere, vnica rei hactenus cognitæ oblatione contenta, modo quo diximus. Quamuis hoc totum discrimen non sit

nisi accidentale, nempe secundum diuersum modum extrinsecum quo memoria, & reminiscentia à causa procedunt; cum alioquin essentialiter vtraque sit recordatio, & iterata cognitio rei hactenus cognitæ, & vt cognitæ.

Tertio dicendum est, memoriam actualem, vt suprà explicatam cum omnibus suis formalitatibus dari in sensu interiori saltem omnium perfectorum animalium. In quo nulla potest esse controuersia, nec ambigendi locus, docente hoc ipsa experientia manifesta, quam in singulis ferè animalibus præclare obseruat Aristoteles in libris, quos de historia animalium inscripsit. Quamobrem lib. 1. cap. 1. generaliter loquendo, non modo concedit complures animantes memoria esse participes; sed ad hoc pariter se extendere, vt sint etiam disciplinabiles; quod est memoriæ vsum perfectius includere; idemque alibi etiam repetit. Atque hinc videmus tot belluas distantia loca repetere; præteritas actiones quasi imitando resumere; significationes olim perceptas tenere; se inuicem, si aliqua intercesserit consuetudo secus ac alias recognoscere; proindeq. odio, vel amore in absentia ferri, & cum gaudio, vel mœrore rursus eorum præsentiam adipisci iuxta primam rei appræhensionem, quam retinent. Vnde canes non modo longissimi itineris recordantur, sed & maxima alacritate domum reuertuntur, dominoque quibus possunt obsequijs famulantur in amoris, ac pristinæ cognitionis argumentum; vt de cane illo Tobiæ domum redeunte ac præcurrente, & blandimento suæ caudæ gaudente, narrat sacra Historia. Contra verò, alios (maximè à quibus olim iniuriam acceperunt) latratu semper, ac dentibus insectantur. Sicut ille Camelus, qui vt refert Aristoteles, memor à se commissi sceleris eo quod opera Camelarij cum matre coisset, Camelarium ipsum morsu defixo interemit.

Lib. 9. de Hist. anim. cap. 1. & lib. 1. Met. lib. 1.

Tob. cap. 11.

Lib. 9. de hist. animal. cap. 47.

Quarto dicendum est, in sensu interiori non dari reminiscentiam sumptam in rigore, prout ortam ex formali inquisitione, & inuestigatione potentiæ reminiscentis; dari tamen interdum prout etiã ex simplici oblatione alterius imaginis connexæ oriri posse, paulò ante existimaui. Prima pars

huius

huius conclusionis expressè sumitur, ac probatur ex Aristotele cap. 4. proprij opusculi, nam sic, ipsum reminisci est (inquit) vt syllogismus quidam, & est, vt inquisitio quædam; hoc aut quibus, & ipsum consultatiuum inest, natura solum accidit. Quare ipso reminisci nullum animalium superius dixerat participare, nisi hominem, qui per intellectum, sicut cogitare, & consultare; ita & inquirere valet. Vnde lib. 1. de histor. animal. cap. 1. quasi idipsum repetens ait, homo vnus ex numero animalium omnium vim obtinet cogitandi, & cum memoriæ, atque disciplinæ complures animantes participes esse possint, nulla tamen præter hominem potest reminisci.


Secunda verò pars conclusionis probatur; nam excitari vnam speciem per oblationem alterius connexæ cum illa, non necessario supponit indagationem, & inquisitionem potentiæ, ac proinde vsum intellectus; cumque detur talis motus corporeus, deneganda non est huiusmodi operatio sensui interiori, ita vt per speciem, quæ vltrò ipsi offeratur, excitetur, & altera illi connexa, qua postea vtatur, & reminiscatur, vel totius rei, cuius ex parte fuerit oblitus, vel alterius rei connexæ cum illa. Imo, & hoc sæpe in brutis experiri videtur ipsa reminiscentia, vt cum bellator equus belli fortasse oblitus, statim ac buccinæ clangorem, tympanorumque perstrepentium apparatum cognouerit, reminiscitur, atque hinniens fremit, pugnamq. præteritam secum commemorare indicat manifestè, nisi dicamus præsentire futuram.

Confirmatur, nam vt docet Aristoteles cap. 4. supra cit. interdum contingit, vt valde cohibentes cogitationem, turbentur, & non reminiscantur: reminiscantur autem, non amplius conantes: quia reminiscens, corporeum aliquid mouet, in quo passio est; nec sistit motus quousque accedat, quod quæritur: accedit autem plerumque post conatum, & inquisitionem potentiæ; quia vt idem docuerat cap. præcedenti, cum reminiscimur, mouemur secundum quendam primorum motuum quousque vtique moueamur

post quem ille consueuit. Igitur etiam in hominibus datur reminiscentia per Aristotelem, quando non adest conatus, & inquisitio intellectus; sed tantum motus corporeus phantasmatum in sensu interiori; quamuis ille motus in principio à conatu potentiæ inquirentis ortum habuerit. Quapropter eodem pacto si huiusmodi motus incipiat per simplicem oblationem alicuius obiecti, cuius imago per aliquam connexionem excitet aliam, & illa aliam quousque repræsentetur obiectum illud, quod latebat, talis cognitio in sensu interiore dicetur etiam reminiscentia.

Quo pacto sensationes internæ dicantur procedere per modum apprehensionis iudicij, ac discursus.
Cap. XI.

Tract.4.c.5.

XPLICATIS actibus sensus interioris secundum essentialem earum varietatem, quam ex distinctione obiectorum, eorumq. conditionibus, ac circumstantijs, nec non, & ex proprio modo attingendi ipsa obiecta, desumere in principio commonuimus; ijdem explicandi sunt secundum accidentalem quidem, sed præcipuam diuersitatem, quam adhuc sibi vendicant ex peculiari, ac distincto modo attingendi obiecta, vt cum sensus concipit illa confusè aut distinctè, nempe per simplicem appræhensionem, vel per obscurum saltem iudicium, aut illatiuo modo, quasi vnum ex alio inferendo. Quare discutiendum hic sequitur, vtrum, & qua ratione tales modi reperiantur in ipsis sensationibus internis.

Primò igitur nulli dubium esse debet, in sensationibus internis dari simplicem quendam modum attingendi sua obiecta, quo interdum veluti per vnicum, ac primum intuitum, nihil iudicando de illis, tantum simpliciter attinguntur, & appræhenduntur oblata ipsa sensibilia. Fit autem eiusmodi appræhensio, vel per vsum vnius tantum speciei

ciei impressæ, quæ non sufficit ad compositionem, aut diuisionem plurium effingendam, affirmando, vel negando vnum de alio, sed tantum ad repræsentandum absolutè suum simplex obiectum: vel per inadæquatum vsum eiusdem, aut plurium specierum, quibus interdum non exprimitur ab animali omne id, quod est per illas expressibile, sed confusè multa simul quasi leuiter attinguntur, & ad modum vnius concipiuntur. Nam cum ad distinctam cognitionem plurium deueniri debet, id animal præstare non potest, nisi per copulationem, ac separationem suarum specierum, quarum adæquato vsu dicitur componere, aut diuidere, quasi affirmando, vel negando vnum de alio, & exprimendo quidquid in illis intentionaliter contentum elucet. In quo sanè magnoperè differt simplex appræhensio sensus interioris, atque etiam intellectus humani à simplici appræhensione intellectus Angelici, quæ circa plura, ac plura distinctissimè versatur vnico intuitu absque compositione, diuisione, aut ratiocinatione, vt communiter docent Theologi ex Dionysio Areopagita. Idque contingit ex debilitate luminis intellectus humani, ac interioris potentiæ sensitiuæ. Siquidem ab his non statim in prima apprehensione alicuius primi appræhensi, exprimi potest quidquid in illo virtute continetur, & habetur per suam speciem impressam, sicut ab Angelis, qui propter plenitudinem luminis intellectualis, in illis, quæ primò naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia quæcumque in eis cognosci possent componendo, diuidendo, ac ratiocinando, vt explicat S. Thomas.

7. de diuin. nomin.

1. p. q. 58. art. 3. & 4.

Differt insuper simplex appræhensio sensus interioris à simplici appræhensione intellectus humani; tum quia appræhensio intellectus versatur circa naturas vniuersales, aut singulares secundum quasdam formalitates ad modum vniuersalium, quod præstare non valet appræhensio sensus interioris, qui non nisi circa singularia materialiter potest versari: tum etiam quia appræhensio intellectus per vsum eiusdem imaginis circa plura saltem successiuè potest versari,

distinctè concipiendo, verbi gratia, nunc quantitatem, nunc verò figuram alicuius quanti: secus ac appræhensio sensus interioris, quæ circa res, suosq. modos non nisi simul confusè, ac per modum concreti potest se ferre.

At vniuersaliter loquendo de cognitione iudicatiua, distinguendum in primis est, inter eam, quæ vnum de altero propriè enunciatur (nempe affirmando, vel negando per connexionem, aut discrepantiam, quæ simul appræhenditur, inter illa; quod est propriè componere, aut diuidere, iuxta doctrinam Peripateticam,) & eam, qua vnum quasi in altero, vel cum altero, aut ab illo remotum materialiter iudicatur absque cognitione connexionis, vel discrepantiæ, & conuenientiæ, aut disconuenientiæ inter prædicatum, & subiectum, ac proinde absque formali compositione, aut diuisione.

Deinde dicendum est, sensum interiorem primo modo nullatenus posse iudicare, sed tantum hoc secundo. Probatur autem ex Aristotele 3. de anima tex. 22. vbi docet, id, quod singulos conceptus componit, esse ipsum intellectum: & nomine compositionis comprænhendit tam affirmatiuum, quàm negatiuum iudicium, seu enunciationem, vt notat Philoponus. Non ergo huiusmodi iudicium competere potest sensui interiori per Aristotelem, sed tantum illud, quod secundo loco explicuimus, quodque ipse cunctis animantibus concedit, vt paulo inferius adducemus. Tract. 2. c. 4. Ratione verò probatur ex dictis. Nam obiectorum conuenientia, & disconuenientia, vel connexio, ac discrepantia inter se, non sunt nisi habitudines quædam, & relationes, quæ nullo modo sub sensum cadere possint, vt ibi latè explicauimus. At propria enunciatio formaliter constituitur talis per cognitionem conuenientiæ, aut disconuenientiæ terminorum; nam inde habet, vt sit affirmatiua, vel negatiua, seu compositio, aut diuisio; Ergo sensus, qui tales habitudines nequit percipere, nec proprias enunciationes valebit conficere: sed tantum vnum de altero materialiter iudicabit, quatenus per simultaneam quandam, & com-

plexam.

plexam appræhensionem, vnum in altero, vel cum altero, aut remotè ab illo cognoscit existere, percipiendo quidem connexa, aut discrepantia, non tamen ipsam connexionem formaliter, aut discrepantiam.

Quoniam verò non tantum videtur prædicatum copulari, vel separari à subiecto per affirmationem, aut negationem formalem, sed per explicatam quoque appræhensionem complexam; hinc est talem cognitionem, qua materialiter cognoscitur prædicatum in subiecto, vel ab illo remotum ex carentia inexistentiæ ipsius in illo, vocari saltem obscurum, & imperfectum iudicium. Et hac ratione Aristoteles *2. poster. cap. vlt.* cuncta animalia congenitam docet habere potentiam iudicatiuam, quam vocant sensum; nam sentire, inquit, est ali- *2. topic. cap. 2. loco 10.* quo modo iudicare. Quod de sensu interiori præcipuè, vel saltem non sine concursu illius debet intelligi, quemadmodum illud, vbi visu, inquit, nos diiudicare tenebras, & lu- *2. de anima tex. 138.* men, sentireq. tum colorem, tum subiectum illius. Etenim in animali, vt docet M. Greg. vnus est iudex nempe sensus *Lib. 11. moral. cap. 8.* cerebri, qui intrinsecus præsidet, & per meatus proprios quinque sensus, eorumq. obiecta discernit. Nec aliter interpretari debet illud Iob. Nonne auris verba diiudicat, & *Cap. 12.* fauces comedentes saporem? vt obiter annotarunt nonnulli Theologi. Nam semper sensationem externam consequi- *Richard. in 2. dist. 24. q. 2. circa 3. princ.* tur, & concomitatur interna, vbi perficitur cognitio animalis. Eodemq. pacto intelligendus est Augustinus cum ait, *Lib. 6. Music. & de vera Relig. c. 32. & 33.* sensibus esse naturalia quædam iudicia, quibus sensibilia iudicant.

Fit autem huiusmodi obscurum iudicium per vsum plurium impressarum similitudinum, quibus mediantibus repræsentantur obiecta, in se quidem essentialiter & accidentaliter connexa, aut discrepantia; absque tamen ipsa connexione, vel discrepantia; quarum sicut nullam potest sensus habere similitudinem impressam, ita nullam valet exprimere formalem cognitionem. Connectuntur tamen, vel separantur inter se species illæ impressæ dum imprimuntur, vel excitantur, & vsui offeruntur, per naturalem quandam con-

comitantiam,aut remotionem,ficut obiecta,quorum funt fimilitudines reperiuntur naturaliter connexa, vel feparata, & vt fic fimul, vel feorfum tales fpecies emiferunt. Sicut enim (inquit Ariftoteles) fe habent res ad inuicem in eo, quod confequenter, fic & motus.

De mem. & remin. c. 3.

Sed contra videtur obftare, quòd iuxta prædicta, fi in vnoquoque iudicio fenfus interioris, non nifi terminorum tantum fimilitudines exprimantur, nempe prædicati, & fubiecti abfque expreffione connexionis, vel difcrepantiæ, quæ per copulam propofitionis, feu per verbum eft, aut non eft,exprimi folet; non effet quo iudicium affirmatiuum à negatiuo diftingueretur. Semper enim vna effet eorum complexa, & abfoluta expreffio, feu potius appræhenfio, eademq. formalis cognitio, fiue cogniti termini inter fe cohærerent, fiue quam maximè difcreparent.

Cui difficultati occurrendum eft ex ijs, quæ paulò ante infinuauimus dicendo, hoc differre iudicium affirmatiuum animalis à negatiuo; quòd iudicium affirmatiuum quantumuis obfcurum, & imperfectum, pofitiuè fimul verfatur circa entitatem, & inexiftentiam prædicati in fubiecto, materialiter cognofcendo vnum in alio, vt calorem in aqua, aut albedinem in pariete. Quin modus exiftendi per fe, ac feorfum ab alijs, vel in alio cognito, ac fimul cum illo, percipitur faltem materialiter cum ipfa exiftentia rei actu exiftentis. Iudicium verò negatiuum eiufdem animalis, non nifi priuatiuè verfatur in non exiftentiam prędicati in fubiecto; quippe cum à parte rei, ac verè talem carentiam inexiftentiæ non percipiat, fed tantum videatur negare faporem de lapide, verbi gratia, quia cum lapide illum non appræhendit coniunctum, eo quod nunquam expertus fit inexiftentiam talis prædicati in præfato fubiecto. Itaque quod in intellectu eft formaliter negare vnum de alio per pofitiuam cognitionem non exiftentiæ prædicati in fubiecto, id in fenfu interiori eft non appræhendere illa fimul coniuncta, fed quafi remota. Quod pariter intelligendum eft eo modo, quo fenfus prædicata à fubiectis remota poteft appræhen-

dere, nimirum confusè cum alijs subiectis, ac per modum concreti, vt cum non appræhendit saporem cum lapide, sed cum carne, vel alio cibo. Ex quibus iam sufficiens apparet distinctio inter iudicium affirmatiuum, ac negatiuum animalis, vt iure proposita difficultas postulabat.

Tertio dicendum est, sensum interiorem propriè loquendo, nullo modo circa sua obiecta posse discurrere, posse tamen vnum ex alio materialiter quodammodo percipere per connexionem specierum, quæ se mutuo comitantur; & vt sic quandoque denominari, quasi procederet per modum discursus. Prima pars conclusionis apertè colligitur primò ex Aristotele, qui dum 3. de anima tex. 22. componere, ac diuidere, proprium docet esse intellectus, consequenter, & à fortiori idem sentit esse dicendum de discursu. Item quia lib. de mem. & remin. cap. 4. ex eo docet, præter hominem nullum animalium reminisci, quòd ipsum reminisci sit veluti syllogismus, quamuis circa singularia versetur. Sensit igitur syllogizare, seu discurrere nullo modo ratione expertibus posse competere.

Deinde probatur, quia ratio formalis cognitionis discursiuæ fundatur in actu virtutis illatiuæ, quo infertur consequens ab antecedenti, percipiendo connexionem aut discrepantiam, quæ est inter illa, ac deducendo vnum ex alio affirmatiuè, vel negatiuè. Et ita se habet illatio inter iudicia antecedentis, & consequentis, sicut copula inter prædicatum, & subiectum, quæ formaliter est exprimenda in vero, ac proprio iudicio enunciatiuo. At sensus interior sicut formaliter connexionem, aut discrepantiam terminorum nequit attingere, ita nec iudiciorum, quæ illi per modum antecedentis, & consequentis offeruntur. Ergo propriè, & formaliter loquendo, dari non potest in sensu interiori circa sua óbiecta cognitio discursiua.

Quod autem afferunt nonnulli grauissimi Auctores de rationis defluxu ex consortio potentiæ intellectiuæ, ac præstantiori accidentium apparatu in organo, vt saltem sensum interiorem hominum dicamus circa singularia posse discur-

rere; non videtur poſſe conuincere. Siquidem nec organorum præſtantia, nec intellectiuæ facultatis conſortium ſufficit, vt virtus illatiua circa ſingularia in ipſum ſenſum dicatur transfundi, cum alias ex natura ſua incapax conſtituuntur quilibet ſenſus ad percipiendas intimas rerum habitudines, quibus res ipſæ cohærent, vel diſcrepant inter ſe, ac vnum conſequitur aliud, & quarum ſpecies non niſi ab intellectu poſſent haberi. Vnde influxus intellectus in ſuis operationibus ſemper eleuantis, ac dirigentis ipſum ſenſum internum, manet extrinſecus reſpectu illius, cuius naturam intrinſecus immutari repugnat.

Quare non incongruè exponi poſſent huiuſmodi Auctores, inter quos eſt Auerr. Auicen. ac S. Thom. de diſcurſu materiali materialiter, & quaſi inſtrumentaliter ſumpto circa ſingularia, ita vt ſenſui interiori concedatur in hominibus propter præſtantiam organorum, & applicationem ac directionem intellectus adhibentis ipſum ſenſum opportuno modo circa obiecta propoſita, poſſe nonnunquam vnum quaſi ex alio colligere, prout materialiter vtriuſque ſpecies reperiuntur coniunctæ, & ſic elicere cognitionem vnius ſtatim poſt cognitionem alterius profectiori modo, quàm in cæteris animantibus, ac ſi verè, & propriè vnum ex alio inferret per cognitionem formalis connexionis, & conſequentiæ, quam ſolus intellectus poteſt attingere. Et ſicut D. Thomas poſtquam dixiſſet de mente Ariſtotelis, prudentiam conſiſtere in ſenſu interiori, qui perficitur per memoriam, & per experimentum ad promptè iudicandum de particularibus expertis, ſtatim addit: non tamen ita quod prudentia ſit in ſenſu interiori, ſicut in ſubiecto principali, ſed principaliter quidem eſt in ratione; per quandam autem applicationem pertingit ad huiuſmodi ſenſum; ita cum idem Sanctus Doctor, Auicen. Commentator, vel alius docet ſenſum interiorem in homine poſſe diſcurrere circa ſingularia; diſcurſus debet intelligi formaliter, & principaliter in intellectu: per applicationem verò in ipſo ſenſu interiori. Quare Themiſtius loquendo de διάνοια, quam Auerroes, cum alijs

2.2.q.47.art.3. ad 3.
6. Ethic.

Lib. 2. de mem. & remin. c.14.

ſumit

ſumit pro cogitatiua in homine ad ratiocinandum circa ſingularia, inquit, illam nihil eſſe aliud, quàm intellectũ, prout cum phantaſia operatur, ratiocinando ſcilicet, ſimul cum illa circa ipſa ſingularia. Quibus adſtipulari poſſunt verba eiuſdem D. Thomæ, qui poſtquam conceſſerat quaſi diſcurſum quendam circa ſingularia in extimatiua, ſeu cogitatiua, & memoratiua hominum, inquit, quòd illam eminentiam habet cogitatiua, & memoratiua in homine, non per id, quod eſt proprium ſenſitiuæ partis, ſed per aliquam affinitatem, & propinquitatem ad rationem vniuerſalem ſecundum quandam refluentiam, ſeu per quandam influentiam, vt repetit in alio loco; Quaſi diceret; hoc, quod eſt per diſcurſum procedere circa ſingularia, non eſſe opus ipſius cogitatiuæ, aut memoratiuæ, vt ſenſus eſt; ac ſi talis potentia ſuo iure talem ſibi operandi modum vendicaret; ſed per accidens ex coniunctione, quam habet in operando cum intellectu, à quo iugiter eleuatur, & in ſuis operationibus dirigitur, & applicatur ſecundum extrinſecam quandam refluentiam, ſeu influentiam luminis cognoſcitiui, ac directiui. Dixi extrinſecam, quia non apparet quomodo lumen naturale vnius potentiæ intrinſecè refluere poſſit in aliam potentiam, cui naturaliter ab ipſo D. Thoma aſſeritur non competere, quamuis ambæ facultates in eodem ſuppoſito, vel operante reperiantur coniunctæ.

1. p. q. 78. art. 4. ad 5.

Opuſc. 43. quod eſt de potentijs animæ cap. 4.

Secunda verò pars concluſionis nempe ſenſum interiorem poſſe vnum ex alio materialiter percipere per connexionem ſpecierum; Probatur apertè. Nam ſicut ea, quæ ſe mutuo conſequuntur, ſiue per ſe, ſiue per accidens, vt forma, & ſubiectum, cauſa, & effectus, motus, & mouens; vel ſimul, vel vnum poſt aliud per ſui ſimilitudines interius perferuntur, vt concipiantur ab anima; ſimulq. per naturalem quandam connexionem conſeruantur; Ita cum anima exprimere conceptus aggreditur, poſt vſum vnius imaginis impreſſæ, ſtatim alia, quæ ſimul cum illa, vel poſt illam immediatè intus peruenerat, ſimulq. conſeruabatur, occurrit, & ad vſum alterius conceptus exprimendi deſeruit. Vnde


Ari-

De memor. & remin. c. 3. Aristoteles: Sicut enim (inquit) se habent res ad inuicem in eo, quod consequenter, sic, & motus, per quos nempe ab anima concipiuntur. Et quia sæpe contingit, vnam speciem hactenus impressam excitari per nouam, quæ actu hauriatur ab eodem vel simili obiecto extrinseco, & cum illa excitari simul & reliquas connexas: hinc fit, vt quandoque sensus interior, verbi gratia, ex sola causa, quæ tunc extrinsecus illi adstare comperitur, percipere videatur, & motus, & effectus consecuturos nullo modo præsentes, ac si rationabiliter vnum ex alio inferret; cum totum hoc fiat per oblationem imaginis eiusdem, vel similis effectus hactenus haustæ, ac de nouo excitatæ simul cum pristina imagine, similis, vel eiusdem causæ præsentis. Et sic de ceteris connexis licebit philosophari, vt clarius patebit exẽplis, quæ sequenti cap. ad huius rei comprobationem commodius afferentur.

Quarto, & vltimo. Dicendum est cunctas indiscriminatim sensationes internas superioribus capitibus explicatas procedere posse per modum simplicis apprehensionis, iudicij, ac discursus, prout modo explicauimus. In quo nulla videtur obstare posse difficultas. Nam siue facultas interior sensitiua versetur circa præsentia, siue circa absentia, vel non existentia; rursus siue versetur circa illa tanquam circa obiecta realia per propriam extimationem, siue quatenus ita apparere contingit per imaginationem; semper aliquo ex præfatis modis debet procedere: nimirum, vel simpliciter apprehendendo obiectum, vt vnum etiamsi in se duo contineat prædicata: vel quasi iudicando vnum de alio, copulando, vel separando species eorum: vel denique vnum ex alio materialiter percipiendo per naturalem oblationem simulacrorum, quæ se mutuò consequuntur, aut per applicationem intellectus in homine sensum appositè dirigentis. Idque tam si species rerum præsentium dum hauriuntur, inter se tantummodo copulentur, vel ab inuicem secernantur; quàm si cum cæteris imaginibus rerum absentium, vel non existentium modo, quo diximus conferantur.

Expli-

Explicantur indicia, & soluuntur argumenta, quibus probari videtur in sensationibus internis quandoque verum, ac proprium reperiri discursum. Cap. XII.



VT modus, quo iuxta prædicta sensus interior simulacra excipit, copulat, secernit, profertq. de memoriæ thesauro in vsum, distinctius innotescat, appareatq. inter sensationes internas nullum esse in rigore proprium iudicium, nullumq. formalem discursum, quamuis per modum iudicij ac discursus illæ dicantur quandoque procedere: examinanda, ac soluenda sunt ea argumenta, & indicia, quibus oppositum de illis probari videtur: obseruatis præsertim operationibus quibusdam brutorum, quæ naturali sua calliditate, & solertia, ita discursum hominis imitantur, vt pariter ipsa circa sua obiecta componere, diuidere, & ratiocinari propemodum censeantur. Genus enim brutorum, ait certè Aristoteles, magnam referre vitæ humanæ similitudinem, videriq. in quibusdam intelligentiæ rationem. *Lib. 9. de histor. anim. cap. 7.* Quapropter, vt *2. Phys. tex. 80.* idem etiam scriptum reliquit, dubitauerunt quidam, vtrum intellectu, aut quodam alio operentur Aranei, & Formicæ, & huiusmodi animalia. Nec defuerunt, qui absolutè, bruta hæc ratione vti, dicerent: teste Plutarcho de placitis Philosophorum; *Lib. 5. cap. 2.* quibus adstipulari videtur Porphyrius, *Porph. lib. de sacrificijs.* qui participationem quandam rationalis facultatis omnibus concedit animalibus, eamq. in phantasia collocat: quam propterea vim quandam rationis inquit habere. Quare, vt notat Aristoteles, Antiqui sapere & sentire, idem esse dixerunt, *2. de anima. tex. 150.* vt Empedocles, atque Homerus.

Plutarchus igitur opusculo de solertia animalium, ratiocinationem aliquam, & intelligentiam in belluis concedendam esse autumans ex persona quorundam Philosophorum, licet imbecillem, & minus rectam, quam in hominibus, vt ipse

vt ipse ait. Primum argumentum auspicatur ab eo, quòd cùm multa sint naturæ animalis conueniẽtia, multa aduersa quæ consectetur, vel fugiat, ac perinde vtrorumque cognitionem sensus vnicuique animalium præbeat; hinc quæ sequuntur appetitiones vtilium perniciosorumque, & molestorum auersiones, nullo pacto cadere in animal possent, si per eundem sensum iudicare, animaduertere, ac ratiocinari circa illa nequiret. Etenim animal ad suum munus perficiendum non modo nocitura, quæ metuat ac fugiat, & profutura, quæ desideret ac sequatur, qualitercumque debet agnoscere; sed ad hunc finem, receptacula, ac suffragia, parare; actionem, quæ actioni antecedat, disponere; indagines moliri; insidias declinare, aliaque permulta facere. Quæ omnia maxima cum sagacitate, & intelligentia sunt coniuncta, ac propterea cuilibet animali rationem aliquam cum sensu conuenire concludit.

Deinde Stratonis physici argumentum, inquit, extare; quo sine intelligentia sentiri omnino nihil posse ille demonstrat. Nimirum, quia sæpenumero scripturam aliquam oculis percurrimus, aut verba nobis ad aures accidunt; ita vt nihil eorum obseruemus, sed fallant, ac effugiant animo nostro in aliud intento; deinde reuocentur in mentem, ac recolantur eadem, quæ antea erant prætermissa. Vnde dictum est, mentem videre, mentem audire &c. quia scilicet affectio aurium, aut oculorum, sensum nullum indat intelligentia absente. Proindeq. si natura ita est comparatum, vt intelligendo sentiamus, necesse est, inquit, omnia quæ sentiunt, intelligere; quod est circa sensibilia iudicare, ac discurrere.

Tertio ibidem argumentatur; nam equos, canesque, & alia bruta sæpe homines plectunt castigandi gratia; dolorque, & ægritudo, quam pœnitentiam vocant, ijs incutitur non frustra, sed vt corrigantur; supponunt ergo falsas opiniones, prauaq. iudicia, in quorum emendatione postea formaliter consistit correctio, cum omnes potentiæ in ipsis sequantur cognitionem. Et confirmari potest; nam cum canis plectitur ad emen-

ad emendationem leonis, nequaquam emendaretur leo, nisi ex castigatione canis proprium delictum agnosceret, propriamq. actionem emendandam inferret. Itaque non tantum iudicat, sed etiam valet discurrere. Atque huc etiam spectat quidquid de brutorum docilitate, disciplinarumq. capacitate; tum idem Plutarchus, tum Aristoteles sæpe commemorant, qui non tantum dicere, sed etiam docere, quandoque bruta videtur concedere. *Arist. lib. 4. de hist. anim. c. 9.*

Verum, vt ad exempla peculiaria, eorumq. varias obseruationes deueniamus, illud in primis admiratione dignum Plutarchus enarrat, quod Romæ cum multi docerentur Elephantes institiones admirabiles, gyrosq. explicatu difficiles: quidam reliquis omnibus minus docilis, ob idq. crebrò increpatus, & castigatus, depræhensus est noctu sua sponte ad Lunam se exercens, ac discens. Similiter & Picam mirificè vocalem, & garrulam fuisse, quæ tubis aliquando prope ipsam diutius, ac prolixius accinnentibus, ita postea conticuit, vt muta, ac omni penitus voce destituta putaretur, quasi tubarum sonitu perculsum auditum, vnà, & vocem ammisisset. Verũ ipsam tunc impensè studuisse, & vi imitandi aliquandiu in sese conuersa, exercitationi incubuisse apparuit. Subito namque vox rursum emicuit, nihil vsitatarum, ac veterum imitationum, sed cantus tubarum ipsis conuersionibus modulans, omnesq. mutationes, & pulsationum numeros exprimens. Ex quo colligit Plutarchus, in animalibus intelligi posse facultatem à se ipso discendi, rationis maiorem habere vim, quàm docilitatem magistro aptam, & vtramque in belluis reperiri.

Item illud expendit, quod non modo feratur, Coruos in Africa potu indigentes, lapidibus iniectis in aquam, eo vsque eam impleto cauo continente eleuasse, dum rostro attingerent: sed & canem se vidisse, lapillos in amphoram oleo non repletam inijcere, intelligendo sanè à grauioribus immissis, leuiora sursum elidi; & Iubam refert scripsisse, (quod Plinius quoque meminit) nempe Elephante aliquo in foueam dilapso, reliquos, qui gregatim ambulant, mate- *Plin. lib. 8. c. 8.*

riam.

riam inijcere, vt illapsus facile exire possit. Quare sicut Elephanto magnitudine figuraq. nulla vastior, ita belluarum nulla prudentior apud omnes habetur. Notumq. esse inquit, piscem cui nomen piscator, acetabulum, instar funiculi demittentem, quo hamus dependet, pisciculosq. fraude adductos comprąhendit. Qua, vel simili arte, alios quoque pisces vti, perspicuum est. Amplius Thraces, refert, vulpe vti ad soliditatem glaciei explorandam, cum concretum gelu fluuium transire cupiunt. Illa enim sensim accedens, aurem admouet, & si aquam audiat prope subterlabi, intelligit non in profundum congelasse; ideoque subsistit, vel retro abit: Quod si nullum sonitum percipiat, audacter transit. Ratiocinatur igitur vulpis, infert Plutarchus, motum ex sonitu, fluxibilitatem ex motu, & non consistentiam ex fluxibilitate argumentando. Additque secundum dialecticos, canem in triuijs ea vti argumentatione, quæ è pluribus disiunctis enunciatis conficitur, secumq. ita colligere. Fera aut hac, aut illa institit via, sed neutra; Ergo hac, quæ superest; sicq. per eam sensu nihil suppeditante feram insequi, flexusque, & vestigia quærere. Hæc & alia idem Auctor fusè prosequitur, quibus adstipulari possent. Quæ cum plurimi, tum præcipuè Aristoteles abunde de brutorum solertia, ac prudentia tradit.

Lib. 9. de histor. anim. c. 5. 6. 7. & 37. 38. & 40

Sed vt simul argumenta, indiciaq. omnia tum adducta, tum quæ adduci possent, communi quadam, ac vera ratione disquiramus, notandum est, ad hoc præcipuè illa omnia reuocari, vt in brutis ordinatio quædam, dispositioq. mediorum ad finem, cognitio rerum ex causis, & capacitas disciplinæ cum studio & correctione, ab effectibus ostendatur; vt hinc inferri liceat discursus, sine quo certè exerceri nequeunt huiusmodi actiones. Quibus tamen singulis haud multum erit ex principijs supra explicatis occurrere.

Respondetur enim ad primum argumentum, multa quidem à brutis animantibus cognosci, appeti, ac parari ad finem aliquem ex natura sua intentum; vt ad subterfugienda incommoda, & molesta, ac prosequenda oblectabilia; verum

rum illa non apprӕhendi sub ratione medij, prout media sunt, & ordinantur ad finem, quasi ex industria, & arte eligerentur, & adaptarentur ad illum: sed tantum materialiter prout sensibilia sunt, ita vt bruta animantia, dum tendunt in finem, non secus ac plantӕ suis vtantur proportionatis medijs, vt docet Aristoteles. Nam, inquit, si propter aliquid Hirundo nidum facit, & Araneus telam, plantӕ quoque folia gratia fructuum, & radices deorsum gratia nutrimenti faciunt. Et licet inter plantas, & bruta illud sit discrimen, quod bruta cognoscunt quidem ipsa media, quӕ assumuntur; plantӕ verò non cognoscunt: Aliud tamen est cognoscere, ac sumere medium ex se ordinatum ad finem per materialem apprӕhensionem, quӕ habetur de illo, tanquam de connexo cum fine: aliud verò est distinctè cognoscere aptitudinem, quam illud habet ad talem finem, ex qua cognitione oriatur electio illius, & ordinatio ad consequutionem ipsius finis. Siquidem aptitudo est ratio quӕdam sub qua electionis, & formaliter est habitudo, seu relatio proportionis, quam medium habet ad finem, vt viӕ ad terminum, vel causa ad effectum, & similia. Quӕ habitudo, & proportio est extra latitudinem obiecti adӕquati sensus interioris, vt sӕpe diximus. Proindeq. electio cum supponat cognitionem huiusmodi aptitudinis, seu proportionis, constituitur opus solius potentiӕ intellectiuӕ, & nullo modo conceditur brutis, vt explicat S. Thomas. Estque Aristotelis, qui causam reddens, ait. Non omne, quod spontè agimus, esse eligibile, sed id, cuius consultatio antecessit; ideoque electionem non esse communem cum brutis. Accedit, quia tota ratio appetibilitatis, quӕ reperitur in medio, vt medium est, est bonitas vtilis, quӕ conducit ad honestum, vel delectabile (nam hӕc duo tantum bona absolutè habent rationem finis, vt docet Aristoteles.) At sensus non percipit vtile, sicut nec aliud bonum relatum, vt probatum est supra; Ergo sensus non percipit medium, vt medium est, & prout ordinatur ad finem.

2. phys. tex. 80.

1. 2. q. 13. ar. 2.

3. ethic. cap. 2.

8. ethic. c. 2.

Tract. 2. cap. 4.

Restat igitur, vt cum belluӕ pleraque moliuntur ad finem

aliquem

aliquem consequendum, cognoscant quidem ipsa media, quibus vtuntur, sed non nisi materialiter, prout aliquo modo connexa cum fine ratione imaginum, quas simul habent de illis; ita vt hirundo cum ad nidificandum aquam tangens alis, ijsq. deinde puluerem appræhendens, lutum facit, illinitq. illo laxas, dilapsurasq. nidi paleas; non appræhendat aquam tanquam aptam ad conficiendum lutum, nec lutum formaliter tanquam glutinum, aptumq. ad liniendas paleas; sed omnia materialiter tanquam partes illius, quatenus in adæquata imagine, quam habet de nido, confusè continentur imagines etiam istorum. Nam neque lepus propriam cognoscit aptitudinem in ascensu, longioribus sortitus cruribus posterioribus, dum ad capiendam fugam accliuiori vtitur via: sed tantum commoditatem, cui dum currit inclinatur, confusè appræhendit.

Fit autem, vt incognita formaliter aptitudine mediorum ad finem, ea nihilominus à brutis assumantur, adhibeanturq. nam sufficit realis connexio inter obiecta in ratione appetibilitatis, vel conditionis illius, vt appetitus dum fertur in vnum, simul feratur in aliud cum illo coniunctum, tanquam per modum vnius confusè. Alioqui nec fieret accessus animalis ad pabulū, & ad iucunda, nec remotio à molestis absque formali cognitione aptitudinis, quam habet talis conditio, seu motus ad finem intentum tanquam medium ex natura rei ordinatum, ac requisitum ad consequutionem illius. Quod certè falsum esse comprobatur in homine, qui quantumuis ratione polleat, multa sæpe media ad finem adhibet, inconsultò, ac repentino phantasiæ motu, & naturali quodam instinctu partis animalis, absque formali cognitione aptitudinis illorum. Vt cum supercilia inflectit, contrahitq. palpebras, vel etiam præ sole manum obijcit, vt acutius videat (quorum causam reddit Aristoteles) vel cum ad reminiscendum, sursum aut deorsum aspiciens, ceruicem eleuat, aut inclinat.

Sect. 31. problemat. q. 16 & 20

Ad secundum, quod erat Stratonis physici argumentum, respondetur, sensationem externam postulare quidem animi

quandam

quandam attentionem; hanc tamen adhiberi, vel per ſolum ſenſum interiorem, præſertim in his, in quibus nullus eſt intelligentiæ vſus, aut facultas; vel etiam per intellectum ſimul adhibendo mentem, à qua tanquam à digniori ſumitur denominatio, dum dicitur mentem videre, mentem audire &c. Ex quo minimè concluditur omnia, quæ ſentiunt, ratiocinari vel intelligere.

Ad tertium Argumentum reſpondetur, multa bruta animantia cum diſciplinarum aliqua capacitate, correctionem pariter admittere; ſed ſicut ex hoc, quòd illa ſint diſciplinabilia, nullum in ipſis arguere poſſumus proprium diſcurſum, aut iudicium; ſed tantum vna cum memoria illis ineſſe auditum, parũq. experientiæ, vt docet Ariſtoteles: ita ſimiliter ex eo, quod illa ſint corrigibilia, nihil vlterius poteſt inferri. Siquidem aſſueſcunt multa facere, quæ dum non faciunt, vel aliter faciunt, ſtatim plectuntur, dolorq. illis incutitur, cuius poſtea recordatione cauent id facere, vel non facere, quod paſſim dolor concomitatur. Non certè quaſi illatiuè, aut conſultò deducendo vnum ex alio; ſed per coniunctionem doloris cum actione corrigenda, dum ambo per ſpecies conſeruatas ſimul ſeſe offerunt, ita vt ſi vtriuſque ſimul meminerint, vtrumque fugiendo, per accidens emendentur. Quare non corrigitur iudicium, vel diſcurſus, ſed actio ipſa exterior, à quà abſtinere, vel quam proſequi caſtigatione coguntur; licet hinc formetur in illis quædam experientia (cum plures eiuſdem rei memoriæ, vnius experientiæ vim efficiant, vt inquit Ariſtoteles) qua poſtea diſponuntur, vt facilius corrigenda dignoſcant, & ad diuerſa efficienda habitus acquirantur. Cum autem per caſtigationem canis, corripitur leo, nullum pariter in illo emendatur iudicium, aut quid infertur ex alio; ſed tantum timor ei incutitur quo manſueſcere omnes belluæ conſueuerunt, dum ſcilicet cum alieno damno proprium ferè imminens appræhendunt confusè.

1. met. cap. 1.

Loco ſupra cit.

Nec docere vnquam bruta abſolutè concedit Ariſtoteles, vt Plutarchus aſſumpſit; ſed tantum, inquit luſciniam modulos ſuos pullos docere, verſusq. quos imitarentur tradere

visam esse; ex eo fortasse, quod vt immediatè antea dixerat: Auicularum nonnullæ haud vocem eandem mittunt, quam sui parentes, si præreptæ paterna caruerint educatione, moribusque, & cantibus cæterarum auium insueuerint. Aliud igitur est, præcepta tradere, propriéque docere; aliud verò se tanquam exemplar, non ex intento, sed tantum materialiter imitandum præbere, videriq; pullos docere, dum illi cantum suum attendentes, assuescunt non aliter modulari. Alioqui præter parentes etiam cæteræ aues in sententia Aristotelis præreptos pullos dicerentur docere. Potius itaque cantum diuersum, vel similem tribuit Aristoteles cantibus, quibus pulli audiendo insueuerint tanquam per studium, seu disciplinam, vt paulo inferius subiungit. Nam sæpe iugiterque eundem cantum audiendo, valida fit impressio, affectioq. illius in cerebo; quæ postea per vsum memoriæ, facile sese offert ad reddendam ab animali, promendamq. ipsam, quam conceperat vocis inflexionem. Quod & homines etiam nolentes quandoque experiuntur; dum importunas cantilenas diu protractas secum coguntur repetere, intusq. personare sentiunt in silentio.

Sed vt cæteris quoque indicijs ab exemplis peculiaribus petitis, omnimodo occurramus; ad illud de Elephanto dicendum est, multa, quæ in vigilia vehementi impressione concipiuntur, validaq. virtutis applicatione efficiuntur; in somnis non tantum cognitione, sed & motibus alijs, quandoque reperi, iteratis actibus ex habitu acriter impresso: Vt communiter somnambulis, lusoribus, venatoribus nonnullis, aut psallentibus consueuit accidere. Fieri ergo potuit, vt simili sibi facta impressione, fera illa dormiens ex habitu operaretur, non autem ex electione ad discendum gyros illos, & institutiones noctu deambulando efficeret. Similiter, & quod affertur de Pica, in primis, non studio, & in se conuersioni ad nouam imitationem; sed auditus, & interioris, communisue sensorij percussioni tribuendum est, illam aliquamdiu conticuisse: ob vehementiam scilicet sensibilis, qua simul auditu, ac sensu interiori paululum labefactatis, cæ-

teras

teras quoque facultates ab interiori sensu pendentes, aliquantisper oportuit subsistere, & ab omni operatione desistere. Dumq. noua tubarum modulantium impressione sensus interior vehementer fuisset affectus, mirum non est, si imitatrix eius facultas, deinceps redderet, quod tunc impensè conceperat.

Illud item, quod de coruis in Africa, & cane illo refertur, abstrahendo à veritate facti, nec rationem, nec electionem in illis valet arguere, sed contingentiam quandam dumtaxat, vel assuefactionem. Quandoquidem non omnia illius generis indiuidua similiter operantur, adaptando scilicet media ad finem, vt experientia constat: nec illa eadem bruta scimus in reliquis parem cognitionem ostentasse. Cum alioquin vera sit illa Aristotelis propositio, Idem quod eodem modo se habet, aptum semper esse, idem efficere. Casu igitur potuit euenire, aut ex disciplina aliqua ad id, vel aliud simile ordinata. Multa namque fieri contingunt fortuitò, præsertim supposita aliqua disciplina, quæ ex circumstantijs quibusdam ad finem videntur artificiosè directa. Vt de coruo quodam temporibus Augusti enarrat Macrobius. Quem cum quis instituerit ad salutationem Cæsaris promendam, vt iam coruus alius, ac psittacus didicerant: propterea magni empti ab ipso Cæsare; sæpe ad auem non respondentem dicere solebat: Opera, & impensa perijt. Aliquando tamen coruus cœpit dicere dictatam salutationem. Aue Cæsar victor Imperator. Qua audita, dum transit Augustus, respondit: satis domi salutatorum talium habeo: sed superfuit coruo memoria, vt & illa quibus dominum quærentem solebat audire, subtexeret: opera, & impensa perijt. Ad quod Cæsar risit, emique auem iussit quanti nullam adhuc emerat. Aptè igitur, & quasi artificiosè subiunxit, quod aurium assuefactione didicerat, casuvè sibi pronunciare contigerat. Mirumq. fuit inexpectatæ responsioni, ad sensum talia addidisse, quæ nemo adhuc nouerat auem apprehendisse. Nec absimilem admirationem portentumq. attulissent aues illæ, quas in magno numero detentas, Annon Carthaginensis

2. lib. Saturnalium cap. 4.

pronunciare docuerat, Deum Annonem, si tamen dimissæ institutum obseruassent, & non potius ad naturalem cantum reddididissent, vt refert Elianus.

De varia historia lib. 14.

Quod si præter casus prædictos, qui de quibusdam dumtaxat indiuiduis enarrantur, multa experiantur indicia, quæ vniuersaliter de omnibus eiusdem speciei indiuiduis absque vlla disciplinę suspicione, ordinationem mediorum ad finem probare videantur, vt de Elephantis, quos in fossam delapsum congesta materia educere, ac de Piscatore, alijsq. piscibus afferebatur: illa certè exponenda sunt eadem ratione, qua ad primum argumentum paulò ante responsum est, nempe ea animalia materialiter tantum vti suis medijs ad finem consequendum absque formali cognitione medij, vt medium est: Nam licet ipsemet Plutarchus non satis postea videatur Iubæ credere, quasi regio edicto fidem iubentis in his, quæ de Elephantis tradidit, à quo etiam Plinius eadem accepisse videtur, vt colligitur ex eiusdem dictis. Nihilominus, quæ de Piscatore dicta sunt, ac de Polypo afferri possent; item, & quæ de Cancro narrantur, qui dum ostreum conchas patefacit, suis brachijs sublatum calculum inijcit, eoq. interposito ne testas claudere ostreum possit, illud excedit; pro certa apud omnes tenentur. Et ne domestica relinquamus; Quo silentio (ait Plinius) quàm leuibus vestigijs obrepunt auibus? Quàm occulto speculatu in musculos exiliunt feles? Et canum, vt idem Auctor obseruat, quæ in venatu solertia, & sagacitas est, dum ad feram insequendam scrutatur vestigia; Qua visa, quam silens, & occulta, quàm significans eius demonstratio est; cauda primùm, deinde rostro; non ob aliud certè nisi ad capiendā prędam. Mitto, quæ Cicero etiam præclarè obseruat; nam Canum, vt ille inquit, tam fida custodia, tamq. amans dominorum adulatio, tantumq. odium in externos, & tam incredibilis ad inuestigandum sagacitas, tanta alacritas in venando, quid significat, dixerim, nisi cognitionem, & ordinationem mediorum ad finem? Igitur concedendo, quod ingenuè sensuum fides astruit, hæc & similia de ordinatione mediorum ad finem, non

Lib. 8. cap. 5.

Gyllius de vi. & natura animal. lib. 13. c. 18.
Plin. lib. 10. cap. 73.
Plin. lib. 8. c. 40.

De nat. Deorum lib. 2.

non nisi prout in principio commonuimus, exponenda sunt.

Quod autem de Vulpibus apud Thraces à Plutarcho refertur, non est incredibile; attamen operationes extrinsecas illarum, alia certè cognitione interna dirigi posse, aptius fortasse intelligemus. Nimirum vt subsistant, admoueantq. aures, ac etiam reuertantur dum aquam audiunt subterlabi, non quidem quod ex sonitu fluxum, & ex fluxu inconsistentiam soli, ratiocinando deducant; sed quia insolitum fluxum subtus viam, incedendo, dum audiunt, timent, nihil præcisè inde argumentando.

Denique, quod in triuijs de cane feram insequente Plutarchus obseruat, idipsū S. Thomas perspicuè adnotauit; sed rem ex eius doctrina aliter licebit concipere; vt nimirum si canis ad triuium venerit, odoratu quidem exploret, an Ceruus, verbi gratia, primam, vel secundam viam transierit, & si neutram transire inuenerit, iam per tertiam quasi securus incedat; non quidem inferendo transitum feræ per illam tanquam per eam, quæ superest, viam, ac nihil amplius explorando; sed odoris vestigia persequendo, quæ statim se illi obtulerunt in ipsa tertia via, visuq. vlterius indagando. Vbi vt monet S. Thomas, licet quemadmodum in alijs belluarum motibus ordo quidam appareat rationis; ipsæ tamen sicut & alia, quę ita mouentur, rationem non habent, vt nonnullis videntur habere. Nam sicut comparantur artificialia, eorumq. motus ad artem humanam, vt horologia singulas horas, minutaq. indicantia; ita comparantur omnia naturalia ad artem diuinam, cum in vtrisque similis ordo appareat motionis, moueanturq. res secundum naturam, sicut quæ mouentur secundum artem ad suum proprium finem, vt docet Aristoteles. Apparet igitur nonnunquam in operibus brutorum ordo quidam rationis, in quantum habent inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus, & motus, vtpote à summa arte ordinatos, nullo sensu ita simul dictante, vel ordinante. Et sic responsum manet ad alia quamplura, quæ circa brutorum motus obseruari possent argumenta ad ratiocinationem, aut proprium iudicium in illis probandum.

1.2.q.13.art.2.

Loco supra cit.

2.phys.tex.49.

TRACTATIO QVINTA

De communi quidditate, & eſſentia, ſenſus interioris in vniuerſum.

PRAEMISSIS, quæ ad rationem obiecti, quæque ad actus huius potentiæ pertinere videbantur, conſequens eſt, vt ex ijs iuxta doctrinam Ariſtotelis, potentiam ipſam ſpecificantes, eſſentiam, & quidditatem illius proximè, ac diſtinctè aperiamus, explicemusq. communiſſimam rationem, quam quilibet ſenſus interior in vniuerſum participat, & qua ab exteriori ſuapte natura diſcernitur, perfectionemq. eſſentialem, quam inter cæteras facultates cognoſcitiuas iure ſibi proprio vendicat.

Senſum interiorem eſſentialiter eſſe quid à ſubſtantia ſentientis diſtinctum, paſſionemq. animæ ſenſitiuæ. Cap. I.

A PRIMO autem, & vniuerſaliori genere ſumentes initium, ante omnia determinandum nobis erit, num ſenſus iſte interior in ſe ſit ſubſtantia, vel accidens; ſeu num idem re ſit cum ſubſtantia animæ ſentientis, ab ea tantummodo per diuerſum conceptum diſtincta, an omnino diuerſum quidpiam à parte rei ſuperadditum naturæ ad operandum, ac proinde extra eſſentiam illius, quemadmodum quodlibet accidens quantumuis intrinſecum, & connaturale ipſi ſubſtantiæ.

Porrò non defuerunt magni nominis Philoſophi, ac Theologi, qui ſicut animam cunctas ſibi potentias identificare exiſtimarunt, ita conſequenter, imò & potiori iure, hoc ipſum

ſum

fum de huiufmodi facultate aftruerent; vt quæ coniunctione, & neceffitate naturæ, & remotione ab exterioribus accidentibus, minus videatur à fubftantia animalis differre. Quod primò fuaderi poffet ex eo, quoniam fi vix concipi poteft, animam fenfitiuam animare poffe corpus fine aliqua facultate ad fentiendum exterius, licet fine hoc, & fine illo fenfu, & fine omni eorum fenfatione paffim reperiatur; vt in fomno Apoplexia, & Lethargo: multò minus id ipfum concipi poterit cum fundamento abfque illius poteftate ad fentiendum interius, fine qua de facto nullum animal reperitur, nec vnquam fortaffe omni eius operatione priuatur, quantumuis obtusè, ac deprauatè aliquando fentiat, vt in fomno, vel morbis præfatis.

Secundo verò, quia hac poteftate tanquam primo, & vniuerfali principio quodlibet fenfitiuum conftituitur formaliter potens ad fentiendum quidquid fub cognitionem illius cadere poteft, cum quilibet fenfus externus interiorem fupponat, ad eum referatur, ab eoq. dependeat, & non è contra: fed id, quo primo fentimus, aut in vniuerfum fentire valemus, inuoluit effentialem differentiam animæ fenfitiuæ, vt patet ex definitione Ariftotelis; ergo fenfus interior pertinet ad effentialem, & fubftantialem conftitutionem animæ fentientis, ac proinde non eft quid fubftantialiter diuerfum ab illa, fed habilitas quædam illius, vt fic fub diuerfa ratione concepta.

Confirmatur ex eadem definitione; nam id quo primò viuimus, non eft poteftas accidentalis diftincta, fed gradus fubftantialis mente præcifus, quo anima conuenit cum vegetantibus: ergo nec id, quo primò fentimus, erit facultas diftincta, fed pariter gradus fubftantialis, quo anima conftituitur fenfitiua. Rurfus idipfum confirmatur; nam anima fenfitiua non minus effentialiter coniungitur corpori, vt illi fenfum tribuat, quàm vt vitam; fed vitam tribuit per fe ipfam; Ergo & poffe fentire, præfertim interius, vnde fons manat cuiufque fenfationis.

Tertio; nam fi ab effentia animæ fentientis tollatur, non

ſolum omnis actualis, & formalis cognitio ſenſibilium, applicatio, ac directio ſenſuum externorum, & potentiæ motiuæ; immediata inſuper excitatio ſui appetitus, & alia huiuſmodi, quæ ſenſui interiori communiter adſcribuntur; ſed etiam tollatur poſſe per ſe ipſam hæc facere, ſeu exercere, prout denominatur ſenſus interior: quid aliud ſupereſt, niſi illam tanquam aliquid emortuum, ac purum ſubiectum diuerſarum facultatum animalium deſtituere, ſicut ſe habet forma elementaris ad qualitates operatiuas, quas vnà cum materia ſuſtinet? Item ac ſimiliter, quid aliud eſſet niſi admittere abſurdum illud Platonis, vt ſcilicet ſenſus in nobis tanquam ligneis equis inſiderent, ſi anima ſimul cum illis, & per illos, vt ſenſui interiori adſcribitur, non ſentiret?

Tandem huc ſpectant cuncta argumenta, quæ apud diſertiſſimos Auctores ad agitandam huiuſmodi quæſtionem de omnibus potentijs, reperiuntur collecta.

Dicendum tamen eſt iuxta probabiliorem ac receptiſſimam ſententiam de cæteris quoque facultatibus animæ in vniuerſum, ſenſum interiorem realiter, & eſſentialiter ab anima ſentientis differre. *1. p. q. 77. art. 1.* Hæc eſt doctrina D. Thomæ, Thomiſtarumq. omnium, ac aliorum plurium Scholaſticorum, quam ſumpſerunt ex Dionyſio, *De cæleſti Hierarch. c. 11.* qui cæleſtes ſpiritus diſtinguit in eſſentiam, virtutem, & operationem. Itemq. ex Auſtino, *6. de Trinit. c. 6.* qui docet differre animam rationalem à ſimplicitate diuina propter multiplicitatem paſſionum, quod in ea aliud ſit memoria, aliud acumen, aliud cupiditas &c. *Lib. 10. cap. 11.* Et rurſus ait hæc tria, memoria, intelligentia, & voluntas, quamuis vnum dicantur in ſuo principio, quod eſt ſubſtantia, ſeu vita, & eſſentia; ſunt tamen diuerſa comparata inter ſe. Quæ pariter tria, inquit, in Deo non diſtare, ſicut diſtant in nobis. *Lib. 15. cap. 17.* Rurſumque ſumitur hæc doctrina ex illo Ariſtotelis. *De ſenſu & ſenſil.* Ignis non agit, vt ignis, ſed vt calidus; Ex quo interpretes vniuerſim colligunt, ſubſtantiam non eſſe immediatè operatiuam iuxta doctrinam illius, vt videre eſt äpud Aphrodiſæum, & alios. *Aphrod. com. 30.*

Probatur autem primò noſtra concluſio; nam ſi realiter ſenſus

sensus interior ab anima non distingueretur, neque similiter distingueretur exterior; eadem enim esset ratio vtriusque, vt si anima per se ipsam vteretur organo aliquo ad sentiendum, vti posset & reliquis; simulacra rerum in illis excipiendo, ac munera omnia obeundo, quæ tam exteriori, quàm interiori sensui communiter tribuuntur. Ex hoc autem sequeretur, nec propriè dari, nec distingui vllo modo potentias organicas inter se. Nam facultas imaginandi, seu phantasticandi, realiter, & essentialiter esset facultas tangendi, videndi, & audiendi; Similiter & quælibet istarum vicissim cum altera. Etenim vna & eadem esset substantialiter anima, eademq. indistincta habilitas illius, quæ cunctos illos actus per quos specificanda esset, simul ex natura sua respiceret. At hoc est contra communem conceptum hominum, & modum loquendi Philosophorum; Ergo & falsum illud ex quo sequitur.

Rursus probatur; nam sentientes facultates, quæ sunt in homine, eiusdem speciei constituuntur cum ijs, quæ sunt in brutis, & omnes sunt potentiæ organicæ, & non nisi dependenter ab organo operantur, cui propterea necessario dicuntur inhærere. Sed anima rationalis, quæ gerit vicem animæ sensitiuæ, nequit organo inhærere, & eiusdem speciei constitui cum facultatibus corporeis brutorum; Ergo per aliquam potentiam à se distinctam debet sentire.

Deinde probatur; nam si anima identificaret sibi sensum interiorem, multò magis quoque intellectum, & voluntatem in homine. Vnde non modo sequerentur incommoda, quæ à plurimis afferuntur, vt intellectum sentire, ac sensum intelligere, & id genus alia: sed pariter idem principium proximum cognoscendi simul affici cognitionibus contrarijs, sicut cum sensus, & imaginatio intellectui repugnat, ac manifestè circa idem aduersatur, iuxta illud Pauli. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, quod & Aristoteles expressit, cum loquendo de parte sensitiua in homine, dixit. In anima quoque esse quidpiam præter rationem, quod ei aduersetur, ac resistat. Quod postea docet,

Rom. 7.

1. etich. cap. 13.

cet,

cet, nobis inesse non quatenus homines, sed quatenus animalia sumus. Et exemplo eiusdem Aristotelis alibi declaratur, vt cum sol apparet sensui vnius pedis, persuasum autem est rationi, cum maiorem esse terra. In hoc enim, vel simili casu, homo eodem proximè principio simul iudicaret, & enunciaret contraria, imo & contradictoria de eodem, vt maius, & minus, maius, & non maius respectu eiusdem.

2. de anim. tex. 150.

Vlterius ipsi quoque sensus particulares absque communi, & indifferenti iudice, pugnarent inter se, præsertim circa sensibilia per accidens. Nam visu quidem nonnulla, alia iudicantur, quàm tactu, vt auibus illis contigit, quæ ad vuas depictas aduolabant; & Camelo, qui matri opertæ admissus, cum illa coiuit, quod alias videns non fecisset, cum Cameli matres nunquam superueniant suas, vt testatur Aristoteles. Olfactu insuper multa contraria iudicantur ijs, quæ visui offeruntur. Et in sacra historia aliter habemus iudicasse Isaac de Iacob per tactum, quàm per auditum, cum dixit: Vox quidem, vox Iacob est, manus autem, manus sunt Esau. Quod si anima esset principium proximum harum cognitionum, ita vt per se ipsam immediatè, ac formaliter sentiret, & intelligeret; absque dubio simul afficeretur prædictis omnibus contrarietatibus, ac plerumque simul assensu, & dissensu circa idem, quod non minus est absurdum, quàm impossibile, vt docet Aristoteles.

De histor. anim. d. lib. 9. c. 47.

Genes. 27.

2. de anima tex. 147.

Item probatur conclusio; nam principium operandi, qualis est facultas interius sentiendi, supponit principium essendi, qualis est anima in ipsa natura viuentis sensitiui. At non potest illud supponere à se sola ratione distinctum, cum tale principium essendi sit substãtia, ipsum verò principium operandi sit in genere accidentis, in quo est eius operatio, vt probat D. Thomas, quia scilicet cum potentia, & actus diuidant ens, & quodlibet genus entis; oportet, vt ad idem genus referatur potentia, & actus. Ergo facultas hæc, seu principium interius sentiendi, supponit animam sensitiuam à se realiter distinctam tanquam principium substantialiter essendi à principio accidentaliter operandi.

1. p. q. 77. art. 1.

Demum

Demum idem probatur; nam anima ſenſitiua ſi ſuum ſibi ſenſum interiorem identificaret, à fortiori identificare etiam poſſet ſibi actus, cum potentiæ latius pateant, & ad plura ſe extendant, quàm actus. At hoc excedit capacitatem, ac perfectionem illius, imo & cuiuſque naturæ creatæ: Ergo dicẽdum eſt tam ſenſationem, quàm ſenſum realiter ab anima ipſa diſtingui, tanquam perfectiones, quæ non niſi accidentaliter illi aduenire poſſunt, ſicut cuilibet ſubſtãtiæ creatæ, quæ ex conditione, & limitatione ſuæ naturæ hoc inter alia à ſubſtantia diuina diſcernitur, vt illa ex ſe potens, perpetuoq. operans intelligatur; hæc autem non niſi aliquando dependenter, & adiuta accidentarijs quibuſdam principijs; vt quemadmodum per accidens operatur, per accidens quoq; conſtituatur habilis ad operandum, cum actus neceſſariò ſupponat potentiam in eodem genere entis, in quo ipſe collocatur, & in ſolo Deo operatio ſit ſubſtantia, vt optime aſſumpſit idem S. Doctor ſupra citatus.

Ex quibus poſtremò idem poteſt confirmari: Nam vnumquodque prout eſt; ita operatur, vt docet S. Thomas. At animal in ſuo eſſe ſecundum adæquatam perfectionem ſuæ naturæ, non eſt ſola ſubſtantia; ſed quid conflatum ex ſubſtantia, & multis perfectionibus accidentarijs illius, quæ cum ipſa identificari non poſſunt ex limitatione propriæ naturæ, hoc ipſo, quòd natura creata eſt; Ergo in operatione ſenſitiua non concurrit ſola ſubſtantia animalis, vel eius animæ ſenſitiuæ, ſed vis etiam accidentalis ei ſuperaddita ad operandum, ac proinde ex natura rei diſtincta ab illa.

Ad primum igitur fundamentum in contrarium, reſpondetur, non ſolum in profundo, grauiq. ſomno animal interdum omni prorſus interna ſenſatione priuari, cum ſcilicet, nec vllum interuenire ſomnium poteſt, vt docet Ariſtoteles, *Sect. 30. problemat. q. 13.* ex vehementi agitatione caloris interius collecti: verum ac multò magis idipſum contingere in morborum quibuſdam affectionibus, vt Caros, Lethargi, Soporis, maxime autem Apoplexiæ, & Epilepſiæ, & morbi comitialis, quibus exterius, interiusq. animal, ita omni cognitione priuatur, vt nec

conſequi

3. de locis affe- ctis c.7.

consequi possit, quid factum sit, vt notat Galenus. Cum itaque hæc priuatio, tūc quidem orta ex alligatione instrumentorum, non tollat animationem corporis, & vitam animalis, sicut non tollit cessatio ab omni sensatione externa; sequitur, vt pari etiam ratione, neque carentia vtriusque facultatis ad sentiendum, ipsam vitam, & animationem tolleret, quam certè quasi frustra tunc sensus concomitatur, dum reduci non potest ad actum. Quoniam verò anima sensitiua coniungitur corpori non solum, vt det illi esse; sed etiam, vt cum illo operetur, functionesq. vitales, & animales iuxta exigentiam & opportunitatem exerceat, nec multum absque operatione conuenienti suæ naturæ, animal possit etiam in esse conseruari; hinc est vt naturaliter, nec interiori, nec exteriori facultate ad sentiendum priuari omnimodo possit, vt posterius hoc munus cum opus fuerit exequatur. Quod est proprium quoddam accidens exposcere ad consequutionem vltimæ suæ perfectionis à natura intentæ, quæ in operatione consistit.

Ad secundum respondetur, duplicem in sensitiuo potestatem considerari ad sentiendum, vnam qua completè, proximè, & formaliter constituitur potens in actu primo ad operādum, eliciendamq. sensationem siue internam, siue externam; & hæc potestas, vt vidimus, est accidentalis, tanquam perfectio superaddita naturæ, & substantiæ sentientis: Alterum verò considerari qua non solum radicaliter ac remotè sensitiuum respicit actus, quos mediante prædicta potentia potest elicere, sed qua tanquam intrinseca, & indistincta habilitate, simul cum accidentali facultate concurrit ad eosdem actus, tribuendo illis vitalitatem, & animalitatem, vt vniuersale principium, quod cum sensu, appetitu, ac cæteris potentijs animalibus operatur, ac veluti specificatur per illas tanquam per differentias contrahentes vniuersalem ipsius concursum ad determinatos actus ipsarum potentiarum. Et hæc habilitas cum sit adeo intrinseca, & indistincta ab ipsa substantia animæ sentientis, constituitur tanquam gradus, ex quo sumitur essentialis differentia ipsius animæ in

illa

illa definitione Ariſtotelis. Vnde hac poteſtate dicimus primò animal ſentire,non autem proximè; ſicut etiam dicimus, ſubſtantiam primò generare aliam ſubſtantiam, quia primario,& virtualiter concurrit ad illius generationem,licet proximè generet per accidentia, tanquam per inſtrumenta, vt docet Ariſtoteles. Et viuentia primò dicimus vegetare per animam vegetatiuam,quamuis immediatè vegetatio quælibet, vt nutritio, & accretio, per accidentia fiat. Vnde Ariſtoteles loquendo de igne, ſeu calore naturali, quo perficitur nutritio, & accretio in animali, ait. Hic autem concauſa quidem quodammodo eſt, non tamen ſimpliciter cauſa, ſed magis anima. Quare in propoſito idem eſt primò ſentire, ac ſenſitiuo modo viuere exercendo ſuas potentias vitales, ac ſenſitiuas, cum quibus, vt diximus etiam ipſa concurrit.

Lib. 2. de generat. & corrupt. tex. 54.

2. de anima tex. 41.

Ex quibus non modo patet ſolutio ad confirmationes,ſed etiam ad tertium, & vltimum argumentum; nam ſatis poteſt conſtare iuxta prædicta, non emortuo modo ſe habere animam ſenſitiuam, cum per diſtinctos ſenſus, ſentiendi munera obit, ſentireque conatur, nec ſenſus ipſos tanquam ligneis equis inſidere corpori animato, cum ab anima, & poſſe, & operari, per dependentiam, & concurſum probauerimus mutuari.

Poſtremò dicendum eſt, ſenſum interiorem eſſe veram, ac propriam paſſionem animæ ſenſitiuæ. In qua ſecunda concluſione, ſuppoſita præcedenti doctrina, nulla poteſt eſſe controuerſia, in eaque conueniunt omnes Auctores citati pro prima, loquendo de potentijs animæ in communi, cum D. Thoma, qui pariter pro ſe explicat D. Auguſtinum. Probatur autem breuiter. Nam licet ſenſus interior conueniat animæ, ſeu animali extra eſſentiam ſuæ ſubſtantiæ,ſitq. propterea accidens aliquod prædicamentale, cum nihil mediare poſſit, vt ſic, inter ſubſtantiam, & accidens; non tamen conuenit, vt accidens prædicabile, quod de nouo aduenire poſſit ſubiecto, ac diſcedere abſque illius corruptione; ſed cum immediatè fluat ab ipſa anima in primò inſtanti ſuæ productionis, ab eaque neceſſariò, ac perpetuò conſer-

1. p. q. 77. art. 8. ad 5.

uetur in animali tanquam primarium instrumentum suæ naturæ ad sensitiuè operandum; sequitur, vt per se, soli, ac semper conueniat animæ sensitiuæ tanquam proprium quarti prædicabilis, seu passionem, & proprietatem, quæ aliquo modo mediat inter accidens, & substantiam, vt ibidem ait S. Thomas. Et hac ratione intelligi potest illud Aristotelis: Animalibus, qua animal est vnumquodque, necesse est inesse sensum; per hoc enim determinamus, animal esse, & non animal. Siquidem per proprietates inseparabiles, vltimæ rerum differentiæ sæpius innotescunt. Nisi per sensum ibi intelligamus animam sensitiuam, quæ veluti radix est cuiuslibet sensus. Omnino autem loquitur de sensu in communi, prout compræhendit internum; Nam vbi sensus, ibi, & imaginatio, vt ipsemet ait, & nos late supra explicauimus.

De sensu, & sens. cap. 1.

2. de anima tex. 20.

Sensum interiorem essentialiter esse facultatem corpoream vitalem cognoscitiuam. Cap. II.



X ijs, quæ proximo capite dicta sunt, paulatim reliqua prædicata essentialia eiusdem naturæ vlterius explorando, consequenter primò dicendum est, sensum interiorem essentialiter esse potentiam de prædicamento qualitatis, sicut ceteræ naturales potentiæ, quæ in secunda specie subalterna illius generis ab Aristotele collocantur. Quod profectò facile patet ex eo, nam supposita præcedenti doctrina, huiusmodi sensus necessariò constituitur accidentalis, ac specialis quædam affectio perfecta, & absoluta ipsius animę sensitiuæ, ac primum principium operationis cuiusdam illius, in quibus includitur omnino generalissimum prædicamenti cum omnibus constitutiuis sub specie illa qualitatis, quæ dicitur naturalis potentia, vt ex Logica Aristotelis, eiusque communissima expositione potest constare.

Secundo dicendum est, sensum interiorem essentialiter esse facultatem corpoream. Quod pariter facilè probatur, cum

ctum ex eo, quod non versetur circa immaterialia, vt dictum est agendo de illius obiecto adequato, tum ex eo, quod sit propria, & indissolubilis passio animæ sensitiuæ, quæ ex genere suo corporea est; vt patet in brutis animantibus, corporeasq. tantum proprietates potest sortiri; tum denique ex modo essendi, & operandi in subiecto corporeo, cui ita adaptatur, vt pendeat in esse, & conseruari ab illo, & iuxta varias illius dispositiones variè operatur, vt sigillatim inferius constabit. Ex quo potestas omnis corporea maximè discernitur ab immateriali, cui sicut repugnat naturaliter à materialibus causis dependere in esse, & conseruari; ita repugnat in corporeo subiecto immediatè recipi, & ad dispositionem illius operari. Nam quod alteri inhærendo existit, & ad dispositionem illius operatur, necessario ab eodem debet in rerum natura sustentari, & in suo esse conseruari tanquam ab eo, cuius est virtus ad operandum, & cuius ope suffultum, sicuti est, ita & operatur. Quamobrem spiritualia accidentia non nisi spiritualibus subiectis possunt secundum se naturaliter inhærere, solumque ab his in suis operationibus intrinsecè dependere, quamuis extrinsecè intellectus hominum à phantasmatibus etiam dependeat, cum illa ad formandas suas abstractiones continuò speculetur.

Ideoque inter potentias cognoscitiuas in homine, sola mens ab Aristotele dicitur diuina, seu spiritualis, quia hæc sola extrinsecus accedit, & nihil cum eius actione communicat actio corporalis, siquidem, inquit, mixta cum corpore non est, nec instrumentum habet, sicut sensitiuum, qui sine corpore non est; sed separabilis est, sicut perpetuum à corruptibili, quod sæpe etiam aliàs consueuit repetere. Vnde hæc sola tanquam ab organo absoluta eleuatur supra organicas facultates, & independentur à corporeis impressionibus, sæpe etiam ipsis sensibus contradicit, sicut ipsemet Aristoteles testatur. Id quod præstare non potest sensus internus; vt qui proprio organo affixus non, nisi iuxta impressiones ibi factas valeat de rebus materialibus iudicare.

Lib. 2. de generat. animal. c. 3.

Lib. 1. de anima tex. 66. & lib. 2. tex. 21. & lib. 3. tex. 6.

Verum quo pacto huiusmodi facultas materialis esse possit,

ſit, cum paſſio ſit animæ rationalis in homine, quæ ſpiritualis eſt, non æque ab omnibus explicatur. Dici tamen poteſt cum probabiliori, ac veraciori ſententia, hoc quod eſt, ſenſum ſiue interiorem, ſiue exteriorem, eſſe paſſionem animæ rationalis in homine, non obſtare quominus pariter ipſe ſit facultas corporea; cum certum ſit, ipſum ſenſum non niſi eminenter fluere, & conſeruari ab anima intellectiua, quatenus ſcilicet illa gerit vicem animæ ſenſitiuæ, ac proinde non neceſſariò recipi in illa tanquam paſſio in ſubiecto, cui ex conditione ſuæ naturæ adaptetur, & à quo in genere cauſæ materialis perpetuò conſeruetur, vt intellectus, aut voluntas rationalis; ſed recipi in corpore animato, animamque ipſam reſpicere tanquam cauſam æquiuocam, à qua effectiuè ortum habuit, & in corpore humano iugiter conſeruatur. Etenim nec anima ſenſitiua in ſe recipit tanquam in ſubiecto præciſo ſuas omnes facultates, ac proprietates, licet ſemper reperiatur coniuncta cum illis in ſubiectis partialibus, quibus illæ propriè adaptantur, vt in neruis ac muſculis cum potentia loco motiua; in corde cum appetitiua, & in ſenſorijs omnibus cum ſenſitiua. Itaque materialitas huius potentiæ ad ſentiendum interius, non tollitur ex eo, quod ipſa ſit vera ac propria paſſio animæ rationalis; cum generaliter facultas ex ſe non neceſſariò importet inhærentiam in anima, cuius dicitur eſſe facultas, ſed tantum coniunctionem, ac dependentiam in eſſendo, & in operando, prout inſtrumentum illius naturale, quod non poteſt eſſe niſi dependens, atque coniunctum cum illa; vt hac ratione ipſum ſentire, amare, intelligere, &c. animæ principaliter tribuatur; nam hominem anima miſereri, addiſcere, aut cogitare dicimus, vt notat Ariſtoteles; quamuis actiones omnes, abſolutè loquendo, nec potentiæ, nec animæ ſolum, ſed totius compoſiti, ac ſuppoſiti dicantur paſſiones, prout habentis illas, quemadmodum idem Philoſophus docet. Ex quibus apparet, non rectè philoſophari, qui aſſerunt, facultatem hanc ſentientem in homine materialem quidem eſſe, & organicam; in ſola tamen anima rationali, quæ ſpiritualis eſt, recipi, eo quod

1. de anima tex. 64.

Ibid. tex. 66.

Dandinus 2. de anima digreſſion 14.

eo quod sit propria passio illius. Siquidem non minus repugnat accidens corporeum informare subiectum spirituale, quàm potentiam organicam non recipi in organo, cui addicitur, & à quo in esse, & operari dependet.

Tertio pari certitudine dicendum est, sensum interiorem essentialiter esse potentiam vitalem. Quod constare potest ex eo, quia essentialiter is virtus quædam constituitur, & instrumentum coniunctum solius principij vitalis, cum quo ordinatur ad operandum, & exercendum opus quoddam vitæ sensitiuæ, quod est interius sentire, vt supra explicatum est. Deinde, quia ita cum vita animalis in operatione coniungitur, vt nec vita animalis, vt animal est, exerceatur absque sensu interiori, nec talis potentia sine vita. Siquidem vita animalis in actu secundo, vel est sensatio aliqua, ad quam omnem semper concurrit sensus interior; vel est operatio elicita præuia sensatione: & omnis sensatio simul est à principio vitæ, & à sensu, qui veluti communem vitæ influxum determinat ad esse talem operationem vitalem, nempe sensationem, & non appetitionem, vel alium actum vitalem. Vnde meritò ipsum viuere animalis, vt animal est; in vera ac Peripatetica doctrina, non nisi à sensu denominatur, iuxta illud Aristotelis de vita, & morte cap. 1. Per sentire autem animal à non animali distermi namus. Et 2. de anima tex. 13. vbi ait: Multipliciter ipso viuere dicto, si vnum tantummodo horum insit, viuere ipsum dicimus, vt intellectus, & sensus, & motus secundum locum, & alimentum. Quibus tria illa vitæ genera constituuntur, intellectiuum, sensitiuum, & vegetatiuum. Et tex. 16. inquit: Viuere igitur propter hoc principium inest omnibus (nempe propter animam, de qua illi erat sermo) animal autem propter sensum primo. Quia scilicet taliter dicitur viuere, qualiter per illum, tanquam per propriam passionem vitalem afficitur. Ac denique tex. 149. post explicationem sensus communis, seu interioris, Aristoteles concludit: De principio igitur, secundum quod dicimus animal sensitiuum esse, determinatum sit.

Cap. præcedenti & Tract. 4. c. 3.

Quarto denique dicendum est, sensum interiorem, veram ac propriam esse facultatem cognoscitiuam. Nulla namque alia ratione facultas cognoscitiua in sua essentia constituitur talis, nisi ea ipsa, qua constituitur primum, & formale principium operationis, qua apud cognitorem repræsentantur obiecta. Sensus autem interior essentialiter constituitur huiusmodi, hoc ipso, quod supponitur principium sensationis, non quidem secundarium, vt habitus, ac dispositio; sed primum ac primarium, prout est omnis naturalis potentia, cuius rationem essentialem ipsum participare probauimus. Similiter nec radicale, & substantiale, quemadmodum est anima; sed formale, proximum, & accidentale, vt præcedenti capite satis ostensum est. Iam igitur, licet ad sensationem internam concurrat etiam anima, concurrant & simulacra rerum impressa, quæ sunt in genere dispositionis, ipsaque obiecta ex quibus illa dimanant; imò & quandoque habitus insiti, vel acquisiti: solus tamen sensus ex his omnibus propriè ac essentialiter est facultas cognoscitiua; quia solus rationem primi, ac formalis principij illius sensationis participat. Etenim anima est quidem primum ac primarium principium cuiusque sensationis in suo genere, nimirum tribuendo illi vitalitatem, ac transitiuè (vt loquitur Caietanus) concurrendo ad illam simul cum sensu: sed non est principium formale, seu specificatiuum talis operationis potiùs, quàm alterius actus vitalis, & animalis. Siquidem ad omnes indiscriminatim per vniuersalem quendam conatum, & influxum concurrit; ita vt formaliter, & proximè, non anima, sed sensu dicamur sentire; sicut intellectu intelligere, & voluntate amare. Deinde, quia simulacra intentionalia, quamuis sint proxima, ac formalia principia, prout immediatè attingunt cognitionem, ad quam formaliter determinant potentiam, dum hoc potius, quàm aliud obiectum repræsentant in actu primo; non tamen sunt primaria, seu principalia, sed merè instrumentalia: sicut etiam quilibet habitus acquisiti, quibus potentia melius, vel dete-

rius

rius operatur. Tandem obiecta non sunt principia proxima, & intrinseca, de quibus hic agitur: ac proinde neque formalia, cum remotè tantum concurrant per emissionem specierum, quæ postea formaliter in organo receptæ, modo quo diximus operantur.

Sensum interiorem essentialiter, proprium, ac reconditum organum in animalibus postulare.

Cap. III.



OMMVNE quidem & essentiale est omnibus accidentibus, proprium & connaturale sibi subiectum, cui inhæreant postulare, vt ab illo, cuius propriè sunt entia, pendeant in esse, & conseruari. Verum hoc peculiare habent vlterius accidentia operatiua, vt tale subiectum natura sua exigant, quale non modo ad esse illorum, & conseruationem deseruiat, sed ad operationem quoque propriam appositè adaptetur. Cumque non omne corpus naturale secundum se totum possit operationibus quibusdam per similia accidentia accommodari, vt totus ignis accommodatur ad calefaciendum per proprium calorem, vel totum corpus solare ad illuminandum per innatum fulgorem: hinc est, vt nonnulla accidentia operatiua detrminatam compositi partem exposcant, & in ea tantummodo valeant naturaliter collocari, vbi ad inhærendum simul, & operandum inuenerint omnia requisita. Quæ cum multa, & varia sint, atque ex his videatur ordine quodam pars ipsa tanquam instrumentum conflari, non iam subiectum, sed organum, aut instrumentum faciunt ipsam partem denominari, vt passim constat ex modo loquendi philosophorum cum Aristotele, de illa sub his nominibus disserente. Nam omnia quidem in illa parte ordinantur ad receptionem, & exercitium accidentis operatiui, sed non omnia simul accidens ipsum recipiunt, sustinentque tan-

quam subiecta partialia; cum id munus, proprium sit solius materiæ sigillatæ, prout subiacet formæ substantiali; cæterorum verò siue ad esse, siue ad operandum, tantum disponere, & adaptare.

Hanc igitur partem determinatam, seu hoc organum, requirunt in animali omnes facultates animæ sensitiuæ, ac etiam vegetatiuæ, ad quarum singula munera minimè posset totum animal adaptari. Atque adeo nulli dubium esse debet, quin sensus interior iure inter illas connumeratus, ad proprium, & connaturale sibi organum essentialiter ordinetur, eadem ratione, qua simul ordinatur ad esse in subiecto, & ad opus per ipsum perficiendum; Quod sane absque organica dispositione perfici nullatenus posset, vt perspicuum satis est ex ijs, quæ de interna sensatione sunt dicta. Illud tamen hic superest explicandum, quodnam, & quale sit huiusmodi organum, quod tanquam sibi debitum, & connaturale specialiter, ac necessariò exigit sensus interior, ad distinctionem similium organorum, ad quæ pariter cæteræ facultates prædictæ essentialiter ordinantur.

Qua in re breuiter dicendum est, organum sensus interioris in communi loquendo, hoc peculiare ac necessariò, vt tale in se ipso includere, vt aptum sit ad excipiendas omnes imagines cuiusque sensus exterioris, ac motus appetitus sensitiui in eodem animali; & consequenter siue per se, siue per accidens, ad perficiendum & continendum spiritum animalem per totum corporis habitum in opportunitatibus distribuendum, per quamcumque potentiam ille perficiatur, ac distribuatur. Quo etiam fit, vt interius locari debeat in animali, tanquam receptaculum ipsarum formarum vndique confluentium, ac radix, & fons internorum spirituum ad externas quoque functiones animales accurrentium. Id quod totum Aristoteles expressit lib. de vita & morte cap. 1. cum dixit. Quoniam propriorum sensoriorum (nempe sensuum particularium, & externorum) vnum aliquod commune est sensorium, in quod eos, qui secundum actum sensus, necessarium est obuiare, hoc vtique erit me-

dium

dium &c. Vtiturque postea similitudine medij, quod est in seminibus, ac radicibus, vndè vigor ac vitæ virtus diffunditur, & propagatur in plantis.

Prętereà idipsum Peripatetici ferè omnes occasione sumpta ex Aristotele loco cit. ac 2. de anima tex. 149. explicant exemplo illo de centro circuli, quo vsus fuerat etiam Synesius Platonicus. Nam inquiunt, quemadmodum centrum in intima circuli regione locatur, atque ex ipso profluentes lineæ; ita ad circumiectam peripheriam ducuntur, ac per ambitum distribuuntur, vt simul ab extima quaque parte introrsum accurrant, in idemq. centrum coeuntes vnà rursus colligantur, & in eo vniantur: sic organum, quod natura sua sensoriorum debet esse sensorium, primiq. sensitiui subiectum, & instrumẽtum, vt loquitur Aristoteles; in intima corporis parte, ac taliter debet constitui, vt & spiritus animales ex eo ad exteriora per neruos ac meatus commodè possint diffluere, & ab exterioribus rerum simulacra quasi per fores ingressa, per eosdem ductus valeant in ipsum confluere. Quapropter in vnoquoque perfectissimo, vel imperfectissimo animali, minimè patefactum hoc inuenitur sensorium, sicut alia, quæ in edita corporis parte cernuntur; sed reconditum intus manet, penitusq. præclusum; imo & vix quandoque in nonnullis animantibus accurata dissectione conspicuum. Internum igitur, ac tale cum sit subiectum, & organum huius potentiæ cognoscitiuæ, ad quod essentialiter ordinatur non modo ab illo interior hæc, & organica denominatur; sed & per illud ab alijs distinguitur, quæ ad suas functiones non interna, nec talia, sed externa expetunt sensoria suis conditionibus accommodata.

Lib. de somnijs cap. de potest. et phantasia.

Sensum interiorem essentialiter vltimò constitui per ordinem ad actus, & obiecta supra explicata sub vna quadam, & communi ratione.

Cap. IV.



NATVRAM denique huius potentiæ cognoscitiuæ vlterius prosequentes, vt illam à cæteris, quæ in explicatis quibusdam gradibus essentialibus conueniunt, expressius ac vltimò distinguamus, illud in primis tanquam certum, & indubitatum statuimus, essentialiter ipsam ordinari ad suos actus, & obiecta, quæ per illos valet attingere, prout in superioribus Tractationibus explicatur. Nam omnis cognoscitiua potentia ex propria conditione suæ naturæ essentialiter est propter actus, & obiecta circa quæ per illos versatur; quæ si impossibilia essent, impossibilis pariter esset ipsa potentia, vt colligitur ex Aristotele; quoniam quod non est, non est sciro, inquit, ac propterea ex actibus, & obiectis docuit potissimum naturam, & essentiam potentiarum desumi. Quoniam verò non omnis interior sensus cuiusque animalis, actus omnes ac singulos in superioribus explicatos, ex se potest elicere, nec per eos ferri in cuncta illa obiecta secundum latitudinem, quam in solos quosdam perfectissimosq. sensus cadere obseruauimus; explicandum hic erit, qui nam sint actus, & quæ obiecta, in quibus sensus omnes interiores suapte natura conueniunt, & sub qua ratione possint comprahendi, vt iuxta illam, & non aliter hic ordo essentialis in vniuersum intelligatur procedere.

1. poster. c. 2.
2. de anima. tex. 33.

Quocirca secundo statuimus, actus in quibus sensus omnes interiores ex natura sua conueniunt, & ad quos essentialiter ordinantur, esse tum cognitionem cuiusque obiecti extrinseci cadentis in sensum externum eiusdem animalis: tum etiam cognitionem cuiusque propriæ sensationis externæ, & motus appetitus sensitiui in eodem animali, quæ sanè

obiecta.

obiecta intrinseca nuncupauimus. Ratio autem est manifesta, quia non datur sensus interior, qui huiusmodi cognitiones non possit elicere, & per eas circa talia obiecta non possit versari. Etenim quoad primum, quidquid sit de maiori, vel minori latitudine obiectorum respectu plurium, vel pauciorum sensuum externorum, qui iuxta diuersas naturas competunt animalibus: in hoc illa conueniunt, vt quidquid per sensus externos aliquo modo percipitur ab animali, ad internum necessariò deferatur, per eumq. pariter dignoscatur tanquam per Iudicem, ac Principem sensuum reliquorum, à quo vno omnis sensitiua cognitio, modo, quo diximus, deriuatur, rursumq. discutitur, & ordinatur ad regimen, & conseruationem vitæ totius animalis. Vnde: Quidquid sensus percipit, imaginatio repræsentat, ait Augustinus. *De spiritu, & anima c. 11.* Quoad secũdum verò, quia vt hactenus conati sumus ostendere, nec intelligi potest animal naturaliter viuere absque facultate ad percipiendas suas externas sensationes, & intimas appetitiones: nec per alium sensum id munus exercere, quàm per huiusmodi penes quem constituitur ipsorummet motuum ac facultatum directio, totaq. animalis gubernatio. In ijs ergo cognitionibus, & circa istiusmodi obiecta, sensus omnes interiores, ex natura sua necessariò conueniunt, ac proinde simul ad illa essentialiter ordinantur.

Diximus autem (cadentis in sensum externum eiusdem animalis) nam interior sensus vnius animalis, nec percipere potest obiecta extrinseca, quæ minimè cadere possunt sub sensum externum illius, sed tantum alterius; nec ad ea percipienda potest essentialitr ordinari; Quia implicat potentiam naturalem essentialiter ordinari ad percipiendas res à se ipsa naturaliter imperceptibiles.

Similiter diximus (cognitionem cuiusque propriæ sensationis externæ, & motus appetitus sensitiui,) quia sensus interior, nec potest ferri, nec ordinari per suam cognitionem in sensationes externas, & appetitiones, quas idem animal non potest elicere de ratione sua specifica. Vt si sensus internus Conchyliorum ordinaretur ad percipiendas visiones,

nes, auditiones, & appetitiones colorum, aut sonorum, quæ omnia Conchylijs denegantur.

Verum, quia siue plura, siue pauciora ex his à diuersis sensibus interioribus percipiantur iuxta varietatem animalium, & exigentiam naturarum ad quas ipsi ordinantur; omnia tamen conueniunt sub ratione obiecti sensibilis extrinseci, vel intrinseci explicati, & in vtrumque quilibet sensus interior de necessitate naturę versatur: Idcirco tandem stabiliendum putamus, sensum interiorem in communi essentialiter sub eadem vnica ratione per suos actus ad illa omnia ordinari. Non enim necessarium est, vt quilibet sensus interior ad quodcumque obiectum sensibile intrinsecum, vel extrinsecum ordinetur; sed sufficit, vt illa, ad quæ ordinatur, omnia talem rationem participent; nec detur obiectum terminans sensationem aliquam internam, quod sub illa communi ratione contineatur. Sicut ad hoc, vt quilibet visus sub vnica ratione luminis, vel coloris erga sua obiecta versetur, & sub eadem ad illa essentialiter ordinetur, non est opus, vt omnia lumina, vel omnes colores aliquo modo attingat; sed satis est, cuncta, quæ attingit, sub ratione luminis, vel coloris suaptè natura compræhendi.

Quod si contendant aliqui, sub ratione illa communi ad omnia inferiora essentialiter facultatem ipsam referri, licet singula non possit absolutè percipere; occurrendum est cum eo, quòd ratio communis huiusmodi, sicut per seipsum non attingitur in abstracto ab aliquo sensu, sed tantum in concreto, prout est gradus inclusus in ipso sensibili, quod percipitur: ita non attingitur aliquo modo in obiecto, quod absolutè latet ipsum sensum respectu talis naturæ animalis, cui istiusmodi cognitio interdicitur; licet alijs in eodem genere concurrentibus, concedatur. Cumq. repugnet potentiam essentialiter ordinari ad obiecta sub ratione qua realiter non valet attingere, sequitur facultatem hanc, non quidem ad omnia, & singula sensibilia essentialiter ordinari, sed ad ea tantum, quæ omnium communem rationem participando, absolutè valent ab ipsa facultate discerni.

Quæ nam definitio sensus interioris ex prædictis omnibus colligatur. Cap. V.



IAM verò ex hucusque seorsum dictis, & explicatis, nõ obscura in vnum colligi poterit huius facultatis definitio, vel quidditatiua descriptio; vt si dicamus, eam esse facultatem sensitiuam, quæ interius præsidens in animali, sensationes externas illius, motusq. appetitus sensitiui, eorumq. omnium obiecta valet percipere. Vbi facultas sensitiua ponitur loco generis, inuoluitq. omnia prædicata essentialia duobus primis capitibus huius tractationis superius explicata; in quibus prædicatis sensus interior citra omnem controuersiam conuenit cum exteriori: cæteræ verò particulæ ponuntur ad connotandam differentiam, tum quidem ex subiecto, tum potissimum ex actibus, & obiecto desumptam, vt ex doctrina duobus vltimis capitibus proximè tradita facilè potest constare. Nam licet facultas hæc vltimò non nisi per habitudinem ad actus, & obiecta in sua specie constituatur, ac per habitudinem ad subiectum, vel omnino conueniat cum cæteris sensibus ac potentijs organicis, vel peculiariter non distinguatur, eo quod ordo quem dicit ad peculiarem conditionẽ subiecti, coincidat cum ordine ad actus, & obiecta, ratione quorum talis conditio dicitur requisita: Nihilominus negari non potest, facultatem hanc, vtramque habitudinem, seu ordinem includere tanquam ad diuersa ex suo proprio genere, quamuis ratione finis naturaliter subordinata; Ac propterea per ordinem ad subiectum interius, tanquam ad promptuarium omnium formarum sine materia, nulla ex parte foris expositum, verè distingui sensum hunc interiorem à reliquis, qui natura sua talem organi conditionem non exposcunt; licet quandoque obtineant eius sensorium secundum partem interius collocari, vt tactus, qui intrinsecus itidem residet in visceribus, cæterisq. partibus animalis.

animalis. Quoniam verò nec vltimò, nec satis hoc ex capite sensus ipse interior specificatur, potissimum id illum sibi per actus, & obiecta diximus vendicare.

Abstinuimus autem in hac definitione à connotatione directionis sensuum externorum, aliarumque facultatum in animali eo modo, quo supra huic sensui competere ab experientia, multorumq. auctoritate probauimus: similiter & à connotatione distributionis spirituum animalium, quæ excitationem, ac directionem sensuum externorum passim concomitatur: Quia primum consequitur potius, quàm ex parte constituat essentiam huius potentiæ, quæ satis specificata intelligitur per ordinem ad substantiam suorum actuũ, siue illi quandoque sint directiui sensuum reliquorum, siue secus; licet hoc illis tanquam proprium ex natura rei conueniat. Posterius verò, vel non conuenit intrinsecè, eo quod formaliter talis distributio per distinctam potentiam, quamuis concomitanter debeat exerceri; vel saltem non conuenit essentialiter, sicut essentialiter non conuenit excitatio, ac directio, sed tantum propriè, & accidentaliter in secundo modo dicendi per se, quatenus pertinet ad connaturalem quandam perfectionem sui muneris, quod cum his omnibus in cunctis animantibus experimur obiri.

Cæterum quo pacto tradita definitio cum Aristotelis doctrina cohæreat, ex eo licebit colligere, quòd in primis quantum pertinet ad genus in ipsa definitione contentum, modò ille interiorem sensum, primum sensitiuum, modò sensum communem, modò verò similem sensui appellat, sensibiliumq. inquit esse imaginatiuum, ac memoratiuum (idem secundum diuersas considerationes, ac functiones intelligendo, vt Alexander, Philoponus, ac Simplicius interpretantur, & nos etiam inferius adducemus) proindeque astruit ipsum, vt posuimus, esse facultatem sensitiuam. Vnde 3. de anima tex. 160. cum dixit imaginationem esse motum factum à sensu actu: per sensum proximè intellexit sensum interiorem, remotè verò sensum exteriorem, vt cum eisdem Græcis interpretibus suo loco exposuimus. Alioquin

Tract. 4. c. 8.

quin admitteret, nunquam fieri imaginationem absentibus obiectis, & quiescentibus sensibus externis, quod ab eius doctrina ac veritate longe abesse comperimus.

Deinde quod attinet ad differentiam in eadem definitione propositam, ex parte quidem subiecti iam constat ex supra relatis; Aristotelem subiectum, & organum huius potentiæ intrinsecus collocare in animali vbi coeunt omnia externa sensoria. Ex parte verò obiecti suorumq. actuum, sigillatim pariter (vltra superius varijs in occasionibus allegata) sistendo in hoc vltimo loco citato, vbi Aristoteles naturam huius facultatis magis ex professo videtur tractare; primò patet ex eo, quod cum dixisset imaginationem non nisi sentientibus inesse, quia scilicet sensu carentia nequeunt imaginari; statim addit illam esse, & quorum sunt sensus, nempe obiectorum sensibilium à sensibus externis, vt Simplicius interpretatur. Quare & de communi sensu Aristoteles paulò ante tex. 146. docuerat, illum singula particularium sensuum obiecta discernitură agnoscere, vt album distinguatur à dulci &c. Rursumq. patet, quia cum textu illo 160. docet, motum imaginationis fieri ab actu sensus, vtique remotè loquendo intelligitur de actu sensus exterioris, qui obiectiuè concurrit ad actum imaginationis, qua nec sensibilia externa repræsentari possent, vt exterius sensata, nisi simul sensationes ipsæ exteriores perciperentur. Ideoque superius tex. 138. docuerat interiori sensu animal percipere, cum exterius sentit, vel non sentit. Quod repetit postea cap. 2. de somno, & vigilia, vt hactenus admonuimus. Cap. 3. huius Tractationis.

Denique cap. 1. eiusdē operis, Aristotelem simul admittere in hoc sensu cognitionem motuum sensus externi, & appetitus sensitiui, probari potest ex eo, quod vigilantem vocat eū, qui aut eorum, quæ extrinsecus aliquid sentit: aut eorum, qui in ipso motuum aliquem; quod idem est, ac distinguere obiecta extrinseca, & intrinseca, vt supra à nobis distincta sunt. Loquitur autem de sensatione perfecta cum suis circumstantijs, qualis haberi non potest in somno. Consonantq. illa, quæ tandē in prædicta explicatione imaginationis adicit

cit tex. 152. dum multa, inquit, per ipsam animal operari, regendo ac dirigendo loco rationis proprias actiones, ac passiones, quas certè nisi agnosceret, nullatenus posset dirigere, neque iuxta exigentiam ipsius appetitus in cæteris muneribus obeundis, sensitiuo modo se gerere. Quamobrem si minus verbis eiusdem Aristotelis vsi sumus assignando traditam definitionem, eo quod illa non suppetant, cum ipse huiusmodi potentiam in vniuersum non definierit: nihil tamen à Peripatetica doctrina discessimus, vt clarius adhuc patebit inferius, cum de mente eiusdem Aristotelis circa vnitatem realem huius sensus sermo redibit.

Quem gradum perfectionis essentialis obtineat sensus interior inter cæteras facultates cognoscitiuas. *Cap. VI.*



STABILITA essentia sensus interioris in communi secundum se ipsum, stabilienda est perfectio illius in ordine, & comparatione ad cæteras facultates cognoscitiuas, quæ cum illo aliqua ratione conueniunt in vniuersa latitudine generis animalis. Quo circa prius hic supponendum occurrit, totam ingenitæ conditionis perfectionem essentialem, totamq. præstantiam in qualibet re, penes eadem omnino obseruari, ex quibus eius natura desumitur, cum perfectio essentialis cuiuslibet rei, nihil vltra contineat præter integritatem naturæ illius; hæc autem non valeat nisi suis prædicatis essentialibus integrari, quibus tota constituitur in se, & distinguitur ab alijs. Quapropter hoc ipso, quòd natura cuiuscumque potentiæ, vt diximus cum Aristotele, ex actibus immediatè, ipsis autem mediantibus ex obiectis potissimum dignoscatur; ex his pariter liquet, eius attendendam esse perfectionem essentialem, ingenitamq. respectu aliorum præstantiam.

Deinde notandum est, actus cuiusque potentiæ cognoscitiuæ

tiuæ cum alijs alterius potentiæ, in duobus primò, ac præcipuè comparari, vt notitiam vnius, alia alterius perfectiorem putemus: nempè tum in certitudine, tum in obiectorum propria excellentia, ac præstabilitate; ità vt illa dignior ac perfectior notitia existimetur, quæ vel exactior, ac certior est; vel rerum est earum, quæ magis in se præstabiles magisq. sunt admirabiles, vt docet Philosophus, loquendo de cognitionibus scientiarum. *3. topic. cap. 2. & 1. de anima cap. 1.*

Rursus pariter in duobus alijs obseruandum est ipsos actus vt plurimum comparari; in modo scilicet procedendi, seu versandi circa res cognoscibiles, qui dicitur etiam modus operandi potentiæ, & in amplitudine obiecti adæquati circa quod ipsi actus versantur. Etenim sine controuersia, modus cognoscendi nobilior, nobiliorem constituit cognitionem, vt cum facultas per illam independentius circa obiecta versatur, ac potius in eorum perceptione aliæ sibi potentiæ obseruiunt, quàm ipsa alijs famuletur. Item quia præstantior censetur cognitio, quæ ad plura se extendit, maioremq. habet amplitudinem adequatæ rationis, sub qua ista conueniant, quàm quæ ad pauciora, sub minori eius latitudine coarctatur.

His igitur prænotatis, communi Philosophorum consensu dicendum est in suscepta quæstione, sensum interiorem, perfectiorem quidem esse omni sensu exteriori; imperfectiorem verò omni facultate intellectiua. Quam conclusionem præcipuè tradidisse videntur omnes Peripatetici, dum huiusmodi potentiam ex sua conditione naturæ, mediam posuerunt inter intellectum, ac sensum externum cum Aristotele; nam eam dignitatem in ipsa consequenter admittunt, quæ in subalternatione decet medium respectu extremorum; nimirum qua superet vnum, & ab altero superetur: vt paulatim, sensimq. natura in omnibus ab vno ad aliud gradum faciat, iuxta obseruationem eiusdem Aristotelis. Vnde Themistius phantasyam, inquit, positam esse in confinio sensus, & intellectus. *2. de anima. tex. 153.* *Arist. 8. lib. de hist. anim. c. 1. Them. cap. 10.*

Probatur autem prior pars conclusionis primò comparatione

tione actuum vtriusque potentiæ quoad certitudinem. Nam sensatio interna natura sua exactior est qualibet sensatione externa in sensibilibus attingendis; quippe cum plures vniuscuiusque sensibilis differentias valeat pertingere, easq. examinare saltem per obscura iudicia, ac proinde difficilius erret præsertim circa sensibilia communia. Vnde sæpe contingit sensationem externam ab interna corrigi, & emendari, vt cum videmus etiam bruta animalia non deceptionem externam, quam patiuntur per falsam appræhensionem sensus ex aliqua apparentia, sed veram extimationem sequi in prosequutione, vel fuga rerum sibi competentium, omni ignoratione sensuum externorum purgata, & expiata per operationem sensus interni.

Nec obstat, totam certitudinem existentiæ obiecti extrinseci, omnemq. notitiam differentiarum illius, sensum internum ab exterioribus mutuari; cum certè absque visu, vel tactu, verbi gratia, nequiret imaginatio de coloribus, aut corporibus iudicare. Nam certitudo adæquata, qua sensatio interior superat exteriorem, non est illa precisè, quam obtinet per quamlibet sensationem externã quasi seorsum, sed alia, quæ nascitur ex pluribus sensationibus externis diuersorum sensuum, vel idem obiectum commune repræsentantibus, vel diuersas formas illius iuxta varietatem sensibilium accidentium, quibus obiectum omnino ac perfectius innotescit. Ita vt ex pluribus certitudinibus seorsum habitis, collectis tamen, & ordinatis ad vnum, certior notitia componatur, quàm sit quælibet sensatio externa per se, ex ijs ipsis, ex quibus notitia hæc interna manauit; imò quàm sint omnes illæ simul sumptæ, quæ vnitatem, vel diuersitatem subiecti suorum sensibilium attingere non valebant, sicut postea attingit sensatio interna orta ex illis, discernendo scilicet ipsas formas sensibiles, vel prout simul coniunctas, vel prout separatas in diuersis sensibilibus per accidens. Nam visus, verbi gratia, nõ attingit candorem prout coniunctum cum dulcedine in lacte, nec gustus saporem, prout in eodem subiecto coloris: ideoque sensatio interna, cum hæc omnia

percipit,

percipit, non modo certior est visione, vel gustatione, aut olfactione seorsum respectu lactis, quia idem pluribus comprobauit; sed etiã his omnibus externis sensationibus simul; quia de se non includunt cognitionem connexionis suarum sensibilium formarum in eodem subiecto lactis, prout materialiter saltem, & confusè inuoluit sensatio interna, & prout requiritur ad totalem cognitionem talis obiecti.

Rursus quia & si certitudo, quã habet sensus interior, verbi gratia, de colore, redundet quodammodo in visionem propter quam certior est factus de illo; nihilominus cum non redundet, nisi quatenus ad mediũ quoddam, ex quo imago coloris quasi refracta intus relucet, eo quod per visionem tãquam per speculum, vel inspicillum sensus interior intueatur colorem: non est cur magis certa dicatur visio, quam perceptio interna eiusdem coloris, quæ simul cum visione tendit in illum, eodemq. modo attingit eius præsentiam. Etenim immediatius idola ab obiectis excipere, ac similia in alterum impressa refundere, sicut non addit perfectionem idolis primò exceptis, externisq. sensibus impressis, ita nec addit certitudinem cognitioni ipsorum ministerio excitatæ. Imò puriora ac defecatiora existimanda sunt simulacra, quæ ex peracta visione nascuntur, interiusq. in communi sensorio imprimuntur, quàm quæ immediatè à visibilibus ad oculos offeruntur: proindeq. veraciorem potius, ac certiorem causabunt cognitionem. Sicut species intelligibiles, quamuis remotè magis ab obiectis intelligantur oriri; certiorem tamen valent causare cognitionem in intellectu, quam species intentionales in sensu interiori, circa eadem obiecta vtrisque speciebus repræsentata.

Secundo probatur eadẽ pars conclusionis ex modo operandi, in quo sanè sensus interior exterioribus magnopere præstat; tum quod pluribus, ac nobilioribus vtatur instrumentis, vt simulacris purioribus, ac tam varijs, & habitibus multis, procedatq. pro suo captu componendo, ac diuidendo, modo saltem materiali; nec non & ipsas sensationes externas ad id tanquam simplices appræhensiones sub-

alternatas,

alternatas, ac præordinatas præmittat, pleniusq. propterea sub varias formas circa sua obiecta versetur. Tum quod præsentia obiectorum non semper indigeat, sed quantum licet illa in absentia quoque probe fingat, ac formet, cum summa inter corporeas facultates imaginationibus ad imitandum sit concessa potestas. Vnde non semper eodem modo obiecta ipsa necessariò tenetur exprimere, quemadmodum sensus externus, sed si vnius formæ occurrat imago, eam statim repellere potest, vel vt libuerit commutare; vt hinc fortasse Plato in Sophista phantasiam appellet simulacrorum opificem atque magistram. Tum denique quod per sua phantasmata proximè ad intellectum accedat, eique nullius interuentu, vel interiectu circumstet; & cum illo, & sine illo, non modo sensus ipsos exteriores in applicatione appetitus, aut voluntatis dirigat, sed & bestiarum hominumq. vitam pene totam administret ac regat; rationis vices gerendo, cum vel non adest intellectus, inquit Aristoteles, vt in brutis, quæ propterea alibi ab ipso memorijs, & imaginationibus dicuntur viuere; vel passione aliqua, ægritudine, aut somno obruitur, vt sæpe contingit in hominibus, & notat idem Philosophus. Quapropter ex hoc operandi modo, tanto nobilior constituitur sensus interior omni exteriori, quanto nobilius quid est vitam totam dirigere, quàm dirigi ab alio, ac moderari. Semper enim honorabilius est agens patiente, & principium materia, ait Aristoteles.

In Sophista non longe à fine.

2. de anima tex. 162. & lib. 3. tex. 48. 1. mot. c. 1.

2. de anima tex. 164.

3. de anima tex. 19.

Tertio. Idem probatur ex ipsius obiecti amplitudine, ac præstabilitate: nam sensationes internæ omnem naturam, quæ sub sensum cadit, omnemque formam ad vnumquemq. ex vulgatis sensibus pertinentem, imo & multa, quæ sensum externum omnino effugiunt, quasi de excelsiori loco valent inspicere tanquam materiam per circuitum adæquatè sibi prostratam; latius ergo patet solum obiectum sensus interioris, quàm singula; imo & omnia simul obiecta sensuum externorum. Cumque in hac sua amplitudine contineat actus vitales appetitus sensitiui, & ipsorummet sensuum extrenorum, qui sanè præstantiores sunt cunctis sensibili-

bus

bus qualitatibus, cæterisq. accidentibus, ex quibus constituuntur obiecta sensuum externorum; sequitur etiam, vt ipsum obiectum adæquatè sumptum, nobilius longè ac præstantius habeatur omnibus illis, perfectioremq. propterea ex vtroque capite facultatem cognoscitiuam constituat.

Posterior autem pars conclusionis, quamuis nullam habeat difficultatem, ad complementum tamen doctrinæ, eadem via qua prior, apertissimè probatur; Et primò ex parte certitudinis. Nam actus scientifici, seu intellectiones ortæ per veram ac propriam demonstrationem; item assensus principiorum, & propositionis per se notæ, maiorem habent certitudinem, & euidentiam, quàm quælibet perfecta sensatio; cum deceptionibus, quæ sensui circa sensibilia occurrere solent, non ita subiaceant: Id, quod plenius etiam verificatur in intellectionibus animæ separatæ, & appræhensionibus intellectus Angelici.

Quod si in opinionibus, ac dubijs nostri intellectus, hæc certitudo non reperiatur, ac dum anima est corpori coniuncta, illa tota sumatur ex phantasmatibus, quæ semper intellectus iuxta doctrinam Philosophi speculatur: hoc non tollit, operationem intellectus in sua amplitudine, ac plenitudine sumptam, includere maiorem certitudinem, & euidentiam, quia non semper in omnibus, ac singulis actibus debet verificari; præsertim in quibus non adest totalis assensus, plenaque adhæsio ex formidine ad oppositum. Nec huiusmodi certitudinem in intellectu oriri ex phantasmatibus, arguit illam esse maiorem in ipsismet phantasmatibus, seu sensationibus internis: quia non quidquid materialiter in phantasmatibus elucet, intellectusq. percipit in eis, phantasmata ipsa formaliter repræsentant. Nam vt docet S. Thomas licet intellectus operatio oriatur à sensu, tamen in re appræhensa per sensum, intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest: vt exemplificari potest in naturis vniuersalibus, plerisque intentionibus, quæ formaliter sensitiuam cognitionem omnino effugiunt. Quamobrem loquendo Aristoteles de cognitione sensitiua, quæ habetur in somnijs.

1. p. q. 78. Art. 4. ad 4.

Lib. de somnijs cap. 1.

Præter somnium (inquit) aliquid aliud intelligimus; quemadmodum vigilando sentientes aliquid de eo, quod sentimus, sæpe etiam cogitamus aliquid. Vnde multa intellectus corrigit in ipsis phantasmatibus, quæ per ipsa temere approbantur, & effinguntur; itaut ex falsis, aut incertis mixtis cum veris, ac certis, intellectus plerumque omnia vera, ac certa deducat. Quia nimirum propria vi nititur, vt impulsui obsistat motuum irrationabilium, falsa vel absurda repræsentantium. Quod si phantasmatum deceptionem intellectus quandoque secutus, simul cum illis videatur errare, vt in ebrietatibus, delirijs, & insanijs: hoc non tam suæ imbecillitati, ac proprio, & intrinseco errori, quàm veluti extrinsecæ necessitati tribuendum est: cum non nisi expressa, & oblata per sensum interiorem, in quibus formaliter est deprauatio, possit appræhendere, ac in tantum circa illa discurrere, quantum vehemens, vel inordinata simulacrorum agitatio, ac tumultuantium phantasmatum permittit confusio. Imbecillior igitur, ac incertior est interna sensatio, quæ formaliter, ac immediatè subit errorem, errandiq. ex se intellectionibus constituitur occasio, ac proinde imperfectiorem ex hoc relinquitur esse facultatem, à qua ipsa procedit.

Deinde eadem posterior pars conclusionis probatur ex modo versandi circa obiecta. Nam intellectuales cognitiones, vt quæ omni materia expertes, ac superiori lumine refertæ, non modo velocius, eminentius, ac subtilius iuxta multiplices formalitates in rerum naturas discutiendas feruntur, abstractè, & independenter à concretione formarum, vniuersa, & singula indagando. Verum ad hoc præstandum, rerum intelligibilium species cum libuerit ex phantasmatibus comparant, formaliterq. componunt ac diuidunt, singula cum suis connexionibus aut discrepantijs concipiendo, vnumq. ex alio propriè inferendo, & quasi supra se ipsas per nouam cognitionem elatæ, se ipsas cum obiectis ad quæ tendunt, agnoscunt, approbant, vel improbant; propriaq. opera ad inuicem expiantur, ac perficiuntur. In quibus longè nobilior

bilior procedendi modus apparet,quam in ſenſationibus internis,cum licet illæ corporeas formas tam plures attingant, ſemper tamen modo concreto ac materiali in confuſo procedant,ſimulq. formam omnem ac ſubiectum adumbrent,& correctionibus, moderationibusq. intellectus, cui natura in hominibus deſeruiunt, ſubijciantur.

Tandem eadem pars concluſionis ex obiectorum diuerſa amplitudine, ac præſtabilitate apertiſſimè conuincitur, & comprobatur: cum & rerum multitudo, & excellentia, ad quam ſphæra intellectiuæ facultatis ſe extendit, longè, lateq. excedat ſenſibilium omnium collectionem, atque præſtantiam. Siquidem & ipſamet ſenſibilia omnia compræhendit,& ſubſtantias quoque omnes corporeas cum reliquis accidentibus materialibus ſenſum prætereuntibus; & inſuper ad ſpirituales non minus naturas tranſcendit, vniuerſales,ac particulares, ſupra etiam cœleſtes intelligentias vſque ad ipſum rerum omnium conditorem. Quæ ſanè omnia, non modo latiorem, ſed diuiniorem, ac præſtantiorem conſtituunt ſphæram cognitionis.

Nec dictis in hac poſteriori parte concluſionis Ariſtoteles contradicit,cum lib. de animal,motione cap.3. docet phantaſiam eundem cum intellectu locum tenere,cum iudicandi habeat facultatem: Vel cum lib. 3. de anima tex.20. eam appellat intellectum paſſiuum iuxta expoſitionem Auerrois, Philoponi, & aliorum, ipſumq. intelligere lib.2.tex.155. in phantaſiam,& extimationem quaſi de pari diſtinguit.Quandoquidem vbi primò citatur, non loquitur de loco tanquam de gradu dignitatis, ſed tanquam de ordine, in quo cum intellectu conuenit, tum phantaſia, tum etiam ſenſus, quatenus ſunt potentiæ cognoſcitiuæ, ſeu iudicatiuæ, & quatenus ad mentem, ſeu intellectum tanquam ad principaliorem iudicem referuntur, cui ex ſe in homine ſubordinantur. Sicut in ordine appetitus conueniunt,& ad eum referuntur (vt ipſe ait) voluntas, ira, & cupiditas. Et hoc ſenſu ad mentem, & appetitum tanquam ad duo quædam priora, & communiora, omnia principia motus animalis docuerat referri

Philop. in eund. tex. & in proæmio ad libros de anima.

ac reuocari, vt ibidem exponit Leonicus. Vnde hactenus idem Aristoteles constituens hæc duo mouendi principia in animalibus, cum dixisset ea esse appetitum, & intellectum, subiungit: Si quis imaginationem ponat, vt intellectionem quandam. Quia nimirum in hominibus multi motus sequuntur imaginationem præter eos, qui sequuntur intellectionem; & in brutis sola imaginatio est, quæ loco intellectionis mouet, cum ratio non adsit. Sortitur ergo imaginatio quandoque locum, & nomen intellectionis iuxta sensum Aristotelis, non quoad dignitatem, aut proprietatem, sed quoad officium, ordinem, ac similitudinem, in qua conuenit cum illa, cum vtraque sit cognitio interius excitata, ac principium motus animalis directiuum reliquarum omnium facultatum. Secundum quam rationem vniuersalem Aristoteles in alijs locis citatis, aut phantasiam vocat intellectum passiuum, eo quòd patiatur corruptionem; alius verò sit impassibilis, vt ibidem innuit: aut ipsum intelligere distinguit in phantasiam, seu actum phantastici, & extimationem, quæ est actus rationis, seu intellectus propriè dicti, vt Simplicius adnotauit. Neque mirum esse debet, phantasiam, vt mediam inter sensum, & intellectum, quandoque cum vtriusque vel alterius nomine ab Aristotele confundi: nam vt ipse monuerat, adeò sensim ab vno ad aliud natura transit, vt continuatione ipsa, lateat eorum confinium, & medium, vtrius nam sit extremi. Etenim supremum inferioris naturæ participare solet infimum superioris, ait Areopag. Quod non tollit post vniuscuiusque explicationem in doctrina Aristotelis, imaginationem constitui perfectiorem omni sensu exteriori; imperfectiorem vero ipsa potentia intellectiua, cui subordinatur, vt fusè tradidimus, & ab omnibus approbatur.

3. de anima tex. 48.

Lib. 8. de histor. animal. c. 1.

Cap. 7. de diuin. Nomin.

TRA-

TRACTATIO SEXTA

De diuersitate specifica sub communi ratione, & quidditate sensus interioris.

EXPLICATA natura sensus interioris in vniuersum quoad communissimam quidditatem, iam quoad vlteriorem contractionem, & specificationem explicanda erit, vt non solum quid sit, sed etiam quotuplex sit in eodem, vel in diuersis animantibus planè, ac liquidò innotescat. Id quod explorando proprias differentias contrahentes, iuxta diuersitatem obiectorum, & actuum, quos erga illa hæc potentia administrat, præstandum erit.

Ex cognitione plurium, vel pauciorum sensibilium, nullam colligi diuersitatem specificam sensus interioris. Cap. I.

SENSVM interiorem multiplicem admittere suæ conditionis varietatem in diuersis speciebus animalium, & in eisdem quoque indiuiduis, per se penitus constat, nec quispiam vertere potest in dubium. Verum an talis varietas interdum sit propriè essentialis, diuersas constituens species sensuum internorum sub ratione illa communi superius explicata: an verò sit semper accidentalis orta ex perfectione, vel imperfectione organorum, variaq. dispositione subiecti, ita vt eadem omnino relinquatur essentia iam definita tanquam vnica species infima sensus interioris in cun-

ctis animantibns: hoc certè non apud omnes planum, pariterq. in confessum reperitur; nam & argumenta pro vtraque parte non desunt, & re ipsa difficile est alterum determinare. Quamobrem præcipuas rationes diuersitatis, seu differentias hic adducere, easq. sigillatim examinare operæ pretium erit.

Primò igitur illa sese offert, quæ ex diuersa suorum obiectorum latitudine sumitur. Etenim obiectum adæquatum sensus interioris vnius animalis interdum essentialiter videtur differre ab obiecto adæquato sensus interioris alterius, vtpotè vnum tanquam conflatum ex pluribus; alterum verò ex paucioribus sensibilibus essentialiter, ac genere diuersis. Nam obiectum adæquatum sensus interioris perfectorum animalium, continet omnia genera externorum sensibilium ad quinque sensus pertinentia; imperfectorum verò, non nisi duo, vel tria. Addito autem vno, vel duplici rerum genere in quauis rerum collectione, essentialiter tota collectio variatur, copulatim loquendo, vt dicitur de specie cuiuslibet numeri, addita vnitate. Cum itaque potentiæ specificandæ sint per actus, & obiecta adæquata, sequitur iuxta diuersitatem adæquatam illorum respectu huius, vel illius animalis, diuersas pariter in ipsis animalibus constitui species sensuum internorum,

Confirmatur, quoniam naturaliter hoc animal per suum sensum interiorem ordinari ad duo sensibilia, illud verò ad quinque, vel prouenit ab aliqua differentia indiuiduali, vel accidentali, vel essentiali. Non indiuiduali, quia conuenit toti speciei: non accidentali, quia ordo, quem dicit potentia ad obiectum, siue hoc, siue illud, ad hæc, & non ad illa, est omnino essentialis. Ergo remanet, vt & differentia, ex qua oritur, sit essentialis.

Nec dici potest, quemcumque sensum interiorem cuiuscumque animalis natura sua essentialiter ordinari ad omne sensibile externum; per accidens verò non omnia in singulis speciebus animalium percipere ex defectu sensuum externorum, qui desunt huic, vel illi animali secundum speciem

suam;

suam; ac propterea idem & vnicum obiectum adæquatum essentialiter constitui respectu omnium sensuum internorum. Quia scilicet cum nihil frustra machinetur natura, aut frustra ex se ordinetur ad aliud, impossibile est potentiam alicuius animalis natura sua,& essentialiter ordinari ad obiectum, quod naturaliter nullo modo valet percipere, vt præcedenti tractatione explicuimus. Vnde sicut naturaliter Cap.4.
determinatus,ac limitatus est numerus sensuum externorum in quouis animalium genere:ita limitata est multitudo obiectorum sensus interioris, quæ non nisi præuia operatione illorum possunt attingi, ac proinde iuxta varietatem huius limitationis varia constituentur obiecta adæquata, sub quibus plura, vel pauciora sensibilia essentialiter diuersa contineantur.

Quod si vltimò dicatur, plura vel pauciora sensibilia essentialiter diuersa in genere entis, non constituere obiectum adæquatum essentialiter diuersum respectu sensus interioris in hoc, vel illo animali, quia conueniunt sub communi quadam ratione sensibilis externi in esse cognoscibili; eo modo quo plures, vel pauciores colores specie diuersi inter se, & lumen, quod etiam genere differt ab illis, non constituunt differentiam essentialem in obiecto adæquato visus aquilæ, vel noctuæ, quia simul conueniunt in vnica ratione obiecti visibilis: Contra est, quia entitates quantumuis in se diuersæ cadentes in vnicum sensum externum, eundem habent modum immutandi potentiam sentientem, tam externam, quàm internam; & ideo percipere plures, vel pauciores colores cum lumine, vel absque lumine, non constituit differentiam essentialem ex parte potentiæ, aut obiecti adæquati illius. At verò plura,vel pauciora sensibilia essentialiter diuersa, & ad diuersos sensus externos pertinentia, non eundem habent modum immutandi potentiam sensus interni, vt colligi videtur ex diuersitate instrumentorum, ac mediorum, quibus ad cognitionem illius perueniunt. Alioqui eundem etiam haberent modum immutandi sensum externum, quod non verificatur nisi in genere, seu communissima qua-

dam ratione innotescendi per emissionem intentionalium, specierum; nec tollit diuersitatem specificam, quæ sumitur ex ipsismet simulacris plus, minusuè diuersis ex modo quo imprimuntur, vel excipiuntur, & ex medio, vel instrumentis; quæ ad hoc requiruntur. Vnde sicut species visibiles, verbi gratia, ac tactiles eminus excipiuntur, & antequam, ad crystalloidem vbi sensus est visus, perueniant, per tot tunicas, & humores quasi cribrantur; ita antequam ad cerebrum similes imagines perferantur, non quocumque meatu, aut neruo; sed opticis ac mollioribus neruis id natura consequitur; primò coniunctis, deinde diuulsis, quoad vsque, commune sensorium ingrediantur. Nec semper valet sensus interior has imagines excipere, eisq. vti, vt in somno apertis oculis, sicut semper ferè valet respectu tactilium, & quandoque sonorum, imò & motus appetitus sensitiui. Ex quibus arguitur non esse parem diuersitatem, quæ reperitur inter album, & nigrum, colorem, ac lumen, cæteraq. sensibilia ad eundem sensum externum pertinentia; ac inter visibile, & palpabile, diuersorumq. sensuum propria sensibilia, quoad immutationem sensus interni; seu modum innotescendi interius. Et si Deus crearet nouum sensum externum in homine ad percipiendas, verbi gratia, relationes corporeas, Vbi intrinsecum, virtutes quasdam corporum nunc nobis occultas, vel quid simile; nouus vtique esset modus immutandi potentiam interius sentientem, ac proinde diuersum, obiectum adæquatum constitueretur ab eo, quod nunc de, facto habet talis potentia. Igitur iuxta essentialem diuersitatem in multitudine sensibilium, ad quæ nunc plures sensus interiores in diuersis animantibus feruntur, diuersa constituentur obiecta adæquata respectu illorum.

Sed hæc omnia argumenta, licet multa vera contineant, pleraque tamen falsa simul admittunt, ex quibus non rectè concluditur essentialis diuersitas, quam intendunt, sensuum internorum.

Primum itaque argumentum verè assumit, ac probat diuersitatem essentialem inter aggregata illa plurium, vel pau-

ciorum

ciorum sensibilium, quæ interius percipiuntur à diuersis animantibus, sed in genere entis; non autem in genere cogniti aut cognoscibilis, prout opus erat ad concludendum ex illa diuersitatem obiecti adæquati respectu huius, vel illius potentiæ interius sentientis, ac proinde specificationem vniuscuiusque illarum. Nam aggregata essentialiter diuersa in genere entis, quando conueniunt sub vnica ratione in genere cognoscibilis, non constituunt diuersum obiectum adæquatum respectu potentiæ cognoscitiuæ, vt afferebatur de lumine, atque coloribus pluribus, vel paucioribus diuersis in specie, qui tamen vnicum constituunt obiectum adæquatum visus respectu cuiuscumque animalis.

Secundum verò, quod adducitur in confirmationem, deficit in hoc, quod non omnis ordo, quem dicit potentia ad obiectum, est essentialis: sed tantum ille, quem dicit ad obiectum formale; nempe ad rationem illam communem, sub qua continentur obiecta materialia. Vnde plures potentiæ, quæ in vnum conueniunt obiectum formale adæquatum, licet ad plura, vel pauciora obiecta materialia essentialiter diuersa in genere entis secundum proprietatem naturæ animalis ferantur; non propterea censentur includere ordinem essentialiter diuersum, per quem possint specificari; Et sic differentia, ex qua talis ordo sumitur magis, vel minus extensus, non erit nisi accidentalis, & ad summum proprietas quædam quarti prædicabilis respectu naturæ specificæ talis animalis.

Tertium, quod occurrit tacitæ cuidam obiectioni, rectè probat diuersam illam limitationem potentiæ, suorumque obiectorum: sed totum intelligitur procedere de diuersitate materiali, & extensiua, quæ non variat essentiam obiecti adæquati, aut potentiæ, sumptam ex vnica illa conuenientia formali, vt dicebamus. Sicut gustum hominis extendi ad plures sapores, & olfactum canis ad plures odores, non variat commune obiectum formale, nec potentiam vtriusque animalis.

Vltimum denique, quo præcludi videbatur omnis alia con-

contrariorum euasio, probat plusquam intendit; nam eadem omnino ratione concluderetur, non esse vnicum sensum communem in vnoquoque animali, quo cuncta obiecta externorum omnium sensuum natura sua perciperentur; sed tot esse sensus interiores in illo specie diuersos, & ad id deputatos, quot sunt sensus exteriores, per quorum obiecta adæquata diuersimodè dicerentur immutari. Quod non solum esset destruere essentiam sensus communis, quæ ex perceptione omnium sensibilium constituitur, & ex iudicio, quo vnum ab alio discernit ex his, quæ pertinent ad diuersos sensus exteriores; sed esset euertere totam philosophiam de interna cognitione animalium ad dirigendos proprios motus, quos omnes vnico essentialiter principio debent percipere. Quare dicendum est, diuersitatem illam sensibilium in immutatione potentiæ, non esse essentialem, formaliter loquendo, sed tantum accidentalem, & quasi materialem. Quia licet magis differat sapor à colore, quàm ab alio sapore non tantum in esse entis, sed etiam in modo, quo cadit sub sensum internum, quatenus per diuersum medium, diuersaq. instrumenta eius species intentionales ad commune sensorium deferuntur: Nihilominus ille modus non censetur essentialiter diuersus; nam sistendo in proprio ac proximo instrumento, quo ad hæc omnia percipienda vtitur sensus internus, idem omnino illud reperiemus, vbi species omnium sensibilium confluunt, & asseruantur, potentiæq. obseruiunt ad experiendas eorum cognitiones, quod est cerebrum, vel quid aliud illi proportionale in quibusdam imperfectis animātibus; quod sanè eodem modo immutatur à colore, atque à sapore, licet dissimiles imagines ab vtroque recipiat, ac per diuersa media, & instrumenta huiusmodi imagines ad ipsum perferantur. Quod si hæc diuersitas non procedit in vno eodemque animali, vel indiuiduo; neque poterit procedere in alijs. Nam quæ eodem modo immutant potentiam in vno, eodem modo immutant in alijs. Nulla ergo essentialis ratio diuersitatis ex hoc capite sumitur ad probandum varia essentialiter esse nonnunquam obiecta

adæquata

adæquata sensuum internorum diuersorum animalium, ac proinde nec specie sensus ipsos inter se ex hoc aliquando differre.

Examinantur aliæ rationes diuersitatis, ex quibus pariter nulla colligitur talis specificatio. Cap. II.


SECVNDO autem loco alia ratio præcipuè diuersitatis adducitur inter sensus interiores plurimorum animalium ex parte peculiarium quorundam obiectorum, non improbabiliter petita. Nam præter formas ad quinque vulgatos sensus pertinentes, multa sensus interior vnius animalis videtur in sensibilibus dignoscere, quæ à sensu interiori alterius non dignoscuntur. Cuiusmodi sunt intentiones illæ, quæ & obiecta non sensata à quibusdam nuncupantur, vt vtilitates, & contrarietates rerum, conuenientiæ, & disconuenientiæ, amicitiæ, & inimicitiæ naturales, ratio præteriti, quam attendit memoria, & alia huiusmodi, quorum meminit S. Tomas. Non enim ex alio videtur procedere, vt plura animantia commoditates, & opportunitates rerũ prosequantur, salutaria exquirant, noxia fugiant, parentibus, aut filijs obsequantur, & hostes vitare contendant: cum alia è contra nihil horũ efficiant, sed cum prole multa sibi siue bona, siue mala æqualiter paruipendant: nisi quod diuersam, vel certè superadditam potentiam ad hæc internoscenda obtinẽt illa, quam non obtinent alia. Cumque adhuc diuersimodè immutetur potentia ab his, atque ab illis, quæ per sensationes externas excipit, & dicuntur obiecta sensata, apertè videtur concludi diuersitatem prædictam ex talibus obiectis desumptam in sensibus internis diuersorum animalium, esse specificam, & essentialem. Quod argumentum similiter procedit in eodem perfecto animali, quod cum vtrumque genus obiectorum percipere valeat, ac per alterum diuersimodè immutetur, non videtur reduci posse ad eandem potentiam principium

1.p.q.78.art.4.

cipium

cipium illud, seu sensum, quo vnum, & quo alterum genus obiectorum ab ipso percipitur, sed constituendum esse alium sensum interiorem specie diuersum ad hoc delegatum, vt de facto plures, ac graues Auctores constituunt.

Tract. 2. c 4. Sed vt alibi à nobis iam supra dictum est, huiusmodi obiecta non sensata, si formaliter accipiantur, prout connotant conuenientiam, aut discrepantiam vnius respectu alterius, ipsumque ordinem transcendentalem, aut prædicamentalem, nullo modo ab aliquo sensu interiori percipiuntur propter rationes latè ibi adductas: si verò materialiter, aut fundamentaliter sumantur; similiter, vt dictum est, non erunt diuersa ab ipsis sensibilibus accidentibus, cum quibus vtilitas, & iucunditas causaliter identificantur, vel in quibus fundantur, si in relatione consistere statuantur. Cumque hoc, quod est prosequi bonum, ac vitare malum, satis intelligatur procedere in brutis à materiali cognitione rei, quæ talis denominatur per species sensibiles, quæ habentur de illa, quia si bona illi est à parte rei, statim amplectitur; si verò mala, respuitur absque cognitione formalis bonitatis, aut malitiæ; non est cur ex hoc capite diuersos sensus in animalibus constituamus, quia multa animalia imperfecta talem prosecutionem, vel fugam non ita ostendant. Quandoquidem sicut ex propria imperfectione naturæ plurium, siue bonorum, siue malorum sunt incapacia: ita nec omnia, aut totidem quot animalia perfecta, prosequi, aut vitare contendunt. Alioquin respectu iucunditatis, aut commoditatis, quam præualent obtinere, ac molestiæ damnique, quod possunt cauere; omnem certè prosequutionem, & fugam sibi conuenientem ostendunt; vt in apertione, & reseratione concarum vniuersi ostreorum generis ad capiendum cibum, & repellendas contrarietates perspicuum esse potest; & in accessu vermium, cochlearumq. ad obiecta, ac recessu ab illis per contractionem horum quidem in sese; harum verò in suum domicilium postquam binis prætensis cornuis, noxium aliquid, seu molestum explorauerint. De ratione autem præteriti, quæ non ab omnibus

nibus

nibus sensibus interioribus cunctorum animantium attenditur, sequenti cap. dicendum erit, cum D. Thomam iuxta nostram sententiam exponemus.

Tertio magnum quoque discrimen obseruari potest inter sensus internos ratione solertiæ, aut sagacitatis quorundam animalium, & ignauiæ, aut stupiditatis aliorum; idque non ex accidentaria aliqua perfectione, aut imperfectione in hoc, vel illo indiuiduo, sed ex vi propriæ naturæ talis potentiæ interius sensitiuæ in tota latitudine speciei vniuscuiusque animalis. Vnde colligi videtur, sensum interiorem verè iuxta diuersitatem specificam animalium, quibus inest, essentialiter diuersificari. Quis enim eiusdem rationis existimet sensum prudentissimi ex suo genere Elephantis, cum sensu stultissimi, ac stupidissimi pecudis, quale totum ouile genus putatur, vt ait Aristoteles. Vel quis non nisi accidentaliter differre dicat, sensum eorum, quæ tàm solerti ingenio, tamque mira sagacitate ac docilitate natura instituit, vt erudiri, ac disciplinis quodammodo instrui, hominemq. omnino in moribus, & cognitione repræsentare præualeant, à sensu illorum; quæ præter molem sui corporis, quam regunt ac vitam quam traducunt, nullo in alio sensum habere ostendunt. Sus enim, quid habet præter escam? (ait Cicero) cui quidem ne putresceret, animam pro sale datam dicit esse Chrysippus. Quid insuper habent illa, quibus vix leuiter, ac perobscurè tactilia quædam, & gustabilia sentire conceditur, vt testatorum generi, præsertim vniualuiorum, quæ saxis testa in dorsum data adhærent, & ijs, quæ vertibula, siue rubera ab Aristotele appellantur, de quibus sicut de Vrticis, ac spongijs, cæterisq. saxis marinis absque testa adhærescentibus, ambigit, plantis ne similiora sint, quàm animalibus?

De hist. animal. lib. 9. cap. 3.

Arist. ibid. c. 7.

Cicer. de Natura Deorum lib. 2. non longe à fine.

Lib. 4. de partib. animal. c. 5.

Quod tamen discrimen, etsi sunt alia huiusmodi, exactius rem indagando, in duobus præcipuè reperiemus consistere, quorum nullum diuersam specificationem sensus interioris valet conuincere. Quia nimirum totum acumen, totaque solertia, vel hebetudo alicuius potentiæ cognoscitiuæ primò con-

constituitur in pluralitate, vel paruitate formarum, quas in obiectis valet pertingere, quod, vt vidimus, non sufficit ad specificationem ipsius potentiæ. Deinde, quia secundo constituitur in maiori, vel minori aptitudine naturali, ad exactè, ac diuersimodè copulandas, ac segregandas imagines obiectorum, eliciendasq. propterea distinctiores, aut confusiores cognitiones. Quod solum arguit perfectionem, vel imperfectionem accidentalem, cum per se non dicat varietatem in ijs, quæ sunt de ratione sensus interioris, sed tantum iuxta dispositionem organorum, & exigentiam, aut inclinationem naturæ, melius, aut deterius, seu hoc, vel illo modo in tali specie operari. Vnde quemadmodum habitus acquisiti diuersimodè faciunt potentias operari absque essentiali mutatione illarum in indiuiduo, ita inclinationes naturales, & habilitates diuersæ in tota specie animalis. Quamuis id, quod sensui secundum se omnino accidentaliter conuenit, redundet in proprietatem naturæ specificæ animalis, à qua semper talis, vel talis aptitudo exigitur. Et sicut cogitatiua, aut memoratiua in homine ex eo, quod consortio intellectus, sola valeat circa singularia discurrere 1.p.q.78.art.4. iuxta opinionem S. Thomæ; non per hoc ab eodem dicitur specie differre ab alijs, quæ sunt in cæteris animantibus, sed tantum accidentaliter: ita sensus interior in vniuersum loquendo, quantumuis in vna specie animalium sortiatur aptitudinem, quam non sortitur in reliquis, denomineturq. sicut re vera est, in quibusdam acutus; in quibusdam verò rudis, segnis, vel callidus: non propterea censetur specie in illis differre. Quod si cum sagacitate, ac solertia inuoluatur vsus memoriæ, & experientia, absentium præteritorumque cognitio, vnde nascitur obseruatio quædam materialis, ac docilitas in quibusdam ad imitandum, ac iussa capienda; sic certè aliud constituetur discrimen, de quo infra cap. sequenti vberius differemus.

Addu-

Adducuntur tandem rationes quædam diuersitatis, ex quibus variæ constituuntur species sensus interioris. Cap. III.



REIECTIS autem rationibus diuersitatis modò explicatis, non desunt aliæ, quæ tanquam propriæ, & essentiales differentiæ contrahunt vniuersalem quidditatem sensus interni in vlteriores species; vt plerique supponunt, cum de interiori sensu sub diuersis nominibus, ac rationibus sermonem instituunt: præsertim omnes, qui plures absolutè huiusmodi sensus in eodem animali constituunt. Alioquin eorum placitis inhærendo, frustra multiplicarentur accidentia solo numero distincta ad obeunda munera tam diuersa in eodem subiecto, vt ex diuersis essentialiter actibus, & obiectis, ipsi conantur ostendere. Idemque supposuisse Aristotelem, non obscurè innuunt verba illius paulo inferius circa singulas diuersitates citanda.

Primo itaque dicimus, præsentia obiecta, siue intrinseca, siue extrinseca interius posse sentire, vt cunctis animantibus conceditur; & eadem vel similia in absentia quoque posse concipere, quod solum conceditur perfectis; esse rationes formales essentialiter diuersas sub cõmuni natura sensus interioris superius explicata. Ita docent omnes Philosophi, qui phantasyam realiter, & essentialiter distinguunt à sensu communi. Et colligitur apertè ex Aristotele, tum quia est quidem, ait, idem sensitiuo imaginatiuum, esse autem sensitiuo, & imaginatiuo aliud. Vnde concludit, quòd sensitiui quidem est somniare; huius autem quatenus imaginatiuum; tùm etiam, nam aliàs rationes, quibus distinguit imaginationem à sensu, non tantum concludunt de sensu exteriori; sed etiam de sensu interiori, quem vocant communem, qui versatur circa præsentia, simul operando cum sensibus externis, ac percipiendo pariter ipsas sensationes illorum.

De somnijs c. 1.

Lib. 2. de anima tex. 156.

Qua-

Aphrodis. lib. 1. de anima cap. de phantasia, & phãtastica virtute.

Quapropter eisdem ferme rationibus Aristotelis ad propositum applicatis præsertim iuxta dilucidationem Aphrodisæi probatur, primo nostra conclusio. Vt puta, quia cessante actu, vel etiam potentia ad percipienda obiecta præsentia, percipiuntur absentia, vt in somnis; Ac posse interius versari circa sensibilia præsentia, vnà cum sensibus externis, planè cunctis cõceditur animantibus; percipere autem ipsa eadem in absentia, non item. Insuper sensus interior dum præsentialiter versatur circa sensibilia propria, aut intrinseca, semper est verus, sicut exterior, cum quo simul operatur; in absentia verò sæpissimè fallitur. Denique vbi quid in præsentia exterius sentimus, interiusque perpendimus, nequaquam illius memoriam, imaginationemue habere dicimur: Contra verò si in absentia imaginemur, aut recordemur. At esse perceptiuũ præsentis dumtaxat entitatis, & existentiæ obiecti, aut etiam memoratiuum, & imaginatiuum illius: esse verum, aut fallacem. Competere cunctis animantibus, vel quibusdam tantummodo; cessare per alligationem organi, vt in somnis, vel nunquam cessare; sunt differentiæ essentiales ex æquo ad inuicem oppositæ ratione formalis obiecti, aut modi operandi. Ergo sensus interior in communi per huiusmodi differentias in perceptione præsentium, & absentium obiectorum inclusas, essentialiter distinguitur, & contrahitur in vlteriores species.

Rursus eadem conclusio probatur. Nam sensus interior nulla indiget motione extrinseca, qua excitetur, vel noua forma intentionali, qua fœcundetur, ad hoc vt conceptum aliquem promat absentium obiectorum; sed spontè ipse se excitat, suisq. simulacris fœcundatus enititur ad cognitionem edendam earum rerum, quæ absunt, & motuum, quibus hactenus sensus exterior, aut appetitus sensitiuus erga illas operabatur. Ad percipienda verò obiecta præsentia si extrinseca sint, indiget tum excitatione, & cooperatione sensuum externorum; tum etiam noua similitudine, qua vltimò constituatur in actu primo antequam operetur, prodeatque in actum secundum cognitionis illorum. Si verò

obiecta

obiecta præsentia intrinseca sint, similiter indiget, vel operatione vulgatorum sensuum, vt eorum sensationes, & affectiones in actu disquirat; vel recenti motione appetitus, suarumq. passionum, ac insuper horum omnium nouis, ac distinctis imaginibus, quibus excitetur, ac fœcundetur. Quæ planè omnia modum constituunt essentialiter diuersum in ipsa immutatione potentiæ, proindeque duplicem differentiam contrahentem communem rationem sensus interioris, quæ ex se, vt vidimus, abstrahit ab hoc, vel illo modo operandi essentialiter diuerso.

Dicet tamen aliquis, hanc diuersitatem non esse essentialem, sed potius accidentalem; quia neque ex parte obiectorum, neque ex parte actuum formaliter videtur desumi. Cum & obiecta in substantia sint eadem (licet varientur circumstantiæ locorum, aut temporum per præsentiam, aut absentiam) & actus conueniant in ratione cognitionis illorum; quamuis circa præsentia versando, eis addatur extrinseca denominatio simultatis, ac dependentiæ per cooperationem sensus externi, aut appetitus sensitiui, quæ non reperitur in actibus versando circa absentia.

Sed facile huic argumento occurritur, negando in primis sensibilia præsentia ab absentibus non differre, vt obiecta sunt, nisi penes diuersas circumstantias locorum, aut temporum, seu relationem simultatis, propinquitatis, & distantiæ. Nam præsentia, de qua loquimur, & si requirat simultatem durationis, ac determinatam quandam propinquitatem inter sensum, & sensibile, iuxta limitationem actiuitatis potentiæ; formaliter tamen consistit in ipsa expositione sensibilis actu existentis, qua sensui exponitur, ac repræsentatur intuitiuè percipiendum; hoc est non modo secundum entitatem essentialem, quam includit, sed etiam iuxta existentiam, quam habet cum suis circumstantijs temporis, & loci, prout est à parte rei, siue propè, siue eminus constituatur, dummodo sit intra sphæram actiuitatis naturalium instrumentorum; nam & sydera in magna distantia oculis constituuntur præsentia, & propriæ ipsorum

rum palpebræ in tanta propinquitate putantur abesse. Huiusmodi autem expositio obiecti præsentis, licet secundum esse rei, nihil addat supra actualem entitatem illius, suarumque circumstantiarum; diuersam tamen inuoluit rationem cognoscibilitatis, ac terminationem cognitionis, diuersumque modum immutandi potentiam, nempe intuitiuè, &
Tract. 4. sect. 6. non abstractiuè, vt supra fusius explicatum est, ac proinde aliquid censetur refundere in ipsum obiectum, vt obiectum formale est respectu potentiæ secundum esse cognitum. Cumque sub communi ratione cognoscibilitatis huiusmodi differentiæ sint essentiales, relinquitur vt ex hac parte essentialiter etiam differant in esse cognito præsentia ab absentibus, & remotis, & multò magis à non existentibus, in quibus per se maior diuersitas apparet.

Nec item cooperatio sensus exterioris, aut appetitus sensitiui censeri debet aliquid extrinsecum respectu actus sensationis internæ quoad specificationem illius, licet physicè sint entitates omnino diuersæ. Nam sensatio interna obiecti præsentis, & extrinseci, non modo pendet ab actuali sensatione externa, quia illius interuentu imagines excipit ab obiecto, sed etiam, quia simul ab ipsa terminari debet dum terminatur ab obiecto: proindeque secundum esse cognitum vtrique assimilari, & secundum vtriusque conditionem specificari. Similiter à motibus, ac passionibus appetitus sensitiui, quæ diuersimodè, vt vidimus, terminant in actu, ac secundum suam entitatem abstractiuè.

Ex quibus omnibus demum formatur totalis ratio à priori nostræ conclusionis; Nam potentiæ specificantur per actus, & obiecta, ac etiam per subiecta formalia, vt supra notauimus: Sensus autem interior, qui tantùm versari potest circa
Tract. 1. cap. 5. & 3. præsentia cum sensibus externis, secundum hæc omnia differt ab eo, qui etiam circa absentia fertur. Quandoquidem actus illius formaliter semper sunt euidentes, ac intuitiui, includuntque intrinsecam, & actualem dependentiam à sensationibus externis, in quas simul ac in obiecta extrinseca necessario terminantur, vel certè à motibus appetitus sensitiui

tiui

tiui in actu quando circa illos pariter versantur. Istius verò actus, versando circa absentia, formaliter sunt abstractiui, etiamsi existentiam illorum percipiant, nec dependent ab externis, nisi remotè, & extrinsecè. Item obiecta vnius saltem quando sunt sensibilia propria, vel intrinseca, semper repræsentantur formaliter secundum actualem, ac veram existentiam, quam habent in exercitio cum suis circumstantijs temporis, & loci: obiecta verò alterius, quando sunt absentia, vel non existentia, aliter non repræsentantur, nisi formaliter secundum suas entitates, modo quasi abstracto, licet confusè; ita vt etiam existentia, & præsentia ipsa similiter concipiatur, quia non appræhenditur cum exercitio, vt supra explicuimus. Denique subiectum vnius, nulla indiget retentione specierum intentionalium, ac proinde paucioribus dispositionibus formaliter debet muniri, quàm subiectum alterius, quod excipere, & conseruare species in se ipso tenetur; ideoque perfectioribus conceditur animantibus tanquam ordinatum ad gradum essentialem perfectioris potentiæ. *Tract.4.c.6.*

Secundo dicendum est tendere circa obiecta intrinseca, siue præsentia, siue absentia, & tendere circa obiecta extrinseca similiter, siue præsentia, siue absentia, duas constituere rationes formales specificas in potentia. Probatur autem huiusmodi conclusio ea potissimum ratione, qua superius ostendimus sensationes etiam circa hæc obiecta specie inter se differre. Etenim sensus interior semper immediatè, & absolutè potest versari circa obiecta intrinseca nullo adminiculo alterius potentiæ: circa verò extrinseca non nisi mediante ministerio sensuum externorum. Quo fit, vt & actus ipse sensationis internæ circa extrinseca semper inuoluat cognitionem sensationis externæ tanquam id, à quo habet, vt possit circa illa versari. Sed posse immediatè, & absolutè, vel non nisi mediante alterius ope, sunt differentiæ connotantes diuersas essentialiter potentias. Ergo circa obiecta intrinseca, vel extrinseca dantur conceptus essentialiter diuersi sub ratione potentiæ.

Nec obſtat circa obiecta extrinſeca æquè immediatè verſari ſenſum internum, ac circa intrinſeca, in quantum ſenſatio externa in rigore non mediat, ſed concomitatur. Quandoquidem tota ratio intermedij, quæ in propoſito tollit immediationem tendentiæ attenditur potius in actu primo, quam in actu ſecundo, quatenus ad percipienda obiecta extrinſeca, ſiue præſentia, ſiue abſentia ſemper potentia indiget ſpecie impreſſa, & emiſſa non quidem immediatè ab ipſis obiectis, ſed à ſenſu exteriori, ac ſimul repræſentante ipſam ſenſationem externam, quæ propterea cenſetur quodammodo mediare per ſpeciem ſui vicariam, quaſi ad complendam potentiam internam, quæ ſe ſola non poterat circa talia obiecta verſari. Quæ omnia non ita ſe habent cum ſenſus interior conſtituitur in actu primo ad percipienda obiecta intrinſeca. Siquidem ſe ſolo, & immediatè abſque alterius ope recipit ſpecies ab illis, & conſtituitur vltimo potens ad operandum, proindeque immediatè pariter cenſetur circa talia verſari nulla interpoſita cognitione alterius. Quod ſi adhuc ipſa interior cognitio ſenſationis externæ, ac motus appetitus inuoluat cognitionem obiecti ſenſati, vel concupiti, non ſupponit illam tanquam aliquid intermedium, ratione cuius, ſeu cuius virtute interior potentia intelligatur conſtitui in actu primo ad operandum per aliquid immediatè receptum ab illa, quod ſufficit ad diuerſitatem eſſentialem formalitatis, de qua loquimur.

Sed contra eſt, quia ſi nuſquam ab interiori ſenſu percipi poteſt obiectum extrinſecum, quin ſimul per eundem actum percipiatur intrinſecum, nempè ſenſatio ipſa externa, aut inclinatio elicita appetitus, quibus obiectum fuit ſenſatum, vel concupitum, & è contra, vt dictum eſt. Ergo per eandem rationem formalem, per quam ſenſus interior conſtituitur perceptiuus obiecti extrinſeci, cõſtituitur etiam perceptiuus obiecti intrinſeci; proindeq. admittenda non eſt in illo diuerſa ratio formalis potentiæ reſpectu ipſius. Reſpondetur tamen ex reali concomitantia perceptionis

vtriuſque.

vtriusque obiecti, non rectè inferri eandem esse rationem formalem potentiæ respectu alterutri: Nam sensus interior est perceptiuus obiecti extrinseci mediante adminiculo sensus externi, vt explicatum est. Est verò perceptiuus obiecti intrinseci quatenus immediatè per se, ac nullo alio cooperante potest illud appræhendere.

Tertio. Dicimus versari posse circà realitatem obiecti per modum assensus, aut dissensus, extimando ita esse, vel non esse, quod alias intuitiuè non innotescit; Et posse illud iuxtà apparentiam prout repręsentatur, vel effingitur absolutè concipere, seù imaginari; esse rationes essentialiter diuersas, ac differentias cõtrahentes explicatam quidditatem sensus interni respectu obiectorum absentium in alias vlteriores species. Hæc conclusio tota fundatur in ijs, quæ supra tradidimus agendo de sensatione, quæ propriè dicitur imaginatio, & ea, quæ vocatur extimatio. Ex quibus ne hic eadem omnino repetamus, breuiter probatur conclusio. Quoniam obiecta formalia essentialiter diuersa, diuersas essentialiter constituunt species actuum, ac potentiarum tendentium ad illa: entitas autem absentium sensibilium, seu quæ præsentialiter, & intuitiuè non repræsentatur, aliud obiectum formale constituit secundum realitatem, & existentiam, quam exhibet in se habere, vel non habere: aliud verò secundum apparentiam, qua absolutè figuratur interius, æque terminando cognitionem si à parte rei ita sit, ac si non sit, sed mero arbitrio effingatur. Vnde, vt inquit Aristoteles; Secundum imaginationem similiter nos habemus, sicut qui considerant in pictura, scilicet quasi abstrahendo à realitate, ac veritate rei repræsentatæ; sicut etiam qui attendit loquutionem alterius, non iudicando de veritate sermonis. Vel qui non vidit Coriscum, vt Coriscum; vt ait idem Philosophus. Quo fit, vt actus imaginationis, & extimationis sint inter se formaliter, & essentialiter diuersi, tanquam figuratio obiecti, ab affirmatione, vel negatione realitatis illius; seu tanquam simplex, aut complexa appræhensio à iudicio opinatiuo. Quamobrem tota deceptio, vel non de-

Tract. 4. cap. 8. & 9.

2. de anima tex. 154.

De memor. & remin. cap. 2.

ceptio animalis, fundatur, ac formaliter constituitur in extimatione, vt explicuimus. Et appetitus, saltem plenè, & efficaciter, non nisi extimatione formaliter ducitur cum suis passionibus in obiecta absentia, cum non tendat nisi in realitatem obiecti in quantum tale vnicuique esse videtur, vt dicitur in Ethicis, ac proinde sola imaginatione non ita ducatur, aut commoueatur, vt ex eadem doctrina Philosophi retulimus. Secundum igitur hanc duplicem rationem formalem, quæ reperitur in actibus, & obiectis essentialiter diuersam, duplex constituetur ratio specifica ex parte potentiæ, altera imaginatiua, ac simpliciter apparentium in absentia perceptiua; altera verò extimatiua, ac realitatis obiectorum absentium iudicatiua.

Tract 4. cap. 9.

3. Ethic. cap. 4. tex. 154. 2. de anima.

Sed contra hanc conclusionem obijcitur, quia per simplicem intelligentiam, seu appræhensionem rerum prout absolutè intellectui offeruntur absque assensu, vel dissensu, & per opinionem, aut scientiam, qua iudicatur de illis; licet diuersæ constituantur rationes formales, quibus actus ipsi intellectiui specie differunt inter se; Ex hoc tamen nullo modo efficitur, vt & potentia ipsa intellectiua vlterius pariter specificetur in ordine ad illos. Ergo similiter philosophandum erit de ratione imaginationis, & extimationis respectu sensus interioris obiectorum absentium, vt scilicet constituantur quidem actus inter se specie diuersi, non tamen arguant vlteriorem specificationem potentiæ. Confirmatur, nam sicut quilibet intellectus humanus ex eo, quod ex se prædictas omnes intellectiones elicere potest, non nisi vnica potentia constituitur essentialiter, & in specie; ita similiter quilibet sensus interior, qui versatur circa absentia, hoc ipso, quod prædictas omnes sensationes elicere potest, vnius eiusdem potentiæ in specie athoma debet censeri.

Respondetur tamen ad argumentum, actus omnes intellectiuos quantumuis inter se specie diuersos, eundem semper habere modum immutandi potentiam iuxta vnicam formalitatem obiecti adæquati, sub qua omnes procedunt, nempe entis, vt ens; ac propterea potentia intellectiua vlterius

terius non posse specificari per illos, sicut nec sensus ipse internus in ordine ad sensationes coloris, & saporis, eo quod vnica sit ratio adæquata sensibilis externi, sub qua immutatur per illas. At in proposito non ita rem se habere, quia cum non detur idem obiectum formale respectu imaginationis, & extimationis, quasi aliquid commune entitati, vt reali, & apparenti, sub cuius ratione formaliter imaginatio, & extimatio tendant: nec idem in illo dari potest modus tendentiæ, immutationis, & assimilationis potentiæ; ac proinde nec eadem ratio specificationis. Quamuis enim sensationes omnes internæ conueniant in hoc, quod est versari circa sensibile aliquod intrinsecum, vel extrinsecum, sicut etiam sensationes omnes externæ conueniunt in perceptione qualitatis sensibilis: Nihilominus quemadmodum exterius constituuntur plures potentiæ sensitiuæ specie, & essentialiter diuersæ penes diuersa obiecta formalia, & modos, quibus immutatur sensus ab illis, ita similiter interius. Quia non tam attenditur formalitas obiectorum sub ratione illa communiori in esse cognoscibili, quàm sub peculiari conuenientia illorum in modo, quo cadunt sub sensum, vt patet, verbi gratia, in colore, qui licet eandem rationem qualitatis sensibilis æque participet cum lumine, ac cum odore, similiterq. ab vtroque secundum alia prædicata æque distinguatur in esse rei, quia tamen in modo immutandi potentiam, omnino aut magis conuenit cum lumine, coloribusq. apparentibus, vnà cum illis, & non cum odore constituit obiectum formale visus; non quidem secundum rationem illam communem qualitatis sensibilis; sed secundum rationem minus vniuersalem, qua sicut cætera illa, cadit sub sensum, simulq. dicuntur visibilia. Quo fit, vt nobiliores potentiæ, eo quod circa plures rerum differentias versentur, communiorem habeant formalitatem obiecti, iuxta quam immutentur. Et sic potentia intellectiua omnium nobilissima, cum vnicam, & communissimam sortiatur formalitatem obiecti adæquati, vnicumq. modum suæ immutationis, vlterius non potest specificari, sicut sensus internus cui diuer-

ſimodè omnino conuenit immutari, licet per vniuerſaliores formalitates, quàm conueniat ſenſui exteriori.

Ad confirmationem verò reſpondetur, nequaquam conſtitui vnicam ſpeciem intellectus humani, ex eo, quod idem intellectus à parte rei cunctas intellectiones explicatas valet elicere, ſed quia ſub eadem ratione formali elicit illas. Alioquin ſi diuerſa ratione operaretur, & immutaretur, diuerſas pariter ſubiret rationes potentiæ. Sicut potentia illuminatiua, & calefactiua ſolis, quæ in duplici ſpecie conſtituitur; vel ſicut potentia nutritiua, & augmentatiua, attractiua, & expulſiua. Deinde negari poteſt quemlibet ſenſum interiorem, qui verſari poteſt circa abſentia, omnes dictas operationes obire. Tum, quia non conſtat in brutis, quæ carent omni actu memoratiuo, an careant pariter extimatione, aut imaginatione; tum etiam quia per morbos quandoque videmus, vnum actum ſine altero impediri, ac ſecundum vnam rationem lædi potentiam, non verò ſecundum vtramque, vt varijs in locis affert Galenus de ijs, qui memorandi vim penitus amiſerunt ſuperſtite imaginatione, & extimatione, ac de ijs, qui oblæſa imaginatione, rectè extimabant: alijsq. ritè imaginantibus, non tamen bene extimantibus.

De differentijs ſymptomatũ c. 8. & lib. 2. de cauſ. ſymptom. cap. vlt. & de differen. ſymptomat. cap. 3. & lib. 4. de locis affect. cap. 1.

Quarto. Dicendum eſt in hoc cap. ſenſum interiorem poſſe obiecta, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca hactenus cognita, vt cognita recolere, præteritorumq. recordari, eſſe formalitatem eſſentialiter diuerſam ab explicatis ſub communi ratione ſenſus interioris. Ita conſequenter docent omnes, qui memoriam diſtinguunt à phantaſia, & extimatiua, ſeu cogitatiua in homine. Et colligi poteſt ex Ariſtotele, qui 2. de anima à tex. 153. vſque ad tex. 162. agens de virtute imaginatiua, eiusq. operationibus, nihil omnino de actibus memoratiuis, aut memoria profert. In proprio autem opuſculo de mem. & reminiſc. cap. 1. explicans rationem illius, valde diuerſam eam conſtituit à ratione, ſeu definitione tradita imaginatiuæ, quamuis ad eandem partem animæ vtramque doceat pertinere; pariterq. valde diuerſam eam deſcribit ab explicata ratione extimatiuæ. Et primò

metaph.cap. 1. Quibusdam, inquit, animantibus innasci memoriam, quibusdam verò non innasci. Significans naturalem illam esse perfectionem ab alijs essentialiter diuersam, id quod alibi etiam asseruit, ac probat rationibus, quæ imaginatiuæ, aut extimatiuæ simul non possunt competere. Amplius vero citato cap. de mem. & remin. & sequenti, memoriæ formaliter tribuit posse tempus percipere; nam inquit quæcumque tempus sentiunt, memoria illud sentire, quod minimè in eius doctrina dici potest de imaginatiua, aut extimatiua, si formaliter sumantur, prout explicuimus.

Deinde probari potest conclusio, vnica, ac breuissima ratione: Nam versari animal circa rem, vt hactenus cognitam saltem confusè, inuoluit cognitionem suorummet actuum præteritorum tam sensus externi, quàm interni, dicitque vsum, vel peculiaris cuiusdam speciei interius impressæ, per quam actus illi, seu sensationes ipsi post factum tempus repræsententur; vel certè eiusdem speciei principalis obiecti cum aliqua modificatione relicta per actum præteritum prioris cognitionis internæ, vt sic vtrumque simul postea repræsentetur. Vnde ratio præteriti, quam attingit memoria, dicitur à D. Thoma, & alijs repræsentari per speciem non sensatam, hoc est, quam formaliter non hausit ministerio sensuum externorum; sed editam, siue modificatam inuenit in sensorio interiori per antecedentem illam cognitionem priorem, cuius est imago simul ac temporis peracti, & principalis obiecti. Cum igitur non sit opus eiusdem potentiæ sensitiuæ cognoscere suos actus, ac vti speciebus tam varijs diuersimodè afficientibus organa, ac plura sub diuersa ratione repræsentantibus; consequens est, vt diuersa pariter constituatur potentia, vel formalitas essentialis illius ratione cuius competat animali suos cæteros actus cognoscitiuos cum differentia suorum temporum simul dignoscere, ac præterea obiecta, vt cognita, rursus appræhendere; ita vt præsentium notiones tàm internæ, quàm externæ, & absentium imaginationes, aut extimationes post factum tempus, vt ait Aristoteles, non nisi hac potentia recolantur.

Quandoquidem nec ſenſus communis, nec imaginatiua, nec extimatiua intuitiuarum cognitionum, imaginationum, aut extimationum ſuarum poterat meminiſſe, aut cum anterioritate, vel poſteritate tranſactæ durationis, proprium, ac formalem conceptum elicere.

Quæ differentia perfectionis eſſentialis inter vnum, & alium ſenſum interiorem iuxta prædictas diuerſitates ſpecificas reperiatur. Cap. IV.



VM iuxta diuerſitatem naturæ ſpecificæ, diuerſa pariter ſit perfectio eſſentialis cuiuſlibet rei, multiplici iam conſtituta ratione ſpecifica ſenſus interni, variam quoque ſimiliter eſſe perfectionem eſſentialem ipſius conſequitur: ac propterea varij aſſignandi ſunt gradus, quibus in illa vnuſquiſque ſenſus interior ab alio differat.

Primo igitur abſque controuerſia ſtabiliendum erit, ſenſum interiorem, qui circa præſentia tantum, ac non niſi actuali miniſterio ſenſuum externorum valet operari, infimum obtinere gradum ſuæ perfectionis eſſentialis: tum quia huiuſmodi ſenſus in imperfectiſſimis quibusq. animantibus reperitur; alij verò ſecus: tum quia ex ſe imperfectiori modo circa obiecta verſatur, nempe dependenter omnino ab illis, exterioribusq. ſenſibus in actu, ac per alienam excitationem, nouamq. ſemper ſpeciem impreſſam; non autem propria virtute innixus, propriaque ſpecie fœcundatus, vt explicuimus in ſecunda probatione primæ concluſionis cap. præcedenti.

Secundo verò dicendum eſt, inter ſenſus interiores, qui verſari poſſunt circa abſentia, illum eſſe nobiliorem, qui ea vt hactenus cognita valet appræhendere, proindeq. memoriæ nomen ſortitur. Quod ex eo probatur; nam talis poteſtas ſupponit poteſtatem cognoſcendi obiecta abſentia tam

iuxta

iuxta realitatem illorum per extimationem, quam iuxta apparentiam per imaginationem, vt de quouis modo præteritæ cognitionis valeat recordari. E contra verò extimatiua, & imaginatiua ex se non supponunt potestatem memoratiuam ad eliciendam iteratam cognitionem rei vt cognitæ; ergo huiusmodi potestas memoratiua est perfectio illis superaddita, ac superioris ordinis, nobiliorem constituens sensum interiorem, qui ea potitur.

Confirmatur; nam de facto multa sunt imperfectiora animantia, quæ videntur habere imaginatiuam cum extimatiua absque memoria; nullum autem est, quod habeat memoriam absque sensu communi, imaginatiua, & extimatiua. Vnde inter homines etiam, Infantes primis quadraginta diebus somniare constat, (quod est opus imaginatiuæ) sero autem meminisse imaginum, vt obseruat Aristoteles. Rursumque in hominibus experimur quandoque perire memoriam, seu omnino impediri exercitium illius manentibus operationibus imaginatiuæ, & extimatiuæ, non autem è contra, vt eis, qui ex pestilentia euaserunt, & alijs quibusdam contigisse narrat Galenus. Siquidem ij tum cæterorum omnium, tum sui etiam nominis erant obliti, dum incolumes reliqui sensus perseuerarent. Idemq. nostris temporibus cuidam accidisse Paduæ, cuidam verò Pisauri ex vehementi percussione capitis, hic magnæ pilæ, illic lapidis, multi testantur; cum tamen in hominibus sic affectis nunquam defuisse videretur imaginatio, & extimatio. Quæ certè multò minus vnquam defuere, aut deficere possunt in his, qui pollent memoria; Siquidem hæc non potest esse, nisi de re phantasiata, vt ita dicam, seu de re, cuius imaginatio, vel extimatio recolitur. Imò hoc ipso, quod memoria supra actum iteratæ sensationis internæ, nihil addat de formali, nisi concipere obiectum, vt hactenus cognitum, inuoluendo priorem cognitionem illius cum tempore; hoc ipso, inquam, supponit, inuoluitque etiam actualem imaginationem, aut extimationem, vt consideranti patebit. Itaque memoria semper supponit potestatem imaginatiuam, & extimatiuam,

De Histor. animal. lib. 7. c. 10.

Lib. 2. de symptomatum caus. cap. vlt.

supra

ſupra quas addit perfectiorem quendam gradum cognitionis iuxta prædictam formalitatem.

Hinc autem rurſus idem probatur, quia modus verſandi circa obiecta, vt hactenus cognita, dicit vſum nobilioris ac defecatioris ſpeciei impreſſæ, vt quæ ex præcedenti ſenſatione interna fuerit modificata,& relicta;necnon dicit etiam veluti reflexionem quandam ſupra cæteras omnes eiuſdem ſenſus interni cognitiones præteritas, vt explicuimus, quæ omnia nobiliorem indicant conditionem potentiæ.

Cap. preceden.

Tertio dicendum eſt, extimatiuam nobiliorem eſſe imaginatiua preſsè ſumpta,prout ſupra explicata eſt. Probatur autem primo ex nobiliori formalitate obiecti. Etenim extimatiua de ſe ordinatur ad attingendam realitatem obiecti iudicando de illo prout eſt, vel putatur eſſe; ita vt ad rem nullam earum, quæ temerè videntur, & concipiuntur, ſed ad id, quod propriè eſt, omnino ſit ex natura ſua conuerſa. Imaginatiua verò non reſpicit, niſi apparentiam cuiuſq. rei obiectæ, ſeu obiectum prout offertur tanquam in pictura repræſentatum, nihil iudicans, num verum ſit, an falſum; ſed falſum perinde ac verum ſibi proponens. Cumque valdè præſtet realitas obiecti omni apparentia illius,ſequitur extimatiuam quoque imaginatiua eſſe præſtantiorem. Accedit, quia cum realitate obiecti plures innoteſcunt ſimul eius circumſtantiæ; pauciores verò cum ſola apparentia. Imo ex circumſtantijs plerumque cognoſcitur aliquid realiter eſſe tale, vel tantum ita apparere. Et ex hoc in ſomnijs cum lateant plurimæ circumſtantiæ, melius animal imaginatur, quàm extimet. Nam tunc ſæpe apparet omnino (inquit Ariſtoteles (putatur autem non omnino,quod apparet. Latius igitur patet, ac nobilius conſtituitur ſecundum ſuam rationem formalem obiectum extimatiuæ, proindeque nobilior cenſeri debet ex natura ſua ipſa potentia, prout tendit ad illud.

De ſomnijs c.3.

Præterea idem probatur ex parte modi, quo huiuſmodi potentiæ in ſua obiecta feruntur. Nam licet vtraque aliquo modo diuidat, & componat; nihilominus imaginatiua, niſi

aliqua diuersimodè effingat in homine, intellectus cooperatione ducta, ac libero voluntatis arbitrio mota, ex natura sua potius ordinatur ad complexam quandam rerum appræhensionem per simplicem quendam, ac materialem omnino intuitum, prout simulacra multifariè iuncta, vel discreta, res ipsas imaginantibus anteponunt. Cum è contra extimatiua de se dicat iudicium per modum assensus, & dissensus, quamuis materiale, & imperfectum, vt propterea à D. Thoma, & alijs appelletur cogitatiua in hominibus, & ratio particularis, qua vnum ab alio discernunt, & verum materialiter exterminant ab apparenti, purgando, & quasi expiando ignorationem à sensibus cæteris contractam, ad intellectus imitationem. Et per eandem extimatiuam, quam in homine Διάνοιαν, & cogitatiuam appellat Auerroes cum pluribus docet, hominem componere, ac diuidere circa singularia, totamq. vitam principaliter administrare. Quod licet sano modo intelligendum sit, vt supra explicuimus; omnino tamen magis extimatiuæ conuenit, quasi componendo, ac diuidendo circa sua obiecta versari, quam imaginatiuæ: qui certè nobilior constituitur procedendi modus absque controuersia in ordine corporearum cognitionum. Quoniam verò, vt infra dicemus, non datur animal, imò nec sensus interior, qui penitus imaginari valeat, & non extimare, sicut è contra, extimatioq. pariter cadat circa obiecta præsentia, quæ euidenter non innotescunt, vt sensibilia per accidens; hinc est, vt sicut naturæ, earumque operationes magna affinitate reperiuntur coniunctæ, ita dignitas vtriusque sæpius confundatur, vel certè difficilius alterius ab altera secernatur.

1.p.q.78. art.4.

Tract.4.c.11.


Ex dictis tamen relinquitur inter sensus interiores specie diuersos, Primum, ac supremum obtinere locum memoriam, Secundum extimatiuam, Tertium imaginatiuam, ac infimum sensum, quem vocant communem.

TRACTATIO SEPTIMA

De ratione, ac diuersitate numerica, seu indiuiduali sensus interioris.


OGNITA communi quidditate, pariterq. multiplicitate sensus interioris secundũ varias rationes specificas, quas potest participare, superest explicandum, num vnus, vel multiplex ille sit in vnoquoq; animali secundum rationem numericam, & indiuidualem, vt non modo per abstractionem prędicatorum vniuersalium, sed etiam iuxta realitatem differentiarum indiuidualium, ac numerum transcendentalem, eius natura exactissimè dignoscatur.

Plures numero sensus interoires in eodem animali à plerisque Philosophis constitui. Cap. I.


X Philosophis, qui adæquatè ac sigillatim cunctas enumerãt rationes formales ac munera sensus interioris, Auicenna, Algazelus, Albertus, & alij in quinque illum distribuunt facultates realiter, ac numero distinctas, seu quinque esse dicunt sensus interiores à parte rei, & in indiuiduo sumptos in vnoquoque saltem perfecto animali; nempe sensum communem, imaginatiuam, extimatiuam, phantasiam, & memoriam: Auerroes autem, quem sequitur D. Thomas, Caietanus, & alij, non nisi quatuor esse docet, sensum cõmunem scilicet, imaginatiuam, quam cum phantasia confundit, extimatiuam, quam in homine appellat cogitatiuam, & memoriam. Galenus verò has omnes potentias ad tres dumtaxat reducit, nimirum phantasiam, seu imaginatiuam, à qua

Galen. de symptom. different. cap. 3.

à qua non discernit sensum communem, rationem, hoc est vim iudicatiuam, & memoriam. Quem numerum constituit etiam Gregorius Nissenus, Damascenus, ac Nemesius. Deinde nonnulli recentiores, vt Fonseca, Conimbricenses, & alij duplicem tantum ponunt sensum interiorem, videlicet sensum communem, & phantasyam, ad quam probant reliquas facultates commodè reuocari. Quamobrem sicut ardua est inter hos omnes Auctores de numero disceptatio, ita varia est vniuscuiusque suæ opinionis probatio. Sed ne tot argumenta ab alijs toties repetita, ac partim à nobis repetenda in confutatione eorum, hic inaniter inseramus, prætereunda modo erunt, ijs tantum retentis, quæ ad probandam in vniuersum pluralitatem sensuum internorum ex communi consensu solent adduci.

Primo igitur plures numero constituẽdos esse sensus interiores in eodem animali, suadet ventriculorum cerebri, eorumq. dispositionum multitudo atque diuersitas. Quippe cum non ob aliud instituisse videatur natura tot cellulas, tot accidentium apparatu, ac varietate dissimiles, nisi vt diuersis facultatibus, diuersæ tribuerentur sedes, ac domicilia ad propria vniuscuiusque munera obeunda, vt hinc, verbi gratia, duo anteriores ventriculi humidiores, & corpulentiores esse comperiantur, quia diuersa temperies, diuersumq. organum videbatur exposci ad imagines rerum percipiendas in præsentia obiecti; diuersæ verò ad easdem in absentia conseruandas. Etenim partes humidæ facilè recipiunt, sed non retinent impressionẽ; è contra verò siccæ difficulter excipiunt, diutius autem custodiunt. Similiter vt hinc cerebellum sit longè ab interioribus ventriculis in occipitio situatum, ne memoria in suo officio cum appræhensione præsentium confundatur; ac ideo medius ventriculus in centro capitis sit locatus, spiritumq. multum contineat elaboratum; nam facultas, quæ præterita cum præsentibus variè debet copulare, aliaq. ab vtrisque diuersa effingere, vtrorumque sedium, ac sinuum confinia pateretur, expeditioremque obtineret sui muneris adiutorem, ac simulacrorum latorem,

rem, prout à multis constituitur spiritus animalis.


Secundo verò probatur ex diuersitate operationum, ac munerum, quæ circa sensibilia dignoscenda interius in animali administrantur. Quandoquidem tàm variæ, ac dissimiles functiones, non videntur ad vnicam tantummodo facultatem posse reuocari, præsertim cum in diuersis animantibus inueniantur separatæ, & in eodem etiam quandoque separentur, vt in somno, cum deficiunt munia sensus communis, manentibus cæteris: & in morbis quibusdam similiter functiones omnes memoratiuæ, vt hactenus dictum est. Nisi enim hæ ad diuersam realiter potentiam pertinerent, nec in eodem, nec in diuersis animantibus deesse vnquam penitus possent quando adsunt reliqua munia; nam omnium sicut vna esset potestas, itá vnum esset organum, & par affectio, siue bona, siue mala ad connaturales suas functiones administrandas; Vel saltem si ex parte, & per accidens in vna functione, potius, quàm in reliquis impediretur: non tamen omnino, & vniuersaliter impediri posset: ea ratione, qua imaginationes, aut extimationes deprauantur per morbos, non autem omnino tolluntur, vt in phrenitide, & quouis delirio obseruatur. At vniuersaliter res non ita se habet; nam sensationes, quæ dicuntur sensus communis, in somno penitus impediuntur, ac similiter in quibusdam animalibus, vel morbis recordationes nullatenus exercentur.

Tertio idem probatur; nam animal immediatè à sensibus externis, & obiectis præsentibus diuerso modo interius immutatur, ac remotè, & in absentia. Similiter diuersimodè ab illis, vt cognitis, vel simpliciter secundum apparentiam, aut realitatem, vt agendo de specificatione, supra adnotauimus; Ergo non per eandem, & vnicam potentiam animal cognoscendo interius immutatur. Patet consequentia; nam si diuersitas specifica potentiarum potissimè sumitur ex diuerso modo, quo immutantur ab obiectis, vt constat ex doctrina Aristotelis, multò magis diuersitas numerica ex eodem principio sumi poterit; Etenim, quod sufficit ad diffe-

ad differentiam essentialem, multò magis sufficiet ad differentiam indiuidualem. Constitutis igitur pluribus speciebus sensus interioris in eodem animali ex diuerso modo, quo immutatur ab obiectis, totidem eius indiuidua constituenda erunt, quæ tales diuersas naturas participent.

Sed hæc argumenta minus firma reperientur, quàm prima facie præseferunt, licet magna omnino sint auctoritate suffulta, neque careant sua probabilitate.

In eodem animali non nisi vnicum dari sensum internum à parte rei. Cap. II.



ROBABILIVS ergo existimamus, vnicum tantum esse sensum interiorem à parte rei in eodem animali, qui iuxta munerum varietatem, ac diuersas rationes formales, quas essentialiter includit, varia nomina sit adeptus, ac in varijs speciebus sit collocatus: ita vt multiplex potentia dicatur tum specie, tum munerum, & operationum fœcunditate. Hanc sententiam amplexati sunt non modo multi ex antiquioribus, & recentioribus Peripateticis, vt sequenti cap. cum doctrina Aristotelis adducemus, sed ex Platonicis, magniq. nominis alij quamplures; Nam D. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 3. & 4. postquam probauit esse quinque sensus externos, docet præter illos dari vnum internum. Item D. Gregorius Magnus 11. moral. cap. 4. sub nomine vnius sensus cerebri, vnicam hanc facultatem adæquatè videtur exprimere cum omnibus muneribus, quæ ab alijs per diuersa vocabula significantur. Ait enim: Cum vnus sit iudex sensus cerebri, qui intrinsecus præsidet, per meatus tamen proprios quinque sensus discernit. Mox verò prosequitur: Et cum per vnum sensum cerebri omnia disponantur &c. quibus certè cunctas ferè sensus interioris functiones comprælendit. Deinde Plotinus eximius Platonicus in vltimo libro. Quæ & vnde sint mala, phantasyam confundens cum sensu communi, illam in homine, inquit, esse

impulſionem irrationalis partis ab externis illatam. Et Syneſius ſimiliter lib. de ſomnijs capite de poteſtate phantaſiæ, illam appellat intimum, ac integrum ſenſum, qui toto ſpiritu audit, videt, ſimiliterq. reliqua valet, diſtribuens vires alias alijs, quæ deriuantur ex animali ſeorſum.

Probatur autem hæc vnitas realis,& indiuidualis præfatæ potentiæ, primò ac principaliter ab vnitate ſubiecti, ſeu organi, cum ſemper ſubiectum in rebus corporeis conſtituatur principium indiuiduationis, iuxta doctrinam Ariſtotelis. Etenim functiones omnes, quæ circa ſenſibilia dignoſcenda ab animali interius adminiſtrantur, in vnico conſtat organo exerceri, in quod, tanquam in ceram, ait Plato, quidquid eorum, quæ aut videmus, aut audimus, aut ipſi excogitamus, & meminiſſe cupimus, inſinuantes, ſenſibus intelligentijsq. veluti anulis ſignantes exprimimus. Hoc autem organum communi iam omnium conſenſu cerebrum conſtituitur,vt infra dicemus; quod cum in quatuor ſinus, ſeu cellulas,aut ventriculos diſtribuatur, ne diuerſa per ſe organa, membra huiuſmodi habeantur, obſeruandum eſt, facultatem illam, quæ ſpiritus animales ad ſenſus exteriores pro opportunitate transfundit, ab eisq. rerum ſimulacra participat, ac in tali munere obeundo ſenſus communis,vt plurimum vocatur, totam cerebri medullam in quatuor ventriculis diſtributam neceſſariò occupare. Quandoquidem ex tota illa, & ex quolibet eius ventriculo coniugationes neruorum progrediuntur per quos ſpiritus animales demitti,ac rerum imagines excipi inferius oſtendemus. Reliquæ igitur facultates ſi realiter darentur diſtinctæ, vel ſitum in cerebro non obtinerent, vel ſimul eas commorari dicendum eſſet; quorum alterum omnino eſt improbabile; alterum vero totam rationem multiplicandi potentias ex diuerſitate ſubiectorum, & organorum euerteret. Corroboratur hoc idem, quia ſi vterque ſinus anterior cerebri, morbo quodam afficiatur, qui & Caros, & Sopor nominatur, quamuis reliqui perſeuerent illæſi, non vnica tantum, aut duplex, ſed ſimul omnes internæ ſenſationes ſtatim impediuntur, ac ſuſpenduntur,

Lib. 5. met. c. 7. tex 9. & 10. & lib. 7. cap. 10. tex. 31.

In 2 beseteto post med.

Lib. 2. tract. 1. cap. 2.

duntur, vt demonstrat Galenus. Indicium est igitur, non vnam, aut duas; sed omnes internas sensationes tanquam præcipua in parte, simul in ipsis anterioribus ventriculis exerceri; proindeq. vnum esse adæquatum subiectum, & organum, eandemq. potentiam, quæ in illo cuncta munia administret. Diximus autem tanquam præcipua in parte, tum propter magnitudinem, tum etiam propter communicationem maiorem, quæ reperitur in his anterioribus ventriculis cum sensorijs externis. Quandoquidem ex ijs nerui vniuersi, qui ad quinque sensus in faciem demittuntur, ortum habent; ex medio, ac posteriori ventriculo, neruis qui ad tactum, & motum inferiorum ac remotarum partium deseruiunt, dumtaxat manantibus. Quamuis ex læsione postremi, vel medij, eadem pariter noxa respectu functionum omnium contrahatur, vt testatur idem Galenus.

4. de loc. affect. cap. 2.

7. de plac. Hipp. & Plat.

Idemque rursus corroboratur quasi à contrario; nam constat per paralysiam, seu quandam resolutionem, aut aliam affectionem factam in cerebro circa ortum neruorum, sæpe alterum ventriculum anteriorem quoad vsum ammitti, absque eo, quod homo sensu aliquo interno, aut externo priuetur. Quod idem contingit quando alter ex his ventriculis collisione aliqua, aut vulnere accepto vitiatur, reliquo manente illæso. Vt Smyrnæ in Ionia cuidam adolescenti accidisse narrat Galenus; cum ne temporis (inquit) momentum viuere potuisset, si vtrumque simul vulnus violasset. Non itaque singuli, ac diuersi sinus cerebri, diuersa sunt organa, diuersasq. sibi vendicant sentiendi facultates: sed vnum est totale organum, vnaq. potentia, quæ per ammissionem alterius tantum ventriculi anterioris, ex eo in nullo penitus munere impeditur. Quoniam ex duobus anterioribus ventriculis nihil alter ab altero diuersum continet, geminiq. nerui ex vtroq; ad singula exteriora sensoria protenduntur, vt singula æquè cum singulis, atque cum vtroque communicent; sufficiatq. vnus, si alterum perire contigerit. Quod eadem ratione natura prouidit, quia duplicem, non verò vnicum oculum instituit, cum absolutè ad videndum vnus sat etiam fuisset.

8. de vsu par. cap. 10.

Epist.68. fet. Quod Basilius Magnus animaduertens. In nobis (inquit) Deus præcipua membra gemina esse voluit, binas aures, oculos, manus, pedes; vt alter alterum, quum necesse est, iuuaret.

Quod si ex læsione facta in quadam parte cerebri secundum aliquam disconuenientem qualitatem, nonnunquã vna solummodo operatio impeditur, non sequitur cęteras operationes alibi exerceri, ac proinde habere organum distinctum; Nam alteratio ibi facta, quæ vnam sensationem impedit, cæteris non necessariò aduersatur. Quemadmodum nõ ex quacũque lęsione stomachi, operationes omnes, quæ in eius ventriculo circa alimentum exercentur à virtute attractrici, retentrici, concoctrici, & expultrici, impediri consueuerunt. Quare sicut læsio, quæ cibi retentionem vitiat, excrementorum expulsionẽ non impedit: ita cerebri alteratio, quæ verbi gratia memorandi actus retardat, simplicem appræhensionem nullatenus variat. Cum alioquin connaturale, ac perfectum temperamentum sit omnibus actionibus accommodatum, vt amplius suo loco ex Platone probabitur. Relinquitur ergo vnum esse omnium internarum sensationum subiectum, vnumque organum; quamuis eius varia dissolutio temperamenti, varijs officijs, non tamẽ eadem omnibus aduersetur.

Secundo eadem vnitas potentiæ principaliter probatur ab operationibus inter se realiter ita connexis, & cõplicatis, ac ita subordinatis, vt à diuersis principijs realiter distinctis, gratis ac frustra dicerentur manare, quãuis diuersas rationes formales includant. Quandoquidem passim contingit, verbi gratia, extimationẽ ferri circa præsentia, præsertim sensibilia per accidens, vt explicuimus, ac præteritorũ memoriam cum præsentium cognitione connecti, & materialiter cõferri, itẽ & imaginationẽ supra euidentiam actualem diuersa effingẽdo, aliquid addere, & similia: Cũq. huiusmodi operationes quãuis formaliter diuersæ, realiter conueniant in hoc, vt omnes sint vsus quidam earundem specierum circa eadem obiecta materialia, hoc vel illo modo dignoscenda, ac ita inter se cõplicentur, vt nec subiecto, nec actione possint omnino separari; non est cur dicamus à diuersis realiter potentijs oriri.

Con-

Confirmatur, quia species haustæ ab externis per sensum communem, recipiuntur & conseruantur in eodem subiecto & organo, in quo est ipse sensus, qui primò vtitur illis; alioquin eius sensatio non esset actus immanens. Cur ergo ipse, si esset realiter distinctus, secus ac reliqui sensus interiores, suis speciebus amplius vti non posset, ac si esset exterior, cuius imagines non perseuerant in suo sensorio? Similiter cum imaginatiua, & extimatiua exprimant suas cognitiones, quarum species impressæ ad vsum memoriæ relinquuntur in suo sensorio; cur & ipsæ suis speciebus in proprio organo impressis vti non poterunt ad iterandas easdem cognitiones? Vel si contingat, eodem tempore circa idem obiectum animal imaginari, extimare, ac recordari per species quas habet de illo, quo pacto eadem simulacra tribus potentijs realiter distinctis, simul tunc deseruirent in eodem subiecto? Fatendum est igitur, vnicam potius à parte rei esse potentiam, quæ prout primo sensibilia percipit simul cum sensibus externis, dicitur sensus communis; prout eadem in absentia, iuxta apparentiam concipit; dicitur imaginatiua: prout eorundem realitatem absque euidentia appræhendit, dicitur extimatiua, ac prout hactenus cognita ipsa recolit, dicitur memoria. Quare sicut cum amicum familiarem videmus, per eandem sensationem internam illum recognoscimus; licet distinguere possimus primum intuitum sensus communis cum visu, extimationem realitatis illius, ac memoriam præteritarum cognitionum, quæ confusè cum illo offeruntur: ita ex parte potentiæ licet huiusmodi rationes formales optimè distinguantur; hoc tamen realem vnitatem illius minimè tollit.

Præterea idem potest confirmari; nam totum regimen vitæ animalis ad discernendas sensationes externas, ad distribuendos spiritus animales, ad applicandas in opportunitatibus proprias facultates, ad subterfugienda molesta, ac prosequenda commoda, vel iucunda, & si quod est aliud vitæ munus necessariò dirigendum; vt plurimum illi sensui à Philosophis demandatur, qui in imperfectissimis quibusq. animalibus reperitur, cuiusmodi est sensus communis, vt

S 3 nulli

nulli eorum desit, quod maximè necessarium est ad propriam vitam traducendam, vt animal est, præuia scilicet cognitione. At si consideretur in hoc regimine, multa inuoluuntur, & implicantur, quæ propria sunt extimatiuæ, memoriæ, & imaginatiuæ, etiamsi cum maxima imperfectione sumantur: ergo vel eadem potentia cuncta munera exercet, nimirum quandoque perfectius, quandoque imperfectius: vel falsò ab omnibus negatur omnis imaginatiua, extimatiua, & memoria quibusdam belluis, vt conchilijs, vermibus, & lumbricis.

Item hoc, quod est percipere tempus, soli memoriæ, vel habentibus memoriam, expresſè conceditur; cum tamen sensus communis percipiendo motum, eiusq. tarditatem, & velocitatem, necessariò censeatur percipere tempus, quo extenduntur partes ipsius motus; vnde huiusmodi etiam cognitiones sunt valdè implicatæ, adeo vt melius dicantur ab eadem realiter potentia manare.

Tertio principaliter probatur hæc vnitas realis potentiæ ab vnitate reali sui adæquati obiecti, quod est sensibile internum; nam licet quodlibet sensibile diuersimodè interius obijciatur, in præsentia, verbi gratia, atque in absentia, cum imaginamur, aut recordamur; nihilominus à parte rei semper est idem, quod obijcitur, & percipitur, siue absens, siue præsens, siue prout realiter in se est, siue prout apparere contingit. Vnde idem calidum, idem coloratum, vel aliud sensibile percipi potest per sensationem communem, per imaginationem, extimationem, & memoriam. Nec est aliqua ratio formalis ex parte obiecti tam propria respectu vnius modi, quo obiectum ipsum percipitur, quæ pariter non sit compossibilis cum alia. Quia talis est subordinatio inter modos, quibus obiecta cadunt sub sensum, vt semper priores in posterioribus, ac perfectioribus aliquo pacto includantur; nam & imaginatio, & extimatio, & memoria versari possunt circa obiecta sub formalitate præsentiæ; sicut etiam extimatio, & memoria versari possunt circa imaginabilia, fictitia illa extimando, vel vt talia recolendo:

& me-

& memoria cõsequenter circa extimabilia, vt iam extimata, sicut circa omnia quouis modo iampridem cognita, & sensata. Cum igitur eadem potentia, quæ perfectiorem modum sibi vendicat tendendi in obiecta, reliquos omnes virtute contineat, ita vt eadem obiecta sub quacumque formalitate suo modo attingat, non est cur illam realiter distinguamus à cæteris potentijs ei secundum nostrum modum concipiendi per distinctionem specificam subordinatis.

Quod si modi illi adhuc diuersi maneant, si omnino conceptus eorum immixtè sumantur, hoc quidem arguit diuersitatem specificam, quæ in potentijs attenditur iuxta rationes formales sub quibus tendunt, & immutantur ab obiectis; non tamen arguit diuersitatem realem, & numericam, ad quam amplius requiritur, vt modi, aut formalitates illæ, sint etiam realiter ab obiectis distinctæ. Qua ratione sensus exteriores constituuntur specie, & numero diuersi, quia corpora per diuersas essentialiter, & realiter formas illos immutant, nec forma coloris, verbi gratia, sub qua tendit visus, cadere potest aliquo modo sub olfactum, vel auditum, ac multo minus subordinari possunt inter se munera vniuscuiusque, vt omnia ab vno dicantur prodire, vt calefactio, & illuminatio solis ab vnica eius virtute simul calefactiua, & illuminatiua.

Relinquitur ergo, sensationes omnes interiores propter vnitatem realem obiecti, ac subalternationem modorum, & formalitatum sub quibus feruntur in illud, ab vnica tantum potentia realiter manare, quæ multiplex dicitur metaphysicè iuxta explicatas diuersitates, sicut actio, & passio; via accliuis, & decliuis; & naturalis potentia, quæ ponitur etiam in specie sensibilis qualitatis.

Quoniam verò non omnis sensus interior in quolibet animali munera omnia explicata exercet, neque sub tot rationibus formalibus circa sua obiecta procedit; imò nec tot sensibilia materialia valet attingere: notandum est, sensum interiorem in vniuersum ita se habere in animalibus, sicut anima in vniuersum se habet in his, quæ viuunt. Porrò in quo-

libet viuente, vna tantũ numero est anima, quæ si vegetare, solũ tribuat, dicitur vegetatiua; at si sentire pariter, & vegetare, dicitur sensitiua; quod si supra hos effectus formales addat etiam ratiocinari, dicitur anima rationalis, quæ virtute, & eminenter duas priores continet. Similiter igitur in quolibet animali vnus est numero sensus interior, qui si præsentia tantùm percipiat, dicitur sensus communis; si verò absentia pariter, prout sunt, vel apparent, dicitur virtus imaginatiua, vel extimatiua; quod si amplius præteritorum, vt quæ hactenus cognouit, dicitur memoria, seu memoratiua. Et quemadmodum anima vegetatiua, ita essentialiter differt à sensitiua, & vtraque ab intellectiua, vt & separatæ earum rationes inueniantur in pluribus indiuiduis, & coniunctæ realiter in eodem: similiter ita quælibet virtus, seu ratio inferior sensus interioris ab alijs essentialiter differt, vt absque perfectioribus reperiatur seorsum, & cum illis in eodem indiuiduo aliàs realiter identificetur.

Eadem vnitas numerica sensus interioris probatur de mente Aristotelis. Cap. III.



IAM verò, quid Aristoteles circa propositam quæstionem senserit, dubitari forsitan posset; videtur enim ex vno capite supponere omnimodam diuersitatem inter aliquos sensus interiores, tum quia 2. de anima circa finem, seorsum, & ex professo agit de sensu communi, deinde de imaginatione, tanquam de diuersa omnino facultate, ac tandem de memoria in peculiari eius opusculo: tum etiam quia lib. de sensu, & sensili cap. 2. ac lib. 2. de partib. animal. cap. 1. & alibi. Sensum communem in corde, vel in parte, quæ cordi proportione respondeat, videtur locasse; cum tamen memoriam, aut imaginationem nunquam in corde locauerit, sed potius in capite memoriam locari insinuauerit circa finem opusculi, quod de ea, ac reminiscentia inscripsit:

nam

nam quibus superiora maiora sunt, hos minus memoria valere tradidit, eo quod pōdus multum in sensitiuo habeāt.

Verum ex alio capite planè colligitur iuxta solidiorem interpretandi modum, nunquam Aristotelem realem distinctionem inter sensus interiores eiusdem animalis admisisse, sed tantum diuersitatem quandam munerum, habituumque, aut passionum eiusdem potentiæ sub diuersis nominibus exposuisse: ac per plures conceptus essentiales in ordine ad illa de sensu interiori sermonem habuisse. Etenim lib. de somnijs cap. 1. Et quidem (ait) idem sensitiuo imaginatiuum: esse autem sensitiuo, & imaginatiuo aliud. Quasi diceret, idem esse à parte rei; formaliter verò siue essentialiter differre. Quandoquidem particula (idem) connotat physicam identitatem potentiæ; particula verò (esse diuersum) connotat formalem, ac essentialem distinctionem, qua sæpe etiam idem distinguitur à se ipso, si variè, ac respectu diuersorum sumatur, vt actio, & passio; via acclinis, & decliuis. Quod certè ipsemet Aristoteles confirmat ibidem paulò post concludens, manifestum esse, quod sensitiui quidem est somniare, huius autem quatenus imaginatiuum. Hoc est quatenus per talem operationem, imaginatiui munus exercet. Quemadmodum eadem potentia intellectiua ab eodem Aristotele etiā opinatiua secundum diuersas operationes paulò ante vocata fuerat, cum dixit. Non est opinantis, neque intelligentis passio hæc, quam vocamus somniare. Simili namque loquendi modo vsus fuit idem Philosophus 3. de anima tex. 29. cum dixit; Non aliud est appetitiuum, & fugitiuum, sed esse aliud est. Ac si diceret, eadem est potentia à parte rei, quæ appetit, ac respuit obiecta; essentialiter tamen diuersa est, si modò, vt appetitiua, modò verò, vt fugitiua consideretur.

Per sensitiuum autem ibi certè Aristoteles significat sensum communem, quem & primum sensitiuum consueuerat nominare, id quod ex eodem loco colligitur; nam sensitiui (inquit) est, somniare, vtique cuius est dormire; nempe sensus communis, vt ipse docuerat cap. 2. de somno, & vigilia.

gilia. Quoniam verò somniare importat circa absentia, ac fictitia quædam versari, idcirco addidit, quatenus imaginatiuum. Quod si sensus communis non esset idem in re cum imaginatiua, nullo modo illius esset somniare per Aristotelem. Rursus autem clarius idipsum omnino docuit de sensu, & sensili cap. 8. in fine, dicens: idem & vnum esse numero sensitiuum omnium, ipsum esse tamen alterum, & alterum; horum quidem genere, illorum verò specie. Quare, & sentiet vtique simul eodem, & vno (scilicet animal) ratione autem non eodem. Quia nimirum nunc sub ratione imaginatiuæ, nunc verò sub ratione sensitiuæ, aut memoratiuæ operatur.

Deinde præclarum est eius testimonium in lib. de mem. & remin. cap. 1. vbi Philosophus primo (inquit) memoriam, sensus passionem, aut habitum esse; rursumq. inferius phantasma etiam communis sensus passionem esse, indeq. colligi, memoriam primi sensitiui per se esse, & cuius imaginatio est. Quare concludit: Cuius igitur eorum, quæ animæ, memoria sit, manifestum est, quòd cuius & imaginatio est. Quibus apertè significat tam actualem, vel habitualem memoriam, quàm actum phantasiæ, seu phantasma, quod vocamus imaginationem, ad primum sensitiuum, seu sensum communem pertinere; quatenus scilicet identicè ad vnam animæ potentiam istæ omnes passiones, & actiones referuntur.

Atque iuxta hæc optimè intelligitur, cur Aristoteles 2. de anima tex. 160. imaginationem, hoc est actum imaginatiuæ; non verò ipsam facultatem phantasticam, seu imaginatiuam definierit; imaginationem asserens esse motum quendam factum à sensu actu; quia nimirum talem facultatem non crederet à communi sensu distinctam. Imo per sensum in illa definitione, vt Philoponus cum alijs Græcis interpretatur, planè intellexit sensum communem; non autem absolutè sensum exteriorem. Alioqui etiam sensatio, quæ dicitur propria sensus communis, esset motus factus à sensu exteriori, prout intromissione specierum excitatur ab illo.

Et sic

Et sic non distingueretur per Aristotelem ab imaginatione; quæ sanè procedit post ipsum primum actum sensus communis, seu illo supposito. Vnde postquam Aristoteles de sensu communi egerat, deque eius prima operatione, quæ versatur circa præsentia simul cum sensibus externis, statim aggressus fuit hanc aliam operationem, quæ versatur circa absentia, & secundum quam phantasma aliquod, hoc est visum, seu apparentiam in nobis fieri dicimus, vt ipse ait tex. 155. Quare tex. sequenti ad distinctionem subiungit, sensum semper adesse, imaginationem verò non semper. Quod minimè dixisset si facultatem illam fore existimasset, quia non minus, quàm cæteras potentias semper adesse supposuisset. Itaque per imaginationem intellexit motionem sensus interioris in actu, secundum quam aliquid intus apparet.

Præterea his omnibus consentanea sunt, quæ docuit 2. de anima tex. 32. & 162. & lib. 3. tex. 48. in quorum primo loco dicitur, quædam animalia sola imaginatione viuere, quod apertè falsum esset, & contra ipsum Aristotelem, si imaginatio ab eadem potentia sensus communis non prodiret; cum sensus communis ab ipso nulli animantium denegetur; Et in secundo loco significatur, animalium operationes secundum imaginationem dirigi, brutorum quidem semper, quod mente careant; rationalium verò cum ea non vtuntur; vnde tertio loco imaginationem ponit inter principia prosecutionis, & fugæ; dum appetitum ad vtrumque excitat. In quibus certè inuoluitur tam munus sensus communis, quàm extimatricis facultatis, proindeq. falsa illa essent, si nomine imaginationis, quamlibet sensationem internam tanquam ad eandem potentiam numerò pertinentem non compræhenderet. Quare in proœmio librorum metaphysicæ postquam dixisset de prudentia, qua nonnulla animalia gubernantur, cætera inquit imaginationibus, ac memorijs viuere.

Hanc interpretandi rationem tenuit primò vniuersa Græcorum familia, secutiq. sunt alij tum veteres, tum recentiores Peripatetici, qui explicatam vnitatem realem sensus in-

terni

terni eodem animali tuentur. Nam Philoponus in sua Theoria exponens textum 144. Aristotelis 2. lib. de anima: Idem, inquit, imaginatiuum dicit, & sensum communem. Et Simplicius in tex. 153. Imaginationem, ait, iuxta sensum Aristotelis ad memoratricem facultatem pertinere: cum paulò ante de propria sententia dixisset, animal secundum imaginatiuam; & sensum communem, eodem organo vti, non quatenus sensitiuum, sed quatenus phantasticum. Quod & Alexander docuit primo de anima cap. 19. cum ait. Vis autem phantastica, subiecto quidem eadem est cum sentiente, sed ratione differens, quod quatenus sentiens circa præsentia sola operatur; quatenus autem phantastica circa absentia quoque. Item ac Themistius lib. 1. de mem. & remin. c. 10. Phantasiam, inquiens, & memoriam subiecto eandem esse, quod vtraque communis sensus affectio sit. Vnde cap. 6. eadem, dixerat, de mente Aristotelis nos animæ particula recordari, qua sentimus.

Alensis verò 2. par. quæst. 70. memb. 2. docuit, sensus internos verè non esse plures potentias, quamuis ob diuersitatem modi operandi, plures dicantur. Idemque tenent doctissimi recentiores, Ruuias, Dandinus, & alij.

Ad rationem autem dubitandi in contrarium de mente Aristotelis, dicendum est, seorsum in illis locis ipsum Philosophum de sensu communi, de imaginatione, ac memoria tractasse secundum diuersos conceptus essentiales, ac diuersos modos operandi eiusdem potentiæ, ea ratione, qua seorsum pariter egit de actione, ac de passione in diuersis prædicamentis; ac de calore, vel simili, quatenus naturalis potentia, & impotentia, & quatenus sensibilis qualitas seorsum sub diuersis speciebus qualitatis. Quod autem sensum communem posuerit in corde, & memoriam in capite, non omnino constat, vt commodius infra discutietur, cum de sede, & organo huius potentiæ sermonem instituerimus.

Lib. 2. tract. 1. cap. 2.

Satisfit obiectionibus contrarijs. Cap. IV.



VNC autem ex dictis soluenda sunt argumenta supra in contrarium facta, & ad primum dicendum est, cunctos cerebri sinus, aut ventriculos, vnum constituere adæquatum, ac integrum organum: siquidem omnes inter se propinqui, ac subordinati sunt, similemque continent quasi medullæ substantiam, atque ex omnibus soboles progrediuntur neruorum, prout ad functiones sensus communis, receptionemq. cunctarum imaginum opus erat; omniaque propterea munia internarum sensationum ibidem exerceri; secus ac de externis sensationibus experimur; quæ sicut organa sortiuntur distantia, ac inter se omnino independentia, & separata, ita singulæ secundum species suas in singulis sensorijs exercentur, singulasque postulant facultates, à quibus exerceantur. Quod si diuersa sit ventriculorum temperies, vtpote molliores reliquis anteriores, ac densior, & siccior postremus: similiterq. diuersa sit capacitas, & magnitudo cum reliquo accidentium apparatu: hoc planè non organorum diuersitatem, sed partium aptitudinem potius arguit, ad componendum vnum ac integrum organum. Siquidem his omnibus eadem potentia indiget ad excipienda, & conseruanda varia simulacra, quæ sicut durioribus, aut mollioribus neruis pro sua qualitate naturæ interius perferuntur; ita humidiori, aut sicciori medulla indigent, vt connaturalius conseruentur. Non enim paruã habet similitudinem intima illa neruorum substantia, quæ veluti arborum medulla duabus membranis tanquam duplici cortice obuoluitur, cum substantia seu medulla cerebri, vnde oritur. Et visa est natura adaptare temperamentum vehiculi cum temperamento sedis iuxta diuersa simulacrorum genera; quia non vniuscuiusque generis eadem est exigentia dispositionum in subiecto. Nam tactilium simulacra, præsertim quæ ab inferioribus partibus corporis veniunt, plurimo

plurimo indigent spiritu animali, solidioriq. substantia, tam in cerebro, quàm in neruis: colorum verò, ac cæterorum sensibilium, tenuiori, & crassiori. Et quod attinet ad facilitatem, vel difficultatem impressionis, aut conseruationis, vt optimè Fernelius cum Theophilo aduertit, sat est, eandem organi partem tali affectam esse temperamento humiditatis, ac siccitatis, vt non difficile imagines recipiat; receptas verò diu conseruet. Non ergo ob diuersitatem qualitatum, quæ in diuersis ventriculis obseruantur, diuersa ex illis constituenda sunt organa; ac proinde multiplicandæ sunt facultates, quæ in illis operentur; cum vnum sit totale organum, vnaq. potentia, quæ in vno ventriculo quasdam, in alio verò alias imagines excipit, & conseruat, atque omnes in alio cum opus fuerit, confert. Quare non rectè sensus communis ab aduersarijs in anteriori parte cerebri collocatur; memoria verò in posteriori, & sic de alijs. Id, quod optima etiam obseruatione confirmatur. Nam præclaros viros nouimus, qui in anteriori parte cerebri aliquando percussi, magnam memoriæ noxam experiere; nullam verò reliquarum sensationum, quod non ita fuisset, si memoria non nisi in posteriori parte, quæ cerebellum dicitur, exerceretur.

Ad secundum respondetur, separationem internarum functionum circa sensibilia dignoscenda, siue in diuersis animantibus, siue in eodem variè affecto, non necessario arguere diuersitatem potentiarum in indiuiduo; tum quia etiam munera animarum vegetatiuæ, & sensitiuæ reperiuntur omnino separata in plantis, & in brutis, & nihilominus ab vnica anima intellectiua administrantur in homine; tum etiam quia opus, quod exercetur medio instrumento, quando impeditur in parte, non arguit partitionem potentię, sed alterationem aliquam in instrumento. Vt cum in ventriculo vitiatur, vel impeditur concoctio alimenti, non impedita retentione, vel expulsione, propter alterationem quandam ibi factam, quę non omnibus officijs eiusdem potentię obest. Sic igitur, siue per somnum impediatur munus sensus communis, siue per morbum quendam hoc vel illud officium,

circa

circa memorabilia, aut imaginabilia, vt ſæpe adduximus ex Galeno: Ex hoc tamen non conuincitur, huiuſmodi munera ad diuerſas numero potentias pertinere. Idemque dicendum eſt in ijs animalibus, quæ cum tali interioris ſenſorij diſpoſitione, ac naturali conſtitutione naſcuntur, vt ad quædam duntaxat, non ad omnia valeant ſentiendo pertingere; Quamuis magnum diſcrimen ſit, memoria, verbi gratia, per accidens priuari, ac illa naturaliter carere; nam primum dicit ſolam alterationem organi, ſecundum verò dicit ſpecificam diuerſitatem potentiæ, cui iuxta munera, quæ debet obire, diuerſa adaptantur naturalia inſtrumenta. Verum nec vnum, nec aliud tollit, quin operationes quotquot illæ ſint in eodem indiuiduo excitatæ, ab eadem numero potentia oriantur.

Ad tertium reſpondetur, ſpecificari quidem potentias per diuerſum modum, quo ab obiectis immutantur; non autem ſimul per idipſum indiuiduari; nam ad hoc amplius requiritur diuerſitas ſubiecti, vel organi, ac independentia vnius modi ab alio, quod perſpicuè apparet in ſenſibus externis, quorum quilibet non ſolum diuerſimodè, ac alius immutatur; ſed diſtincto, ac ſeparato penitus vtitur organo, abſque ſubalternatione vnius modi, vel actus reſpectu alterius. Quod minimè contingit interius, vbi licet ſenſus diuerſimodè operetur, & immutetur verſando circa ſua obiecta; omnino tamen omnes ſenſationes in eodem organo elicit cum ſubalternatione, & complicatione, quam ſupra explicauimus. Quare ad conſtituendas plures potentias numero diuerſas, non tam modos, quibus immutantur, diuerſos, quam ſubiecta, & organa diuerſa, actusq. non ſubalternatos oportebat adducere. Et hac ratione viſus vnius animalis, quamuis eodem prorſus modo immutetur, ac viſus alterius, ſola diſtinctione ſubiecti indiuidualiter, ac numero differt ab illo; cum è contra virtus natiua ventriculi, quamuis diuerſimodè immutetur per attractionem alimenti, per concoctionem, aut expulſionem; quia tamen eodem inhæret ſubiecto, eodemque vtitur inſtrumento ſpiritus vitalis

cum

cum subalternatione suarum operationum; ideo non multiplex, sed vna constituitur numero realis potentia.

Differentiam indiuidualem sensus interioris quandoque maiorem, vel minorem perfectionem illius includere. *Cap. V.*


VONIAM vero sensuum interiorum, non modo plurimorum animalium specie differentium, sed & aliorum, quæ solo numero distinguuntur, tanta est varietas, tantaq. in explicatis muneribus obeundis disparitas, vt plus quãdoque indiuidua inter se, quàm species ipsas discrepare videantur ad inuicem. Explicandum superest, num omnes sensus interiores eiusdem speciei, vt in hominibus, vel in equis, eiusdem pariter dignitatis, ac perfectionis indiuidualis censendi sint, solaq. organorum maiori, vel minori aptitudine, ac dispositione diffideant; an verò intrinseca quoque perfectionis disparitate, quæ cum differentia indiuiduali, ac numerica inuoluatur.

Qua in re primò dicendum est, frequentius sensus interiores eiusdem speciei, quoad perfectionem operationis inter se discrepare sola diuersitate corporeæ organizationis, primarumq. qualitatum, non eadem temperie. Id quod apertè colligitur ex generali doctrina Aristotelis 1. de anima tex. 64. & lib. 2. tex. 92. & sect. 31. problem. quæst. 14. Et certo indicio quisque potest probare si diligenter attendat quàm variè idem numero sensus interior eiusdem animalis in diuersis locis, temporibus, & affectionibus constitutus valeat operari. Nam & eundem hominem experimur, nunc promptiorem, interius sentiendo, inueniri; nunc verò segniorem; nunc morbo aliquo, humorumque dissentione, aut commotione, ingenij ac memoriæ excellentiam ammittere; nunc verò purgationibus quibusdam, locorum, vel aeris mutatione conualescere, & in pristinum redire: nunc organorum, & in-

& instrumentorum exiguitate, vt in infantia, ac pueritia, in multis sensationibus præpediri: nunc verò ampliora organa assecutum, perfectius operari, vt in iuuentute, aut virilitate. Quod si idem numero sensus hanc diuersitatem patitur ratione organizationis, ac temperamenti in eodem animali, vt fusius, ac magis in particulari infra dicetur; Quanto magis plures numero sensus in animantibus tum numero, tũ etiam specie diuersis, eandem disparitatem propter eandemq. rationem patientur? Siquidem non parua obseruatur differentia inter organizationẽ cerebri humani, & aliorum quantumuis perfectorum animalium: & inter organizationẽ vnius, atque alterius belluæ siue diuersæ, siue eiusdem speciei, quod pariter de temperamẽto ex multis indicijs apertè colligitur. *Lib. 2.*

Secundo tamen dicendum est, nõ omnes sensus interiores solò numero diuersos, necessario æqualis esse perfectionis indiuidualis, quamuis in dignitate, ac perfectione essentiali, seu ratione specifica, omnes omnino pares illi sint; atque hinc etiam diuersitatem, ac disparitatem sensitiuarum operationum nonnunquam procedere. Fundari autem potest hęc assertio primò in opinione satis probata de inęqualitate animarum intellectualium quoad perfectionem indiuidualem; nam consequenter illa extendi potest etiam ad animas sensitiuas: ac si huiusmodi animæ ponantur inęquales in perfectione indiuiduali; negari non posset in potẽtijs quoque illarum nonnulla disparitas, cum quælibet facultas animæ, ipsius perfectionem secundum proportionem sui esse in omnibus comitetur, ac digniori substantiæ virtus melior in suo genere debeatur ad operandum, quando ex se illam sibi vendicat tanquam propriam passionẽ, vt in proposito contingit loquendo de sensu interiori, qui præcipua est facultas animæ sensitiuæ. Probatur autem inęqualitas animarũ intellectualium quoad perfectionem indiuidualem multis argumẽtis, tum à Thomistis ferè omnibus cum D. Thoma, tum ab Aegidio, Alberto Magno, Riccardo, & Abulensi cum alijs, Adestque auctoritas Doctorum Parisiensium, qui animarum æqualitatẽ articulo quodam damnauerunt, vt refert Henricus Gandauensis, & Durandus. Quoniam, inquiunt, alioquin anima Christi Do- *Henr. Gandau. quodlib. 3. q. 5. Durand. in 2. dist. 32. q. 5.*

T mini

In 2. dist. 21. q. 2. art. 1. mini non esset perfectior anima Iudæ. Et D. Thomas affirmat, animam primi parentis perfectiorē fuisse, quàm animam Euæ, propter proportionem, quam seruabat ad corpus, quod perfectius erat. Vnde S. Doctor vniuersaliter tradidit, vnam *Distin. 32. q. 2. art. 3.* animam in sua creatione, tantò esse alia nobiliorem, quantò nobilius est corpus, ad quod destinatur ratione suæ organizationis, ac temperamenti. Manifestum est enim (alibi etiam *1. p. quest. 85. art. 7.* inquit) quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam. Quibus accedit illud Salomonis. *Sapien. 8.* Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam, vbi de bonitate, ac perfectione naturali omnino sermo esse videtur.

Deinde inæqualitas sensuum internorum quoad indiuidualem perfectionem, immediatè suadetur ex eo, quod sæpe in corporibus æquè dispositis, in quibus nullū prorsus discrimen apparet in temperamento, aut membrorum organizatione, siue alijs, quæ ad sentiendi munia quoquomodo deseruiant, magna reperitur internarum sensationū disparitas in modo, ac perfectione operandi, etiam secluso omni habitu acquisito, aut alia ratione diuersificante. Vt perspicuè nonnunquam obseruari potest in simillimis natis præsertim gemellis, qui estò sint eodem sanguine procreati, ab eisdem parentibus editi, eodemq. alimento enutriti, ac eodem in solo vitam traducant: ex quibus nulla temperamenti, aut organizationis appareat, vel excogitari possit diuersitas: Vnus tamen magis memor, alius magis obliuiosus conspicitur; solers vnus, alter ignauus; tantaq. est in illis varia cognitionum, morumq. aptitudo, atque conditio, vt Galenus libro Quod animi mores cap. 2. certò concluderet, illos non minus animorum essentia, quam proprijs actionibus discrepare: & in cap. vlt. eiusdem operis simili peracto discursu. Quid enim, inquit, commune est inter beneuolum puerum, & inuisorem; inter misericordem, & malis alienis insultantem; omnia timentem, & audacem; stupidissimum, & sagacissimum, veridicum, & mendacem? Fatendum est igitur, inter sentiētes facultates interiores vnius, atq; alterius, sicut & inter ipsas facultates, & animas intellectiuas, quandoq; magnū esse discrimen perfectionis in indiuiduali vniuscuiusq; differētia inclusum,

ſum, ex quo diſparitas huiuſmodi operationũ per ſe oriatur.

Quod ſi Ariſtoteles locis in prima concluſione citatis, defectum, aut præſtantiam operationum, quæ ab eadem potentia ſecundum ſpeciẽ exercentur, ſoli defectui, aut perfectioni organorum adſcribendam putauerit, profectò non abſolutè, ſed vt plurimum ita eſſe, intelligendum eſt. Illud tamen hic adnotando, quum in ſubiecto ęque diſpoſito meliores operationes cognoſcitiuas exerceri videmus propter maiorẽ perfectionem potentiæ, id non eſſe à natura intentum; ſed per accidens contingere, cum ex ſe perfectior potentia ad perfectius ſubiectum ordinetur, licet hoc poſſit per accidens contrariũ à maiori ſua perfectione degenerare, abſque eo, quòd ſimiliter degenerent operationes, in quibus ſemper emicat maior perfectio potentiæ, niſi notabiliter ab imperfectione ſubiecti impediantur, vt in amentibus, & obliuioſis.

A priori autem idem probatur; nam quemadmodum genera contrahuntur per differentias ſpecificas, in quibus vt plurimum includitur aliqua ratio inæqualis perfectionis, ita etiam ſpecies contrahuntur per differentias indiuiduales, in quibus includitur, vel ſaltem includi poteſt aliqua ratio inæqualis perfectionis. Sub eadem igitur communi natura ſpecifica ſenſus interioris quandoque dantur, vel dari poſſunt ſenſus interiores, magis vel minus perfecti, ratione ſuæ intrinſecæ differentiæ indiuidualis.

Nec ſequitur ex hac doctrina, vt aliqui putant, ſenſus interiores, aut cætera indiuidua vlterius contrahi, ac diſtingui eſſentialiter poſſe per gradus perfectioris, aut imperfectioris entitatis, tanquam per alias differentias eſſentiales in alias vlteriores ſpecies (quod planè abſurdum eſſet, totamq. indiuidui rationem euerteret) Quandoquidem in propoſito ita ſupponitur natura communis ſenſus interioris contracta ad indiuidua, vt ſolum comparentur differentiæ indiuiduales illius inter ſe, quatenus æquales, vel inæquales perfectiones includunt. Cumq. omnis huiuſmodi perfectio, ſiue æqualis, ſiue inæqualis reſpectu alterius, ſemper ſit aliquid incluſum in differentia indiuiduali, intrinſecè connotans ſingularitatem; nullo modo contrahere vlterius poteſt naturã tanquam

differentia essentialis, quæ certè debet esse vniuersalis, & habere rationem prædicati superioris. Quod si abstrahi dicatur sola inæqualitas, tanquam differentia vniuersalis, adhuc nihil cõcluditur, quia talis differentia caderet supra perfectionem singularem ipsius naturæ indiuiduatæ, tanquam supra genus vlterius contrahendum: nullum autem singulare potest habere rationem generis, quod est vniuersale, nec prædicata abstracta contrahunt, ac determinant singularia; sed potius contrahuntur, ac determinantur ab illis per suas differentias indiuiduales. Gradus igitur perfectionis indiuidualis, licet sit similis, aut dissimilis; æqualis, aut inæqualis alteri; eius tamen conceptus non est communicabilis tanquam vnum participatum à pluribus, quia semper inuoluit intrinsecam singularitatem, quæ communicari non potest, nec abstrahi tanquam natura vniuersalis.

Contra tamen obijci potest, quia datis nonnullis sensibus interioribus ęqualibus in perfectione indiuiduali, sequeretur plus eos differre ab alijs inęqualibus, quam ad inuicem inter se; ac propterea naturam omnibus communem habiturã rationem generis, vel speciei subalternę; perfectionem verò diuersam, rationẽ differentiæ contrahentis, per quam æquales conuenirẽt inter se, & distinguerentur ab alijs. Sed facilè occurritur dicendo, maiorem perfectionẽ aliquorũ sensuum internorum, nullum conceptum omnino distinctũ ac nouũ addere supra naturam specificã illorum, sed tantum prędicatum quoddã transcendentale, quo eadẽ natura exprimitur magis talis. Nã sicut perfectius calidum, dicitur quod est magis calidum, ita perfectior memoria, verbi gratia, dicitur eius, quod est magis memoratiuum; quãuis hic non intercedat propria intentio qualitatis. At differentię essentiales aliquid omnino diuersum debent addere, & non tantũ reddere idem magis, vel minus tale: nam ideo ab Aristotele dicuntur conceptus omnino simplices, & extra essentiam generis cui addũtur ad constituendas species diuersas. Cum itaque maior perfectio indiuidui semper inuoluat eandem naturam indiuidualem, nullo modo poterit illam vlterius contrahere, sicut nec magis, & minus, vllam speciem valet mutare. Quod si dicatur

hoc

hoc de solis qualitatibus verificari, cum sint aliæ naturæ, quę penes maiorem, aut minorem virtutem operandi, constituuntur essentialiter diuersæ, vt in Angelis, qui ex hoc à pluribus dicuntur omnes specie diuersi. Respondetur, maiorem, aut minorem virtutem operandi non esse differentiam specificam, sed quid consequens ad illam, ratione cuius illa quando alias est incognita, nobis innotescit; & hoc sensu verificari posse illud de Angelis.

Verùm adhuc instari posset, quia saltem per huiusmodi inæqualitatem perfectionis, indiuidua differunt plusquam solo numero, quemadmodum differunt ea, quæ talem inæqualitatem non includunt. Respondendum nihilominus est, indiuidua dici solo numero differre propter indiuisibilitatem eiusdem naturæ specificæ, quàm includunt; ita vt quēadmodum quaternarium hoc differt ab alio quaternario, ita hic homo differat ab alio homine: nam vterque homo includit eundem indiuisibilem numerū prædicatorum essentialium. Sic enim 3. met. c. 1 1. explicatur commune illud axioma; Essentias rerum cōsistere in indiuisibili; illudq. Aristotelis negātis prius, & posterius in indiuiduis eiusdem speciei, hoc est magis, & minus in perfectione specifica, & essentiali illorum. Alioqui ex hoc nō concluditur differētias indiuiduales inclusas in singularibus, necessariò esse eiusdem indiuisibilis rationis, cū habere possint suam latitudinem perfectionis trāscendentalis, & entitatiuæ intra fines suæ propriæ speciei. Quemadmodum pariter differentiæ essentiales diuersos habēt gradus perfectionis infra genus, sub quo constituunt proprias species, absque eo quod naturæ illæ specificæ per inæqualem perfectionem differentiarum, quas includant, differant plusquam specie. Nec apparet, cur Deus non possit producere animam similiorē in substantia animæ Christi, quàm sit anima Petri, vel Pauli: vel intellectum, aut sensum similiorem intellectui, aut sensui Platonis, quàm fuerit intellectus, ac sensus Aristotelis; sicut potest producere animal homini similius, quàm sit Centaurus, aut Sirena. Quod si semel concedatur maior, vel minor differentia, & similitudo indiuidualis in substantia rei, statim & opti-

mè intelligitur in illa differentia includi posse aliquam inæqualitatem perfectionis.

Tandem contra prædicta afferri etiam potest, quia consequenter in omnibus indiuiduis daretur talis inęqualitas perfectionis: Quod non videtur admittendũ, quia sequeretur omnes effectus singulares perpetuò degenerare à suis causis; cum enim inæquales processuri essent, nec effectus nobiliores esse possint sua causa principali, non nisi ignobiliores necessario procederent. Sed huic quoq; argumento occurritur, negando in primis paritatem rationis; non enim in omnibus indiuiduis eadem præbetur occasio affirmandi inæqualitatẽ perfectionis ex diuersitate operationum modiq. operandi, quem ex se sibi vendicent, vt per se patet. Deinde negando sequelã. Nullatenus enim sequeretur, omnes effectus inæqualis, ac proinde minoris fore perfectionis, quàm sua causa; quia non omnia indiuidua necessariò essent inęqualia; sicut non ponimus omnes sensus interiores necessariò inæquales in perfectione singulari. Nec verificaretur degeneratio in perfectione specifica, prout ab omnibus putatur inconueniens. Quare cũ dicitur causam vniuocam producere effectum sibi similem, intelligendũ est in perfectione specifica. Alioquin in perfectione indiuiduali, nullum est inconueniens, causam aliquando producere effectum deteriorem, aliquando verò se nobiliorem: vt experimur tàm in plantis, quàm in sensibilibus plurimis, cum agens eleuatur in operando ab optimis dispositionibus, quibus postea debetur maior concursus primæ causæ; nam per hoc non tollitur maiorem perfectionem productam cum effectu, esse de intrinseca entitate illius indiuiduali. Inficiandum igitur non est, quandoque sensus interiores intra latitudinem perfectionis essentialis, inæquales procedere in dignitate, ac præstantia singularis entitatis, cum ex hoc nullum sequatur inconueniens, aut absurdum, vt vidimus.

Hactenus autem de ijs, quæ ad essentialem, & indiuidualem constitutionem huius potentiæ pertinere videbantur: Deinceps verò sequitur, vt de ijs, quæ ad accidentalem eius constitutionem pertinent, dicamus.

LIBRI PRIMI FINIS.

DE INTERIORI SENSV LIBER SECVNDVS.

In quo ea continentur, quæ ad accidentalem constitutionem illius pertinent.

PRAEFATIO.



VAE supersunt de interiori sensu explicanda, omnia profectò ad accidentalem eius naturam, variamque aptitudinem spectant: Sed non minus necessaria extimanda sunt, quam illa, quæ in superiori libro de essentiali eius constitutione tradidimus ad exactam de ipso cognitionem adipiscendam, multaq. præclara de hominum, brutorumq. animantium natura percipienda. Quippe cum tanta sit istiusmodi potentiæ quoad habilitates quasdam, modumq. operandi ex diuerso accidentium apparatu, organizationeq. subiecti, orta varietas, vt difficile admodum videatur, eundem specie sensum tot tamq. distantes admittere aptitudines, ac proprietates, cum in diuerso, tum in eodem genere animalium. Qua enim perspicacitate, ac sagacitate sensus hominis, omnium animalium diuinissimi, sensibus reliquorum longè non præstat, diuersumq. se prorsus non præbet? Vel qua solertia prudentissimum Elephantorum genus, à stolidissimo omnium quadrupedum ouili genere, vt obser-

De Histor. animal. lib 9. c. 3. & 46. uat Aristoteles, non secernitur? Quid si inter marem, & fœminam in vnoquoq; genere, vt idem Philosophus animaduertit, *Ibid. c. 1.* hoc pariter natura distinxit, vt ingeniositate, astutia, ac memoria, mas ab illa superatus; prudentia ac magnitudine animi eam ipse omnimodò antecellat? Et quid inter sensum interiorem vnius, atque alterius hominis non interest, cum ex eo vir sapiens à fatuo, acutus à rudi, ingeniosus ab inepto discernatur, longiusq. videatur abesse, quam brutum *Cicero lib. 1. offic. post med.* quodlibet ab alio bruto? Vt hinc meritò dixerit Tullius quosdam esse homines, non re, sed nomine tantum: Etenim quos egregio natura extruxit ingenio: in ijs à pueritia senectus mentis elucet, viget semper acumen, nec varietate, aut multitudine rerum obtunditur, sed ad omnia semper se præbet paratum; Contra vero, quorum obtusior est acies, & imbecillior sensus; ij circa pauca tantum, ac rudiora versantur, & scientiarum studijs, tempore, & exercitatione, quibus erudiri debuerant, infatuantur; Estq. illud discrimen, quod *Tuscul. quæst. lib. ante med.* Cicero adnotauit; Nam ingeniosi, & acuti, velut æs Corinthium in æruginem, sic illi in morbum animi, & incidunt tardius, & recreantur ocyus. Denique nec idem homo quoad internas huiusmodi cognitiones à se ipso quandoque non differt, si in Infantia, vel adolescentia, Iuuentute, aut senectute, in ægritudine, vt frenitide, ac delirio, aut sanitate, somno, aut vigilia consideretur, vt perspicuè fusiusq. tra- *Lib. Quod animi mores &c.* dit Galenus. Quæ omnia, & si qua sunt eius generis discrimina, non nisi ad accidentalem variamq. sensus interioris, eiusq. organi aptitudinem referuntur. Quandoquidem animæ, nec crescunt cum paruulis, nec fatuis aliæ varia *Cassiodor. de anima cap. 12.* discretione tribuuntur, ait Cassiodorus; Nec denique sensus ipse interior, ætate, aut ægritudine permutatur; sed Organorum multiplici dispositione, ac varietate, aut viget, & acuitur aptitudine, aut hebescit & obtunditur eorum contrarietate. Dignum igitur, cunctisque hominum conditionibus vtile, atque iucundum existimauimus, tantæ varietatis causas Philosophico more, ex peculiaribus dispositionibus organorum inquirere, vt quisquis se supra

pra

pra se eleuando, se cum cæteris tanquam in statera possit perpendere, suamque, qua præstat, vel subiacet aptitudinem, in diuersis ætatibus, atque temporibus aptè discernere. Quod cum Platone omnes illi Philosophi magnifacere tenerentur, qui se, suaque dignoscere, iuxta Delphicum illud Oraculum Apollinis templo inscriptum tantopere commendarunt, vt idem Plato refert in Alcibiade. Et quamuis hoc sit quidem vel maximum, animo ipso animum videre, vt ait Cicero; ac sensus Interioris ministerio varias eiusdem sensus aptitudines perspectas habere; eodem tamen, quo suprà, pacto, & ordine, vt in primo libro Veterum principijs, & obseruationibus inhærendo, quæ vera ac noua poterimus, tentare, & explicare, conabimur. *Alcibiad. 1. circa finem. Tuscul. quæst. lib. 1. ante med.*

TRACTATIO PRIMA

De propria Sede, & Organo Sensus Interioris in vnoquoque animali.



VM omnis passio, omnisq. accidentalis, ac varia sensus interioris perfectio, de qua nobis agendum erit, ex Organo, seu subiecto illius variè disposito præcipuè oriatur, ab hoc initium sumere debuit præsens consideratio. Determinandum igitur erit, quodnam, & quale sit ipsum subiectum in vnoquoque genere animalium, quasque in illis differentias patiatur; Nam sicut essentialiter conuenit huic sensui, dicere ordinem ad subiectum, & connaturale sibi organum, prout forma accidentalis est, & potentia organica; ita ad accidentalem eius perfectionem, & aptitudinem spectat, habere organum, hoc vel illo

vel illo modo dispositum, in hac vel illa specie animalium, ac iuxta dispositionem illius, diuersam aptitudinem sortiri ad operandum.

Quibus rationibus videatur sensum interiorem perfectorum animalium in corde esse locandum.

Cap. I.



T autem exordiamur ab organo sensus interioris hominum, aliorumque perfectorum animalium, quæ sanguine præditis corporibus potiuntur, notandum est, duo tantum in illis esse præcipuè membra, de quibus dubitari rationabiliter potest, quodnam potius ex alterutro ad hoc munus natura delegauerit: nempe cor, & cerebrum. Et quidem inter Philosophos valde olim percrebuisse videtur sententia, quæ facultatem hanc, saltem prout sensus communis vocatur, præscriptaq. ei superius opera exercet, in corde locabat: Cuius propterea fundamenta breuiter hic ante omnia expendenda censuimus.

Primum igitur fundamentum, fuit communis quædam hominum de cordis principatu existimatio, qua non modo ei referebatur vitalium omnium functionum origo; sed & animalium, ac rationalium quoque motionum principium, prout animus ipse, vel animi sedes, ac mentis domicilium dicebatur; vt licet videre apud veteres Philosophos, atque Poetas. Nam hinc excordes, vecordes, concordesq. homines dicti sunt, ait Cicero, & egregiè cordatus homo Catus Aelius Sextus; & Lucretius quandoque curas cordi tribuit, sicut hactenus hebetudinem, & sagacitatem, nam libro quarto cecinit:

Tuscul. quæst. lib. 1. non longè ab initio. Lucret. lib. 3.

Id licet hinc quamuis hebeti cognoscere corde.

& libro quinto.

Ingenio qui præstabant, & corde vigebant.

Et Ennius, vir triplici corde fuit appellatus, eo quod trium

Idio-

Idiomatum cognitione calleret. Nec in sacro eloquio desunt loca, in quibus cor pro mente, aut principio internarum cognitionum in illo residente iuxta communem, & vsitatum loquendi modum accipiatur, vt sunt omnia illa loca sacrę Scripturæ, in quibus solius Dei esse dicitur secreta cordium scrutari, atque cognoscere, hoc est consilia, & occultas cogitationes, vt communis habet sanctorum Patrum expositio. Et in Euangelio Matthæi expresè dicitur. De corde exeunt cogitationes; Et vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Sicut & in Marci Euangelio. Ab intus de corde hominum malæ cogitationes procedunt.

2. Paralip. 6. Psal. 7. Sap. 1. Matth. 15. & 9. Marc. 7.

Secundum verò fundamentum fuit auctoritas Zenonis, Chrysippi, aliorumq. sectatorum illius, qui principatum cordis in omnibus acerrimè tuebantur. Item Aristotelis; qui pluribus in locis expresè docet, sensuum omnium, ac motuum principium esse in corde, vbi fontem constituit totius virtutis naturalis, vitalis, & animalis, omniumque sensoriorum, commune sensorium, certumq. est sensum interiorem, vel esse ipsum principium sensuum reliquorum, vel ibi residere, vnde sensus reliqui, ac motus voluntarij sumunt initium. E contra verò, ipsemet Aristoteles, vt rectè animaduertit Vallesius, cerebrum nullam vim sentiendi, aut cum partibus, quæ vim obtinent sentiendi, continuitatem habere dixit, non aliter, ac quoduis excrementum, sed solum ad temperandum calorem cordis à natura datum esse, vtpotè in se frigidissimum. Id quod expressis verbis videre est, præsertim secundo de partibus animalium cap. 7. & 10. & c. 2. de Iuuent. & senect. vbi rursus causam refert, ac reijcit, cur nonnulli per cerebrum animalia sentire dixerint. Quare, vt plurimum reliqui Philosophi, ac Peripatetici aiunt, Aristotelem posuisse sensum communem in corde, & iuxta hanc sententiam illum sequuntur Auerroes, Aphrodisæus, Themistius, Apollinaris, Iandunus, & alij nonnulli.

Lib. 2. de partibus Animal. c. 1. 7. & 10. & lib. 3. cap. 4. De somno, & vigil. cap. 3. De Iuuent. & senect. c. 1. & 2. De Animal. motu c. 6. & 8. Et lib. 2. de generat. animal. cap. 4. Vallesf. controuer. Medic. & Philosoph lib. 2. cap. 13. Auerr. lib. 2. de part. animal. c. 7. & in Collectan. lib. 2. c. 7. & 11. Aphrodisæus 1. de anima c. vlt. Themist. in lib. de mem. & reminisc. Apoll. 2. lib. de anima q. 27. Iandunus de somno, & vigil. quæst. 9.

Verum hac de re, quid omnino ac propriè senserit Aristoteles, fortasse adhuc exploratum non est, cum multa sibi obuiantia tradidisset, si alterum determinatè asseruisset, vt con-

constabit consideranti ex his, quæ in fine capitis sequentis commodius adducemus.

Tertium denique fundamẽtum est ratio ipsa, quæ ex prædictis locis Aristotelis in vnum collecta desumitur. Etenim cum in corde sit principium vitæ animalis, simul & sensus debet concedi. Si enim viuere ab hac particula omnibus est, vt constat in generatione, & efformatione animalis, palam, quod & sentire ab eadem particula esse debet: nam qua animal, hac & viuere ipsum dicimus; & qua sensitiuum, hac animal esse; siquidem vnum oportet esse principium, vbicumque fieri potest. Fit autem optimè, vt in corde tam vitæ, quam sensus primum principium constituatur; nam ibi simul, origo prima, & fons sanguinis est, quo animal nutritur, ac viuit; ibique locus est omnium capax sensiblium propter simplicitatem partium similarium, quibus constat, & copiam neruorum, qui circa illum sunt ad communicationem cum cæteris sensorijs: & quia in medio positum vndique attingi, vel æquè, vel proximè potest tanquam centrum ab omnibus partibus circumferentiæ. Quod sanè ad motum voluntarium maximè confert, cuius etiam principium simul esse debet cum principio sensus. Siquidem cum permutatur primo sensitiuum, alteratione aliqua facta in sensorio communi excitantur passiones, quibus & secundum primas qualitates, & secundum locum, & figuram, aut situm, hærentes quoque partes, & extensæ, & contractæ necessariò permutantur; paruaq. permutatio, quæ fit in principio tanquam circa centrum, magnas, ac multas differentias efficit procul, vt cum temone paululum transposito, magna fit proræ transpositio, nec aliter fieri motus voluntarius in animalibus posset: Vnde vis sentiendi, vis mouendi, & vis nutriendi eodem in membro contineri necesse est, quod aptissimè cor, vtpotè in medio positum, constituitur.

Accedit, quod appetitus sensitiuus in corde locetur, vt patet ex passionibus, seu actibus illius, qui in eo exercentur, vt motus lætitiæ, ac tristitiæ, amoris, & odij. Cumque prin-

principium cognitionis, & appetitus simul esse debeant, vt cognoscatur quid prosequendum, aut fugiendum, & appetatur iucundum, respuatur verò molestum (Nam passiones aptè parant instrumentarias partes, appetitus autem passiones, & imaginatio appetitum) hinc est, vt tanquam sibi inuicem actiuum, & passiuum simul in corde esse debeant, principium sensus, & principium appetitus. Quod autem de corde dicitur ab Aristotele, ac hisce rationibus prout vidimus, suadetur in perfectis animalibus sanguine præditis, id ipsum ab eodem asseritur, eisdemq. suadetur rationibus de proportionale cordi respectu exanguium, & imperfectorum omnium animalium, vt videre est in eisdem locis. Sed cum auctoritatem, rationes etiam inferius, exponemus capit. sequenti. *De Motu animal. cap. 5.*

Sensum interiorem perfectorum animalium in cerebro tanquam in propria sede locari.

Cap. II.



QVAMVIS hactenus iuxta sermonis opportunitatem sæpe cerebrum tanquam proprium organum, & instrumentum ad interius sentiendum commemoratum, ac suppositum à nobis fuerit; semel tamen hoc erat rationibus comprobandum, explicandumque, num in cunctis animantibus, ac respectu cunctarum sensationum, quæ interius administrantur, an aliter id esset intelligendum.

Non obstantibus igitur, quæ de corde retulimus proximo capite, dicendum hic erit cum communi Philosophorum, ac medicorum sententia, sensum interiorem perfectorum animalium in cerebro tanquam in propria sede locari, ibique cunctas suas operationes edere. Ita in primis docuit, & egregie explicauit Plato, deinde Hippocrates, Galenus, Auicenna, Plutarchus, & alij Philosophi, quam doctrinam ex Patribus secuti sunt Augustinus, Ambrosius, Gregorius Magnus, *Plato in Timæo ante med. Hipp. lib. de morbo sacro nu. 18.*

gnus, Nissenus, Chrysostomus, & Lactantius: Ex Scholasticis verò Magn. Alber. S. Thomas, S. Bonauent. Riccar. Durand. Caiet. & alij recentiores communiter. Consonant præterea huic sententiæ loca scripturæ, in quibus indicatur imaginationem, & cognitionem interiorem hominis, in capite exerceri, vt Danielis secundo, cum Daniel Regi Nabuchodonosor dixit: Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo huiusmodi sunt. Et ne ad visiones externas hæc verba referri posse videantur, attendenda sunt quæ statim addit, nempe Tu Rex cogitare cœpisti in stratu tuo &c. Et post pauca: Vt interpretatio Regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires. Deuteronomij verò 31. dicitur. Ego enim scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam iuxta illud Actorum 7. vbi ad significandam deprauatæ mentis pertinaciam, & inordinati affectus exuberantiam dicuntur Hebræi dura ceruice, & incircumcisis cordibus, vt habet glosa Lirani, quasi per proxima, vel propria instrumenta potentias connotando, supponendoq. cognitionem in cerebro, cui in occipitio iungitur ceruix, & affectum in corde exerceri.

At Aristotelem huius sententiæ fuisse, quamuis pro opposita citari soleat, & re vera manifestè prorsus non appareat, suaderi potest primò, nam lib. 2. de part. animal. cap. 10. tam visum, quàm auditum, & olfactum, à cerebro dependentem posuit, sanguinemq. circa cerebrum confluentem, sinceriorem vocat, & ad sensus exquisitiores conferre docet. Vt enim dixerat cap. 7. Nec sanguis copiosus & crassus, sed tenuis, sincerusq; subit ad membranam cerebri; & frequentes, tenuesq. venæ ambiunt. Quapropter lib. 4. cap. 10. docet, sanguinem, qui est in capite, idoneum esse tum ad cerebrum tepefaciendum, tum ad sensuum tranquillitatem, & integritatem. Et paulò inferius ibidem ad significandum tam mentem, quam sensum communem in superiori parte hominis locari; idcirco ait, solum hominem inter animalia erectum esse, quoniam eius natura diuina est; officium autem diuini est intelligere, atque sapere, quod non facile esset,

Galen. 5. de decretis cap. 3. 6. & 14. & lib. 8. de vsu part. c. 3. & 4.
Auicen. 6. naturał. p. 4. c. 1.
Plutarch. lib. 4. de placitis Philos. cap. 21.
Aug. in Ps. 29.
Ambr. lib. 6. Hexam. cap. 9.
Greg. Magn. in cap. 9. Iob.
Niss. lib. 4. philosoph. c. 16. & lib. de creat. hominis cap. 2.
Chrysost. in c. 4. ad Ephes.
Lactan. lib. 6. cap. 9.
Magn. Albert. lib. 1. de anima tract. 4. c. 11.
S. Thom. 3. p. q. 8. art. 1. & 6. & q. 66. art. 7.
S. Bonauent. in 3. dist. 13. art. 2. q. 3.
Riccar. ibidem.
Duran. ead. distin. q. 2. 3. 5.
Caiet. 3. p. q. 8. art. 1.

esset, si vasta corporis moles assideret, vt ipse inquit, vel incumberet, vt potius verbum ἐπικειμένου videtur significare, quod deducitur ab ἐπὶ, quæ particula significat, super; & κεῖμαι, quod est verbum idem significans ac iacio, cubo, vel maneo. Vasta autem corporis moles communi sensorio incumberet si illud non in superiori parte hominis, vt in capite, sed in pectore locaretur: pondus enim subiungit, tardiorem reddit, & mentem, & sensum communem. Hæc ille; quibus consonant, quæ docuerat lib. 2. cap. 16. nempe posteriorem partem capitis erectam in omnibus esse debere; quia nihil exigi potest pressum onere, quemadmodum accideret animali, si caput carne obtectum haberet, caputq. hominis macilentum, carneq. prope omni exutum ibidem dixerat paulò ante propter cerebrum. Deinde lib. 3. de partibus animal. cap. 7. ait, cerebrum bipartitum esse, atque etiam sensorium vnumquodque, eademq. ratione. Quibus videtur supponere cerebrum esse sensorium; cumque constet non esse sensorium particulare, sequitur esse commune. Rursum verò 30. sect. problem. quæst. 3. docet hominem esse omnium animantium prudentissimum, quia capite minimo est ad sui corporis proportionem, & inter homines ipsos, qui minori sunt capite, prudentiores nasci, quàm qui sunt grandiori. Quod certè non nisi ad cerebrum potest referri; tum quia lenetur onere, tum etiam quia gracilliora capita plus cerebri continere solent, quàm corpulentiora: magnitudinemq. cerebri (dummodo aliud non obstet) maximè conferre innuit ad opus prudentiæ, cum hinc hominem inter omnia animalia plurimum cerebri habere, & inter homines mares plusquam fœminæ docuerit 2. de part. animal. cap. 7. & 2. de generat. animal. cap. 4. Et consequenter ad hæc quæst. 4. eiusdem sectionis 30. cum dixisset instrumenta mentis esse scientias, statim ait: his enim, cerebro vtentes conficere habitum solemus; apertè insinuans ministerio sensus interioris in cerebro, habitus produci. Præterea cum Aristoteles somnum, & vigiliam passiones dixerit esse sensorij communis in proprio opusculo cap. 2. & sequentibus, mox

cap. 4.

cap. 4. & 5. docet somnum fieri incrassata, ac refrigerata, euaporatione calidi, & humidi in cerebro; signumque esse quòd omnia somnifera grauedinem capitis faciunt. Assimilatq. somnum Læthargo, & Epilepsiæ: qui sanè morbi constituuntur in cerebro. Sensit igitur idem esse cerebrum, ac sensorium commune cuius passiones esse ait somnum, & vigiliam. Vnde lib. 2. de par. animal. cap. 7. inquit, somnum à cerebro proficisci, & somno sopitos, ea corporis parte tentari. Tandem Aristoteles cap. 2. de somno, & vigil. (amplius dixit), quibus in collo venæ appræhenduntur, insensibiles fiunt propter impotentiam vsus in primo, quo animal sentit omnia; nempe sensorij communis. Putat ergo, hoc esse in capite, à quo virtus sensitiua per collum ad corpus reliquum diffundatur. Vnde lib. 4. de partib. animal. cap. 10. rectè, caput animalis radici assimilat vice mutata, vt superiora infra, inferiora supra habeat: sic enim & non aliter à cerebro per neruorum soboles tanquam ramos, virtus sensitiua ad cætera membra defertur.

Sed ex multis, quæ ad hanc veritatem comprobandam, afferri solent argumenta, vnica, & breuissima ratio formari potest. Quia nerui omnes, per quos spiritus animales feruntur in sensus exteriores, speciesq. intentionales in commune sensorium ingeruntur ad vsum sensationis internæ; è cerebro vel spinali medulla ei coniuncta tanquam ab vno stipite propagantur non solum quoad figuram, & situationem, vt sensu patet in dissectione: sed quoad naturalem eorum dependentiam; Ipsique spiritus animales in eodem cerebro elaborantur, & ab eodem per singula corporis membra distribuuntur: facultas autem, de qua loquimur in ea parte, iuxta communem Philosophorum consensum cum Aristotele, debet constitui, à qua instrumenta ducunt originem: non igitur alibi, quàm in cerebro collocanda erit.

Quod autem nerui omnes secundum propriæ naturæ dependentiam à cerebro progrediantur; primò patet ex eo, quòd quanto magis ab ipso recedunt, & ad inferiores partes appropinquantur, tantò magis extenuantur, ac tenuiores

fiunt,

ſunt, magisq. in plures, ac plures ſoboles multiplicantur, non ſecus ac rami quò magis à ſtipite elongantur. Secundo, quia vt obſeruat Galenus ſi nerui in medio vinciantur, aut ſecentur, pars verſus cerebrum, non minus quàm antea ſuis fungitur actionibus; pars verò inferior verſus cor, aliaque corporis membra, nec moueri, nec ſentire valet. Quod non ſolum arguit dependentiam neruorum, ſed & ſpirituum animalium à cerebro. Tertio deinde vtrumque manifeſtè probatur ex Galeno docente, & obſeruante, quod circa primum ſpinalis medullæ proceſſum facta quadam affectione in cerebro, per quam ſpiritus animales prohibentur quominus ad ipſam perueniant, omnia inferiora membra, dempta facie, ſenſu, motuq. priuari; vbi verò dimidia eius proceſſus pars fuerit affecta, non omnes inferiores partes ita reſolui; ſed vel ſiniſtras dumtaxat, vel dexteras. Similiter cum aliqua faciei pars eandem affectionem patitur, prauam diſpoſitionem in ipſo cerebro, à quo nerui per faciem diſperſi demittuntur, conſiſtere. Vocatur autem huiuſmodi affectio Apoplexia, quando omnes pariter nerui ita circa ortum illorum in cerebro afficiuntur, omnesq. partes corporis proinde ſenſum, & motum amiſerint. Cum verò tantùm ex parte id accidit, tum dicitur Paralyſis, ſeu Reſolutio eius ſcilicet partis, in qua conſiſtit affectio, interdum dextræ, interdum ſiniſtræ. Apertum ergo indicium eſt à cerebro tanquã à proprio principio ac radice, neruos omnes propagari, ab eoq. pariter tanquã à ſuo fonte ſpiritus omnes animales per vniuerſum corporis habitum deriuari; proindeq. ibi ſenſum interiorem tanquam in propria ſede, & arce locari; vnde cæteris partibus ſenſus, & motus ſuo veluti arbitrio impertitur. Quare dignum fuit (ait Caſſiodorus loquendo de anima) vt arcem peteret, quæ ſe nouerat cęleſti operatione ſublimem, & tali loco præ cæteris verſari, vnde reliqua membra debuiſſent competenti regimine gubernari. Et Plato in Timæo, loquendo de præſtantiſſima animæ noſtræ ſpecie, ait, hanc in ſumma corporis arce ſedem habere, atque ad cæli cognationem à terra nos tollere tanquam animalia cæleſti potius, quàm terreno

De conſtitutione artis medica cap. 4.

3. de locis affec. cap. 10.

Caſſiod. de anima cap. 11.

Plato in Timæo non longe à fine.

ſemine nata. Additque: Vnde enim primus animæ datus eſt ortus, inde diuina vis caput, radicemq. & originem noſtram pendentem ſuſpendens, totum dirigit corpus. In quibus Plato eadem vtitur ſimilitudine ſuſpenſæ radicis, qua poſtea Ariſtoteles, vt ſupra vltimo loco retulimus.

Denique confirmari idem poterit experientia omnium Medicorum; nam ſi ſenſus interior lædatur quoad omnes, vel aliquas operationes, vt in Apoplexia, vel Paralyſi, in Phrenytide, delirio, aut læthargo; non alibi, quàm in cerebro, vbi vitium depræhenditur, remedia adhibentur, quibus in integrum ſenſus ipſe reſtituitur. Indicium eſt igitur ibidem ſenſum ipſum locari, non autem in corde, vbi nec vitium vnquam graue depræhenditur, vt docet Ariſtoteles, nec remedia aut iuuantia applicantur.

Lib. 3. de part. animal. c. 4.

Diximus autem, ſenſum interiorem perfectorum animalium in cerebro locari; nam hæc tantùm animalia tanquam ſanguine prædita, vt docet Ariſtoteles, illud habent vtpotè ad opus perfectioris miniſterij deputatum; cum cætera animantia, vel ſimilis naturæ quidpiam proportionale habeant, vel alterius, ac longè inferioris conditionis, iuxta diuerſitatem, & imperfectionem naturæ animalis.

Quod autem attinet ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ facilè intelligitur, primum nihil aliud arguere, niſi communem illam, quam diximus de principatu cordis extimationem, quæ extendebatur ad ſignificandum confusè omnes virtutes rectrices animalis in illo eſſe, & ab illo procedere. Quod ſanè de interiori ſenſu intelligendum eſt, non ſecundum proximam, & formalem inhæſionem; ſed ſecundum radicalem, & remotam dependentiam, quatenus à corde, & vitalitatem, & ſpiritum obtinet ad obeundas proprias functiones, vt ſæpe dictum eſt, & amplius dicetur.

Secundum verò fundamentum poſtulat præcipuè expoſitionem locorum, qui adducuntur ex Ariſtotele, cuius mente ſano modo intellecta, facilè conciliantur, qui vel ante ipſum magna auctoritate viri hac de re nonnulla pronunciarunt, vel poſt ipſum eius ſequuti ſunt peripateticam doctrinam.

Pro

Pro huiusmodi ergo explicatione obseruandum primo est absque controuersia, Aristotelem, membrorum omniũ principatum cordi expresſè, ac pluries demãdasse. Quia primum omnium membrorum in generatione animalis conspicitur, & primum incipit viuere, vitamq. cæteris partibus in formatione illarum communicat, atque distribuit, vt docet lib. 3. de partibus animalium cap. 4. & lib. 2. de generat. animal. c. 4. Insuper quia membra omnia, ac facultates omnes, robur, ac virtutem in suis operationibus à corde recipiunt per spiritus vitales, quos & spiritum connatum vocat ipse Aristoteles, inquiens, omnia animalia habere spiritum connatum, & ab illo robur accipere, quod paulò inferiùs in corde tanquam proprio fonte constituit. *Lib. de animal. motu cap. 6.*

Secundo obseruandum est, quòd cum Aristoteles principium motus in corde constituit, non loquitur de motu arbitrario, cuius principium simul esse debet cum proximo principio sensus, sed tantum loquitur de motu naturali, ac necessariò respirationis, vel pulsationis, cuius principium cõiungitur cum principio sensus remoto in ipso corde, vt liquet ex eius discursu de somno. & vigil. c. 3. vbi postquam posuisset principium sensus, & motus in corde, ait: Motus igitur & spitus principiũ, & omnino, qui refrigerationis, & respirationis, hic est. Deinde idem patet ex lib. 3. de partib. animal. c. 4. vbi causam reddens de copia neruorũ, quæ in corde est, ait: Hinc enim motus oriuntur, qui intendendo, & remittendo efficiũtur. Quibus verbis videtur tantũ significari motus procedens à virtute pulsatili, quæ à corde cõmunicatur arterijs per irradiationẽ spirituum, & influxum caloris viuifici. Et lib. de animal. motu c. 6. cum dixisset, omnia animalia habere spiritum connatum, nẽpe vitalem; principium verò motus his quidem in corde; his autem in proportionali esse, ait: Nã opera motuũ pulsio, & tractio sunt. Quare, inquit, oportet instrumentũ augeri posse, & contrahi, taleq. esse spiritus naturã. Quibus verbis ostendit, motũ cuius principiũ est cor, esse motũ naturalẽ, non arbitrariũ. Vnde etiã c. 8. loquendo de motu, quià corde procedit, vocat illũ inuoluntariũ, vt de numero illorũ, quo-

tū nec imaginationē,nec appetitum dominiū habere inquit.

Tertio obseruandum est,Aristotelem nunquam posuisse principiū omnium neruorum in corde,sed tantum copiā illorū dixisse in eo esse ad motus,qui intendendo, & remittendo efficiūtur,vt paulò ante dicebamus;nā id contra experientiā, & apertā veritatē dixisset,vt ex dissectione perspicuè constat.

Cum igitur Aristoteles locis citatis docet sensus omnes à corde prodire,intelligi debet eodem modo,quo etiam docet lib. 2.de partib.animal.c. 1.motus omnes locales,ac nutritionis ab ipso corde oriri;nēpe remotè,prout cor est principium vitæ animalis,in quo & virtus nutritiua,& motiua, & sensitiua fundatur.Ipsum enim(ait Auicenna de mente Aristotelis) est omnium virtutum prima radix,& omnibus alijs membris suas tribuit virtutes, quibus nutriuntur, & viuunt, & quibus compræhendunt,& quibus mouent. Cum quo tamen nō repugnat,vt quemadmodū virtus nutritiua proximè,& formaliter constituitur in epate; virtus visiua in oculis; auditiua in auribus;& cæteræ similiter in suis proprijs mēbris & organis; ita sensus interior constituatur in cerebro absque eo , quòd principatus membrorum in sententia Aristotelis auferatur à corde. Vnde Auicenna,qui contra reliquos medicos eādem sententiā tuetur Aristotelis,de mente ipsius ait,quod omniū virtutū(nempe naturalium,vitaliū,& animalium)principium existit cor; sed primarū operationum earum manifestatio in prędictis existit principijs,scilicet naturalium in epate,atque testiculis:vitalium in corde;& animalium in cerebro,atq;post hoc in cæteris sensorijs externis,ac particularibus,in quibus est proximū principium operandi,& primò apparet ipsa operatio. Itaque nō ex hoc,quod Aristoteles dixit,sensus omnes à corde oriri, voluit sensum communem in corde locari , sicut nec virtutem nutritiuam, & loco motiuam pro arbitrio, quāuis eas pariter à corde sicut , & virtutes reliquas à corde prodire docuerat ; sed tantum significare voluit dependentiam, quam sensus omnes , sicut reliquæ facultates animalis trahunt à corde , tanquam à principio vitæ per influxum caloris illius viuifici , spirituumque vitalium , quibus ad fun-

Fen. prima primi cap. singulari doctrina 5.

Fen. 1. primi c. 2. summa unica, doctr. 5.

bus ad functiones suas obeundas vnaquæque indiget facultas animalis. Nam, vt patet in syncope, vel deliquio, deficiente in reliquis membris, & contracto in corde vitali spiritu, nequeunt sensus, vel aliæ facultates animalis existentes in illis, vllo modo operari; quamuis aliunde non impediantur. Quod certè sufficere ad constituendum, vel non constituendum principatum membrorum in corde, alterius est considerationis. Ad propositum tamen, satis est, ex hoc non inferri de mente Aristotelis, sensum interiorem esse in corde; nam optimè potest sensus interior à corde dependere per influxum præfatum, absque eo, quod formaliter sit in illo tanquam in proprio subiecto, & organo. Quemadmodum etiam sensus exteriores ab interiori dependent, & à communi sensorio; cum tamen formaliter sint in proprijs sensorijs externis.

Quamobrem Recentiores nõnulli quotiescumque Aristoteles docet principium sensus esse in corde, rectè illum interpretantur de principio facultatis communissimę, ita vt intelligat, facultatem illam communissimam à corde quidem prodire; contrahi tamen in cerebro, vbi euadit animalis, sicut altera, atque altera in cæteris partibus corporis pro determinata, ac priuata vniuscuiusque constitutione. Quod si è contra 2. de partib. animal. cap. 10. vel alibi sensum prorsus cerebro negat, interpretari debet de sensu tactus, aut particulari: non autem de sensu interiori, & communi, vt patet ex ratione, quam adhibet eodem lib. cap. 7. Ait enim, tum vel maximè id constare, quod cum cerebrum tangitur, nullum efficit sensum.

Hieron. Capinaccaus lib. 1. de affect. capitis cap. 17. Et libro de Methodo Anatomica longe ante med.

Et quidem cum Aristoteles sensum interiorem aliquando sensum communem, vt lib. 4. de partib. animal. cap. 10. aliquando primum sensitiuum nuncupauerit, vt lib. de mem. & remin. cap. 1. & sæpe alibi, cum quo idem esse imaginatiuum, & memoratiuum docuit; si huiusmodi facultatem in corde locasset, cur non apertè quandoque dixisset, vel saltem insinuasset, in eo sensationes internas, imaginationes, ac meminisse tanquam in suo organo exerceri, quemadmodum

dixit de passionibus, seu actibus appetitus sensitiui? Cum igitur nihil huiusmodi docuerit, signum est, non sensum communem, sed influxum vitæ ad sensus omnes sicut ad cæteras facultates animalis exercendas, cordi tanquam Principi, à quo iugiter dependent solummodo demandasse.

Ad tertium fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, in rigore ac remotè loquendo, vnicum esse primum principium tàm vitæ, quàm sensus animalis; illud autem aliud non esse, quàm ipsam animam sensitiuam in brutis, vel animam rationalem in hominibus, prout hæc gerit vicem animæ sensitiuæ; & sic verificari illud, quod quo animal, & viuere ipsum dicimus, & qua sensitiuum, hac animal esse. Quoniam verò anima sicut omnis substantia non est immediatè operatiua, alia principia sub se continet, ex quibus proximè operationes animalis procedunt; huiusmodi autem sunt omnes potentiæ, & maxime tres illæ præcipuè, quarum vna est principium naturalium actionum, quod specialiter constituitur in epate, & quo animal vegetatur scilicet, nutritur, & crescit; alia vero est principium actionum vitaliũ, nempe influxus caloris viuifici, sanguinis arterialis, & virtutis pulsatilis, quod constituitur in corde: & alia, quæ est principium actionum animalium, videlicet sensus, & motus voluntarij, quod constituitur in cerebro. Et quia principium vegetandi, seu naturalium actionum in animali, non se habet sicut in plantis, quasi emortuo modo extrinsecus recipiens influxum caloris à sole ad sua opera exercenda, cum intrinsecus à corde, & calorem, & vitam participet ad propria incrementa: principium verò sentiendi semper supponat principium viuendi, eiusq. influxum cuius ope sensationes omnes, & vitalitatem habent, & esse; hinc est, vt ex tribus his principijs enumeratis, tam primum, quam tertium ad medium tanquam ad commune, & vniuersalius principium naturali quadam necessitate referantur; quod cum in corde locetur, & cor propterea primum in generatione animalis viuere conspiciatur, ac vltimò emoriatur; principem locum ipsum cor in animali dicitur obtinere,

prin-

principatumq. membrorum ei hac ratione in ſententia Ariſtotelis demandatur. Quod tamen non tollit ſenſationes internas in cerebro exerceri, vbi primum, ac formale eſt ſentiendi principium, à quo etiam immediatius ſenſus omnes externi dependent per influxum ſpirituum animalium: & motus quicumque voluntarij omnino procedunt per ortum neruorum, quem habent in cerebro, vt clarius conſtabit in ſequentibus. Et ſic relinquitur, verum eſſe, quod principium ſenſus ab eadem parte eſt animalibus, à qua motus, loquendo tam de principio ſenſus remoto, ac motus neceſſarij. (Siquidem vtrumque in corde conſtituitur) quàm de principio ſenſus proximo, ac formali, & de principio motus voluntarij, quæ ſimul reperiuntur in cerebro.

Quod autem in argumento oppoſito tangitur de aptitudine organi, & commodiori ſituatione illius, inquantum ab Ariſtotele deſumitur, probat quidem prout cor conſtituitur principium vniuerſale, à quo tanquam à centro, & vitam, & robur facultates omnes æquè recipiunt per circuitum totius corporis animalis, nam hoc tantùm videtur inſinuaſſe Philoſophus. Alioquin inquantum extenditur ad probandum cor eſſe immediatum principium ſenſus, & motus voluntarij, nihil probat; tum quia principium neruorum per quos ſenſus, & motus transfunditur, eſt in cerebro, quod Ariſtoteles non negauit; tum etiam quia ſiſtendo in eodem exemplo Ariſtotelis de temone, potius in extremo, & in ſuperiori parte, quam in medio collocandum erat principium motus; ſicut puppi, non autem in medio nauigij apponitur clauus, vt parua mutatione circa illud facta, magna procul fieret membrorum, vel corporis tranſpoſitio.

Nec ad rem facit appetitum ſenſitiuum in corde locari, quidquid ſit de veritate huius propoſitionis, quæ alibi à nobis erit examinanda; Nam conſtat omnia membra principalia quantumuis inter ſe diſſita, ad inuicem communicare, & exaudire ſeſe quodammodo principia, ac ſecundum quidpiam copulari, vt docet Galenus. Nam ſic, & ſenſus externi cum interno communicant: & facultates omnes exe- *6. de vſu part. cap. 18.*

cutiuæ cum directiuis, quamuis longè absint in alijs partibus animalis. Quod fusius, & clarius infra explicabitur.

Tract. 7. cap. 1. & 2.

Descriptio cerebri, prout in homine, alijsque nonnullis perfectis animalibus. Cap. III.



T autem exactius natura, & vsus huius organi, percipiatur, præmittenda erunt aliqua de partibus, substantia, magnitudine, figura, situ, alijsq. ad eius constitutionem, vel efformationem pertinentibus in homine, aut perfectis quibusdam animantibus; Quæ omnia sparsim habentur apud Galenum, & colliguntur à pluribus, ac probatissimis recentioribus in dissectorijs eorum tractationibus.

Galenus lib. 9. de Anatomic. administrat. Et lib. 8. 9. & 10. de vsu par. Et 3. de loc. affect. cap. 10. Et 7. de decretis cap. 3. Ludouicus Vessus in suis tabulis. Vessalius lib. 1. Chirurgia c. 1.

Summatim igitur notandum est, cerebrum vniuersum dissimilare esse membrum ex peculiari quadam substantia, membranis, arterijs, venis, neruis, & glandulis compositum; atque ex anteriori parte capitis, quæ sinciput vocatur, in posteriorem, quæ occipitium dicitur progrediens, in quatuor distribui sinus aut ventriculos, cineritij ferè coloris, ipsam substantiam quasi medullam continentes. Ex ijs autem duo simul æque anteriores sunt ex parte frontis, ad leuam scilicet, ac dexteram constituti, tenuiq. membranula diffiti, quæ dicitur lucidum septum, seu spectaculum; inter se quidem æquales, cæteris tamen capacitate, & magnitudine longè maiores, qui propterea totius nomen adepti, cerebrum nuncupari consuerunt. Duabus vterque simul meningibus varijs anfractibus continetur, quarum altera illi coniuncta mollis, ac tenuis, exiguisq. neruis, venis, & arterijs ornata, Pia mater dici solet; altera verò extrinseca durior, & crassa, pluribusq. venis, & arterijs intertexta, Dura mater appellatur: Atque ex partibus internis vtriusque ventriculi duo pariter canales demittuntur, ad nares vsque pertingentes, inspirationis, olfactus, & superfluorum cerebri purgandorum gratia. Porrò huiusmodi anteriores

ven-

ventriculi, dum versus posteriorem capitis partem se vniformiter extendunt, in alium tertium ventriculum proprijs ductibus concurrunt. Hic profundior est sub vertice, quasi in centro capitis locatus; peculiaribus meningibus non obuoluitur, sicut reliqui ventriculi, ac perinde fortasse nonnulli tertium ventriculum dicendum esse negarunt; sed potius communem quandam anterioris cum posteriori cerebro excauitatem, latumq. meatum: Omnino tamen ad fornicis similitudinem quibusdam corpusculis apposite confirmatur, estque duobus anterioribus ventriculis minor, ob sui verò rotunditatem orbicularemq. figuram capacissimus. Is demum vlterius in occipitium progrediens, per meatum quendam in quartum ventriculum prorumpit; qui & posterius cerebrum, & cerebellum ob sui paruitatem nuncupatur. Sed antequam ad cerebellum perueniatur, corpusculum quoddam reperitur prædicto meatui superiacens, à similitudine vermium lignorum epiphysis vermiformis appellatum, quod transitui spirituum animalium præst, vt cum eos transmitti in posterius cerebrum opus fuerit, ipsum meatum aperiat, & claudat. At cerebellum, licet omnium minimus sit quantitate ventriculus, spiritum tamen maximè elaboratum, plurimumque continet, densioremque medullam. Etenim cum hæc in partibus anterioribus cerebri mollissima sit, paulatim tamen ab illis recedendo, eò durior, ac densior efficitur, quò magis spinali medullæ vbi cerebrum desinit, appropinquatur.

Quod ne temerè à natura factum putetur, neruorum ortum considerare hic ratio admonet. Hi namque in septem potissimum coniugationes ab Anathomicis distributi, ex quibus postea diuersæ soboles propagantur, omnes ab hisce ventriculis circa basim originem sumunt; similemque in principio substantiam retinent, quò scilicet anteriores, eò molliorem, & sic vniformiter difformiter quousque ad medullam spinalem perueniatur, ex qua alij nerui, ijque durissimi per vniuersum corporis habitum protenduntur infra caput, & faciem per collum deorsum; vt qui longius à suo

prin-

principio digressuri, securius musculis, ac membris omnibus, motionis robur conferrent; suscipiente tamen spinali medulla virtutem à cerebro mouendi pro arbitrio, vt in specie Galenus aduertit. Eiusq. verba notanda sunt cum ait. Ex anathome didicimus, neruos omnes à cerebro primarium sumere initium; neque simpliciter initium, sed primarium dixi, id quod spinalis medullæ gratia orationi adieci; quamuis enim permulti ex ea nerui prodire videantur, vim tamen omnem quam habent, cerebrum ipsi suppeditat, hæc ille. Qui autem nerui ex cerebri ventriculis oriuntur, licet paulatim ab eius molli substantia degenerantes, vt plurimum tamen non nisi per caput, & faciem propagantur, ad sensum, & motum peculiaribus sensorijs, ac musculis impertiendum: ac proinde cum non nisi parum proportionaliter à principio digrediantur, nec magis artubus motricem facultatem inferre debeant, adhuc molles per vniuersam faciem insinuati se præbent.

3. de locis affec. cap. 10. & c. 7.

Nec prætermittendum est, vniuscuiusque nerui naturam triplici constare substantia, vt notat Galenus; media scilicet, & intima, arborum medullæ quam simillima, quæ haud dubie è medulla cerebri ortum habet: exterioribus duabus, prima, quam è tenui membrana, seu Pia matre; altera, quam è Dura, & crassa exoriri compertum est. Deinde (vt idem subnectit) per interiorem partem ipsorum neruorum, quæ à cerebro exit, sensum & motum omnibus animalium membris suppeditari; reliquis duabus exterioribus à membranis progerminantibus, idem officium neruis exhibentibus, quod ipsæ membranæ cerebro præstant.

7. de decret. Hip. & Platon. c. 3.

Galen. in fin. eiusd. cap.

Tandem admirabilis quidam plexus considerandus sese offert, qui toti propemodum cerebri basi subijcitur, & plexus retiformis, seu reticularis contextus, apud scriptores vocatur. Hic namque tanquam spirituum vitalium ad cerebrum ascendentium proprium ductum, animaliumq. spirituum efficiendorum, proximum, atque admirabile instrumentum, ex ijs præcipuè, quæ à corde sursum ad caput feruntur arterijs in multiplicem sobolem discissis, ad retis formam,

mam, cancellatis fibris construitur. Non quidem veluti simplex rete, sed eiusmodi, vt si vulgaria hæc piscatorum retia plura, alia alijs cumulata superijcias, atque si alterius replicationes, alterius replicationibus essent connexæ: siquidem naturali hoc in rete, omnia continuata serie inter se sunt connexa. Cæterum quo pacto per hunc plexum retiformem, arteriæ, ac venæ pariter in cerebrum ingerantur, neruique inferius demittantur; insuper & qui nerui ex quo ventriculo, & ad quæ sensoria in particulari delegentur, quouè alio tramite, seu via, minutius hic discutere; præter institutum, ac prolixum omnino fuisset: Satis enim sit vniuersaliter cognoscere per hunc plexum ex arterijs, spiritum vitalem in cerebrum introduci, vbi efficitur animalis, per eumque explicatas neruorum coniugationes descendere, ac per sensus externos distribui, vt illi vim sentiendi sibi à cerebro mutuentur: quamuis infra caput, & faciem reliquum corporis, etiam per proprios neruos à spinali medulla tangendi vim obtineat per communicationem, quam spinalis medulla habet cum cerebro, vt paulò ante ex Galeno retulimus.

In qua potissimum cerebri parte interior sensus resideat. Cap. IV.



VM cerebrum ex dictis, instrumentum, seu organum esse constet compositum ex pluribus partibus dissimilaribus, vt sunt inuolucra exposita, seu membranulæ, quæ meninges vocantur; medulla, seu substantia illa in ipsis contenta; spiritus animales, qui circa medullam adhærent, & in poris eiusdem continentur; principia neruorum; venulæ per totam substantiam, ac vniuersas membranulas insinuatæ; & alia supra enumerata: quæstio est, in qua nam ex his partibus dissimilaribus tanquam in propria sede, sensus prædictus locetur.

Et quidem reiectis, quæ nullam vnquam habuere probabilitatem

bilitatem alicuius momenti, non desunt qui sensum interiorem in spiritibus animalibus collocādum existimauerint tanquam in subtiliori parte cerebri, quæ cum sensorijs cæteris, ac sensibus externis, quibus vim tribuit sentiendi, communicat; & in qua species omnium sensibilium intus inuectæ à principio imprimuntur, ac momento agitantur iuxta opportunitatem interius sentientis. Cui sententiæ fauere videtur D. Damascenus 2. de fide. cum loquendo de cogitatione, & memoria, Earum (inquit) sedem, & organum, esse medium, & posteriorem ventriculum, spiritumq. animalem, qui in eis includitur. Item D. Nemesius in lib. de natura hominis, vbi ait, instrumenta sensus interioris esse anteriores cerebri ventriculos, & qui in eis animæ spiritus continetur. Sed hi sancti Patres per organum, siue instrumentum, non intelligunt idem omnino, quod per sedem ac subiectum vbi facultas inhæreat; sed compositum ex proprio subiecto, & adminiculis ad opus sensationis exercendum. Nam idcirco Damascenus copulatiuè loquendo, ait, sedem & organum; referendo scilicet sedem ad solum ventriculum, & organum, seu instrumentum, ad eundem ventriculum sumptum cum spiritu, qui in illo includitur, & ad functiones illius deseruit. Quo sensu Nemesius enumerat etiam inter præfata instrumenta neruos illos, qui ex ventriculis nascuntur, animæ spiritu madefactos, & sensus sedium structuram. Obstat præterea huic sententiæ, quod spiritus animales non viuunt, sicut nec sanguis cuius tenuissimæ ac defœcatæ sunt particulæ; nam cæteris partibus animalis minimè sunt continuatæ, vt sub vnius formę viuentis vnitate cum illis valeant coalescere iuxta doctrinam Aristotelis. Continentur enim in cerebro, neruis, & alijs sensorijs tanquam conceptaculis quibusdam, seu vasculis, à quibus proinde & à reliquis partibus viuentibus sunt natura seiuncti; facultates autem sentientes non nisi in viuentibus organis debent locari.

2. de fide c. 19. & 20.

In lib. de nat. hom. cap. 6.

Lib. 2. de partib. animal. c. 3. & lib. de histor. anim. cap. 2. 19. & 20.

Alij in meningibus hanc facultatem locari opinabantur, eo quod sensu ipsæ polleant exquisitissimo, medulla verò

nullo

nullo tangendi sensu sit prædita, vt docet Aristoteles, & vt ex caluæ incisione, & morborum euentis depræhensum esse cum Galeno testatur Fernelius. Quæ tamen sententia, nec vllo modo potest consistere. Nam si sensus interior in meningibus resideret, vel secum in eis pariter morarentur, ac reciperentur obiectorum imagines, vel ipso existente in meningibus, illæ in spiritibus, aut cerebri medulla subiectarentur seorsum: quorum primum naturaliter est impossibile, cum meninges immobiles per se sint, species autem rerum motu agitentur assiduo, nec detur transitus accidentis à subiecto in subiectum, aut ab vna parte illius in alteram. Posterius verò falsum comperitur; nam species in eodem in quo potentia residet subiecto, debent locari, vt ipsis fœcundetur, & vtatur ad eliciendas sensationes.

Lib. 2. de part. animal. c. 10.

Galen. lib. 3. de caus. symptomatum.

Fernel. lib. 5. de anima facultat. cap. 10.

Deinde improbatur eadem sententia, quoniam si vulnere aliquo inuolucra illa incidantur, vel etiam omnino (sola tamen) excidantur; nec sensu, nec motu animal orbatur, vt docet Galenus. Non enim prius (inquit) sensum, & motum ammittit animal, quàm ad aliquem ventriculum vulnus penetrauerit. Et rursus adiungit: cerebro etiam vtrisque membranis, quibus obuoluitur denudato, nullum inde animal passurum nocumentum, quod scilicet statim accidat: nam quod per contagionem, temporis processu postea sequatur, nihil refert. Potius itaque illæ meninges à natura datæ videntur ad continendam cerebri substantiam, quàm ad imagines rerum excipiendas, sensumque, & motum cæteris partibus impertiendum, prout proprio competit sensorio sensus interni.

7. de decr. Hip. & Plat. cap. 3.

In fin. eiusd. cap. 3.

Statuendum igitur est de eiusdem Galeni, ac præcipuorum Philosophorum sententia, sensum interiorem non nisi in cerebri medulla locari, nec in aliquo tantùm eius ventriculo, sed in tota ipsa adæquatè prout pluribus in finibus continetur. Prior pars huius conclusionis probatur obseruatione Galeni, & aliorum, qua constat, cerebri medulla violata, vel alterata, sensus intimas operationes præpediri, aut immutari; vt in vulnere accepto, phrenitide, aut læthargo,

de

Lib. 5. de anima facultat. c. 10.

de quibus alias loquuti sumus. Rursus, quia vt Fernelius, & alij quamplurimi obseruant, cerebri corpus, seu substantia, motu perpetuo cietur, & agitatur secundum partes, non secus ac omne corpus fluidum, cuius tenuissimæ particulæ aliquando assiduè loco permutantur, & in diuersa rapiuntur, nunc inter se adhærentes, nunc verò ab inuicem se separantes: Vt perspicuum est in athomis aere solis radijs perfuso, aut in aqua feruenti. At necesse est rerum simulacra non aliter inter se copulari, ac disiungi cum partibus subiecti quibus reperiuntur inustæ: Ergo indicium est ad hoc talem substantiam aptè molitam fuisse naturam, ac non in alio subiecto sensum interiorem cum suis imaginibus, seu spectris locari.

Quòd si talis substantia sensu tactus omnino deprædenditur expers, hoc ipsum ad rem magis conducit; quia non debet peculiari aliquo sensu pollere subiectum, quod communi sensui destinatur; Et sicut in pupilla, seu in humore chrystallino nullus debet esse color, vt de coloribus potentia ibi residens, iudicium promat: ita in sensorio sensus communis, nullus particularis sensus debet inesse, ad hoc vt à sensu communi de omnibus iudicetur. Nec propterea sequitur, substantiam illam non viuere, eo quod tactu careat, vt nonnulli autumant, quamuis tactus communis sit cæteris ferè omnibus partibus viuentibus: nam eodem modo sequeretur, sensorium visus, & olfactus non viuere; quod est falsum. Siquidem nec chrystalloides vbi Aristoteles constituit potentiam visiuam, tactu aliquo viget, nec carunculæ mammillares, quæ vt notat Auerroes, eiusdem sunt substantiæ cum cerebro, & in quibus perficitur olfactus aliquo modo tactu sentiunt. Quod adhuc maiorem vim habet in sententia Galeni, qui olfactum constituit in inferiori parte anterioris cerebri, cui etiam sententiæ aliquando fauet Aristoteles.

Lib. 2. de generat. animal. cap. 5. & lib. 1. de histor. animal. cap. 9.
Auer. 2. collect. cap. 17.
8. de vsu part. cap. 6. & in lib. de olfactu.
Sect. 13. probl. quæst. 5.

Posterior verò pars conclusionis probatur. Nam cum adæquatus potentiæ locus esse debeat, in quo omnia illius requisita instrumenta reperiuntur saltem connexa; princi-

pia

pia autem neruorum, per quos ſenſus interior ſpiritus animales mittit ad ſenſus externos, non niſi per totam cerebri ſubſtantiam inueniantur diffuſa; imò partim per ſpinalem medullam, vbi cerebello coniungitur: manifeſtè ſequitur, ipſam vim ſentiendi interiorem, non in meningibus, nec in aliquo tantum ventriculo, ſed in adæquata, ac totali medulla, ex qua nerui omnes propagantur, ſedem habere. Adde, quòd cum tota cerebri ſubſtantia homogenea ſit, haud quaquam videtur ſecundum partem, non verò ſecundum ſe totam, interni ſenſus proprium organum ſe conſtituere.

Vna tamen hic ſupereſt difficultas: nam cum ſpiritus animales certum ſit elaborari in cerebri medulla, ex qua ipſi per neruos deuehuntur ad corpus vniuerſum, non videtur quomodo eadem vtrùmque munus poſſit obire, ſeu quomodo vtriuſque organum accommodatum ſe poſſit præſtare: maximè cum viſus, productioque phantaſmatum, longè requiratur abeſſe à ſtrepitu, concoctioneq. ſpirituum animalium, qui prout materialis naturæ magis participes, veluti in officina quadam virtute primarum qualitatum elaborantur. Verum ſi res aliquantulum expendatur, vnde difficultas hæc originem ſumere videtur, inde pariter futilem eſſe comperietur. Cum enim vnica ſit potentia, quæ & rerum ſimilitudines, quibus vtitur ad phantaſmata elicienda, à ſenſibus externis cognoſcat acceptas, & eiſdem ad operandum per ſpiritus animales virtutem impertiat; idem congruebat eſſe ſpecierum receptaculum, & ſpirituum animalium fontem, vbi vnica ipſa facultas commoraretur, quæ de vtriſque diſponere pro arbitrio poſſet. Nec planè conſentaneum fuiſſet, ſenſum internum aliunde, quàm ex proprio organo, primaria ſenſitiuarum operationum inſtrumenta deſumere, quemadmodum ſunt ſpiritus animales: aut alibi eſſe principium motus, alibi verò ſpiritus quibus motus exercetur, progigni.

Neque demum eſt, tantam eſſe cerebri commotionem in generatione huiuſmodi ſpirituum, vt cum phantaſma-

tum productione cohærere non possit. Quamuis enim materia illa, ex qua primò spiritus animales conficiuntur, vt in subtilissimam eorum substantiam vltimò conformetur, exquisitas postulet dispositiones qualitatum plerasq; substantiales transmutationes; id nihilominus non vnico temporis momento absoluitur, nec solius cerebri virtute sine alterius instrumenti cooperatione, aut præparatione. Etenim vt rectè Galenus explicauit, sicut vitalis spiritus, & in arterijs, & in corde gignitur, materia generationis ex inspiratione, & humorum exhalatione sumpta; ita animalis ex vitali perfectius concocto oritur; quippe cum oporteat, ipsum exquisitissimam omnium immutationem adipisci. Nam si natura, & semen, & lac, cum velit exactè conficere; quamuis animali spiritu sint potestate longè inferiora; diuturnam illis in instrumentis concoctionis moram machinata est; atq; idcirco semini testibus annexum anfractum; lacti vasorum ad mammas tendentium longinquitatem præparauit; meritò etiam hic cum in cerebro è vitali spiritu, animalem efficere studeat; reticularem contextum (seu plexum retiforme m) quasi varium quemdam labyrinthum iuxta cerebrum fabricauit. Cum igitur tot præcedant spirituum animalium concoctiones, totque, tantisq. instrumentis præparentur antequam perueniant ad cerebrum, exploratum certè relinquitur, eos perquam facili negotio in cerebrum introductos perfici, & absolui; nulla interueniente vehementia alterationis, quæ cum phantasmatum productione censeri possit incompossibilis.

2. de decret. Hipocr. & Plat. cap. 8.

Quod

Quod nam organum cerebro respondeat in imperfectis animantibus. Cap. V.



RISTOTELES 2. de partib. animal. & primo de histor. animal. docet, omnia animantia sanguine prædita, cerebrum obtinere; Ex cæteris verò nullum ferè, nisi per proportionem: vt Polypus, & quæ speciali nomine, mollia nuncupãtur. Et paulò inferius loco primo cit. loquendo de effectibus, qui oriuntur ex cerebro: somnum etiam, ait, à cerebro proficisci ijs, quæ eam obtinent partem animalibus: quæ autem carent, ijs proportionale suppetere. *Libro 2. de par. anim. cap. 7. & lib. 1. de histor. anim. cap. 16.*

Galenus autem loquendo de cancris, & alijs molli crusta intectis, quæ μαλακόστρακα Græci nominant, ait, caput quidem illis non inesse, particulam tamen, quæ sensuum dux est, ac motus voluntarij, omninò certè illic in thorace esse locatam, vbi omnia ipsis insunt sensuum instrumenta. Idemq. postea docet de Balænis, & alijs plerisque consimilibus, quæ vel omnino caput non habent, vel rudem tantum eius delineationem, & adumbrationem. Contenditq. contra Aristotelem, particulam illam, non tam proportionalem cerebro, quàm cerebrum omnino esse appellandam. Quandoquidem instrumenta omnia, quæ eandem habent actionem, idem etiam par est, nomen habeant. Sicut quibus vident animalia instrumentis, ea tametsi in particularibus figuris varient, ac discrepent; æquum tamen est, oculos nominare: quibus verò audiunt, eadem ratione, aures; & quibus olfaciunt, nares. *8. de vsu part. cap. 2.* *Ibidem cap. 4.*

Sed quidquid sit de hac quæstione nominis respectu animalium, quæ omnino distinctum præseferunt organum, seu instrumentum ad directionem sensuum, & motuum pro arbitrio, quamuis in capite illud propriè locatum non sit: Vtrum scilicet cerebrum, an verò proportionale cerebro debeat appellari: difficultas est respectu aliorum adhuc imperfectiorum

fectiorum animantium, in quibus nullum apparet eiusmodi organum distinctum.

Dicendum tamen est, in vnoquoque animali etiam imperfectissimæ speciei, partem aliquam dari tanquam commune sensorium, vbi regimen ipsius animalis administretur, sensusq. internus resideat; quamuis hæc palam in omnibus non discernatur propter imperfectionem instrumenti, sicut & ipsius animalis. Ita docet Aristoteles cùm alijs in locis, tùm expressè lib. 4. de partib. animal. vbi cum dixisset partes ad cibum accommodatas omnibus inesse animalibus, addit: sed habeant certè illud quoque oportet, quod ei parti proportionetur, cui sentiendi principatus in sanguineo genere mandatus est, hoc enim in omnibus animalibus inesse necesse est. Deinde statim huiusmodi organum assignat, tàm in mollium, quàm in crustatorum, ac testatorum, & insectorum genere; nam inquit, mollibus id esse membranam quandam humidam, & corpulentam à gula in ventrem tendentem, ac dorso quasi admotam, quæ proprio vocabulo Mutis à nonnullis vocatur. Crustatis verò tale quid alterum similiter Mutis appellatum. In testatis etiam eodem modo sentiendi principatum se habere: & licet in his minus pateat, attamen in medio semper quærendum hoc principium esse ait: aut scilicet inter partes, qua cibum recipiunt, & qua excrementum emittunt, si fixa degunt: aut inter dexteram partem, & sinistram, si incessilia sunt. Tandem in insectis huiusmodi partem inter caput, & alueum esse inquit; quæ & si magna ex parte simplex est, tamen nonnullis multiplex est, vt Iulis, & similibus vermibus prælongis: quo fit vt præcisa viuere possint. Hæc igitur Aristoteles, quanquam ipse partem huiusmodi vbi sentiendi principium in his animantibus constituimus, cordi potius, quàm cerebro proportionari dixerit ratione situs, quem obtinet: scilicet in medio animalis. Vnde non rectè sentiunt, qui putant sensum interiorem in imperfectis animantibus nullum obtinere locum, aut sedem determinatam, sed vnà cum tactu, & appetitu, per totum corpus esse diffusum; vt hac ratione colligant,

Lib. 4. de part. animal. cap. 5.

Conimbr. 3. de anima quæst. 2. art. 2.

ligant, nonnulla ex ipsis secta, & incisa, etiam viuere. Quod certè non parum à vera, ac peripatetica philosophia abhorret, cum nec tactilia à gustabilibus discernere, nec aptè de gustu, ac tactu ipso iudicare posset hæc potentia confusa cum illis, nulloque seiuncta peculiari domicilio: alioquin etiam in animalibus perfectis subiecto confundi posset cum cæteris.

Rectè denique Aristoteles pro organo ac subiecto sensus interioris membranam huiusmodi animalibus assignauit, cùm membrana eandem, quam neruus, aut persimilem sortiatur naturam: nerui autem instrumenta sint omnium sensationum, ac lationum specierum intentionalium, ac præcipuum sensorium tactus, à quo non longè distat sensus interior in his animantibus ob sui imperfectionem; cum inter gustum tantum, & tactum, debeat iudicare; qui etiam cognati sunt sensus; Vnde gustus quodammodo tactus ab Aristotele censetur pluribus in locis, vt supra etiã adnotauimus. *Lib. 2. de partib. animal. cap. 10. Et de sensu, & sensil. cap. 2. Et 2. de anima tex. 28.*

Quod si nec talia, nec similia instrumenta conspiciantur in animantibus quibusdam adeò imperfectis, vt plantæ nè, an vera animalia sint, ambigat ferè Aristoteles. Non propterea deneganda est illis aliqua pars, quæ huiusmodi munus subeat absque distinctiori accidentium apparatu. Nam vt hactenus dicebamus, & Delphinos, & alios pisces, partem habere auditui, & olfactui accommodatam necesse est, cum audiant, & olfaciant, (vtpotè, ait Plinius, cum plausu congregari feras ad cibum consuetudine in quibusdam viuarijs spectetur: & in piscinis Cæsaris, genera piscium ad nomen venire quosdam singulos.) tametsi nullam talem partem manifestam præseferant aspectui, vt Philosophus obseruat. Omnium enim partes communes animalium, & easdem esse, & diuersas, nihil prohibet (inquit etiam ipse.) Nam aut specie, aut excessu, aut proportione, aut situ talia sunt. *Lib. 4. de part. animal. cap. 5. Lib. 1. Tract. 1. cap. 5. Lib. 10. natural. Hist. cap. 70. Lib. 4. de histor. animal. cap. 8. Lib. 1. de histor. anim. cap. 2.*

TRACTATIO SECVNDA

De varietate accidentium, ac diſpoſitionum, quæ in organo ſenſus interioris reperiuntur.



ETERMINATO iam organo ſenſus interioris, ſequitur inueſtigandum de varijs diſpoſitionibus illius, vt non tantùm conſtet, quod nam illud ſit in vnoquoque animali; verum etiam quale ſit, quaſque differentias accidentales ſecundum totam ſuam latitudinem patiatur in eodem, vel diuerſo indiuiduo. Loquemur autem præcipuè de diſpoſitionibus cerebri, tanquã de certiori, ac principaliori organo; nam conſequenter magna ex parte ſimiles in proportionali illius ſubintelligere quiſquam poterit, in quantum animalium varietas poteſt admittere.

Enumerantur accidentia, ac variæ diſpoſitiones cerebri, & in diuerſa genera diſtribuuntur. Cap. I.



TSI in vniuerſi corporis animalis organizatione, præcipuoq. membro illius internarum ſenſationum proprium inſtrumentum, quale paulò ante cerebrum eſſe deſcripſimus, admirabilem ſe omnino natura præſtiterit: non minus tamen in diuerſitate accidentium, diſpoſitionumq. multiplici apparatu, quibus eandem ſtructuram ſeruando, ipſum cerebrũ diuerſimodè communiuit, ineffabilem planè ſe contemplantibus declarauit. Incircũſcripta enim ferè eſt varietas accidentium, quę ad conſtitutionem illius concurrunt, ac pręterea multiplex diſpoſitio ex illis reſultãs, & inexplicabilis vſus,

vſus, quo natura, ſimili ſubſtantia, & quantitate, eiſdemq. primis qualitatibus tam diuerſas effingit combinationes, tam varia temperamenta, tam diſpares ac diſcrepantes aptitudines, & conditiones. Quæ tamen omnia ad certa veluti capita, ſeu genera non incongrua ratione primò hic reducenda exiſtimauimus, vt commodius de illis in particulari, ac ſigillatim poſtea loqueremur.

Diſpoſitiones igitur vniuerſæ, quę diuerſimodè cerebrum ſolent afficere, aliæ ſunt intrinſecæ, nempè ipſius propriæ ipſiq. inhærentes; aliæ verò extrinſecæ, quæ potius reliquo corpori, vel nonnullis alijs eius partibus inſunt; per conſenſum tamen, vt medici loquuntur, ſeu per communicationem, ipſum cerebrum aliquo pacto afficiunt, ac per accidens immutant, & modificant. Confluxio enim vna, ait Hippocrates, conſpiratio vna, conſentientia omnia. *Libro de Alimento.*

Intrinſecæ autem diſpoſitiones ſunt magnitudo ſubſtantiæ cerebri, eiusq. inuolucri capacitas, quæ non ſemper nec in omnibus eſt æqualis; Figura illius, in qua ſæpe homines ob maiorem, vel minorem temporum preſſionem, aut cauitatem, totiusq. capitis rotunditatem differunt; Subtilitas, ſeu exilitas, vel craſſitudo partium eiuſdem ſubſtantiæ cerebri, nec non ſpirituum, meningium, venarum, aliorumq. corpuſculorum ad cerebri compoſitionem ſpectantium; Temperamentum primarum qualitatum, quod varium, & alterabile nimis eſſe ſolet iuxta diuerſas combinationes ipſarum qualitatum, & gradus illarum; Ac tandem ſecundæ qualitates quamplurimæ, quæ ex primis naſcuntur, vt adhærentia, & viſcoſitas partium, pinguedo, vel gracilitas, raritas, ac denſitas, & ſimilia, quæ iuxta opportunitatem ſermonis explicabuntur.

Extrinſecæ verò diſpoſitiones cerebri ſunt variæ tempeties complexionesq. totius corporis animalis, quæ potiſſimum quatuor eſſe ſolent; nimirum calida, & humida, calida, & ſicca, frigida, & humida, frigida, & ſicca; Item inæquales magnitudines corporis; Diuerſæ diſpoſitiones, ac proportiones membrorum pariter, & figuræ, aliaq. ſimilia,

quæ vniuersali ratione corpus diuersificantia, cerebri quoque temperamentum immutant. Deinde sunt variæ temperies, ac dispositiones quarundam determinatarum partium animalis, quæ cum cerebro præter vniuersalem communicationem, peculiarem, ac priuatam correspondentiam habent; vt cor, ex cuius dispositione, ac temperamento acumen, vel obtusitas ingenij Plato docet oriri, quamuis præcipuam animi sedem ad rationalia munera obeunda locasset in capite. Item sanguis, qui propterea, vt docet Aristoteles, cum per mores, tum per sensum plurimam in animalibus differentiam causat si calidus, aut frigidus sit, si tenuis aut crassus, si turbulentus, aut nitidus. Similiter caro si dura, aut mollis, & peculiari ratione sensorium tactus, secundum quod ingeniosos, & non ingeniosos esse homines affirmat Philosophus. Præterea ventriculus eiusq. os, quod dicitur stomachum, ex quorum varia constitutione, & aptitudine diuersimodè alteratur cerebrum, vt docet experientia, & medici omnes obseruant. Ac denique testes, qui, vt ex Hippocrate, & Galeno inferius adducemus, varium, ac mirum sortiuntur vigorem ad cerebrum peculiariter immutandum. De quibus, postquam de dispositionibus intrinsecis actum fuerit, sigillatim differendum erit.

In Theæteto longe post med.
In Timæo ante med.
Lib. 2. de part. animal. c. 4.
2. de anima tex. 94.

De apta magnitudine, ac figura cerebri, eiusq. partium subtilitate. Cap. II.



CVM Aristoteles hominem inter omnia animalia plurimum cerebri habere doceat proportione sui corporis, & inter homines, mares plusquam fœminas; imò ex hoc colligat aptitudinem ad intellectum ac prudentiam, qua homo animalibus cæteris antecellit: absque dubio maiorem cerebri quantitatem, aptiorem dispositionem illius reddere iuxta hanc doctrinam consentaneum erit astruere. Id quod etiam idem Philosophus videtur

Lib. 1. de Hist. animal. c. 16. Et lib. 2 de par. animal. cap. 7. Et 2. de generat. anim. cap. 4.
In Physiognom. cap. 9.

rur innuere, cum ait: Qui caput magnum habent, canum instar, sensatos esse, & sagaces; qui verò capite paruo sunt, eos ferè insensatos haberi. Caput enim prægrande propter cerebrum esse docuerat. Vnde memores etiam vocat, qui habent superiora maiora. Quam doctrinam ante Aristotelem tradidisse, ac supposuisse videtur Plato cum ait, obscura fieri simulacra in hominibus si inuicem illa congesta sint ob sedis ipsius angustiam. Post Aristotelem verò illam amplexus est non modo Galenus, qui meliorem cogitandi vim ex ampliori cerebro, & medulla, latioribusq. spirituum cauernis potius, quàm ex pusillis differtissimè colligit; verùm & Auicenna eodem penè vsus argumento, dummodo tamen inquiunt id eueniat ob insitæ virtutis robur, quæ multam atque optimam materiam efformauerit.

In Physiognom. cap. 6.
2. de generat. animal. cap. 4.
In Theateto longè post medium.
In lib. 6. Hippocratis de morbis vulgaribus comment. 1. num. 3. Et lib. de arte medicin. c. 11.
Lib. 3. fen. 1. tract. 1. cap. 10.

Nec deest ratio, qua huiusmodi communis ferè consensus nitatur. Siquidem amplitudo cerebri capacitatem ac distinctionem affert imaginum inustarum, vbertatem spirituum animalium in ipsius poris, & cauernis contentorum, distinctiorem, & latiorem ortum neruorum per quos spiritus ad reliqua sensoria delegantur, maioremq. proportionaliter virtutem sensitiuam, quæ maiori, & aptiori subiecto debetur, si contra aliud non obsistat, vt colligitur ex doctrina D. Thomæ. Et quamuis species intentionales, nec loco, nec aliqua contrarietate diffideant inter se, cum simul plurimæ, ac diuersæ in eadem cerebri parte commorentur; negari tamen non potest extensionem subiecti multum conducere ad conseruationem, ac maiorem distinctionem illarum. Nam ampla in regione velociter distribuunt, diuiduntq. in propriam effigiem singula, ait Plato: Et læsa, aut vitiata quadam cerebri parte, multa scimus quandoque excidisse rerum simulacra, reliquis manentibus incorruptis: Et lumen licet eiusdem intentionis, ob maiorem extensionem sui atque subiecti, magis splendescere, & illuminare, vt cum ex paruo igne magna flamma per subiecti, seu materiæ accretionem attollitur; vel augetur ellychnium in lampadibus: Quod certè idem arguit euenire imaginibus in amplo, vel angusto cerebro,

1. p. q. 55. art. 7.
In Theateto longè post med.

X 4 rebro,

rebro, cum magis, & minus in eis elucere possint obiecta.

At contra prædicta celebris videtur esse locus Aristotelis 30. sect. problem. quæst. 3. cum docet, hominem esse omnium animantium prudentissimum, quia capite minimo est ad sui corporis proportionem; & inter homines ipsos, qui minori sunt capite, prudentiores nasci, quam qui sunt grandiori. Vnde lib. de somno. & vigil. cap. 4. homines magna capita habentes, somni amatores esse ait. Et in Physiognomicis cap. 6. Somnolenti figuram describens, tribuit ei superiora maiora, per quæ caput præcipuè intelligitur. Quibus consonant, quæ Polemon, & Adamantius in suis Physiognomicis pariter scribunt; nempe caput, quod magnitudine exuperat, obtusi & indocilis hominis argumentum esse.

Polem. in Interpretat. signorum naturæ circa initium. Adam. in Physiognom. post med.

Verum si rectè Philosophum exponere, veraque velimus attingere, notandum est, magnitudinem maiorem, vel minorem capitis, nasci quidem nonnunquam ex maiori cerebro; sæpius tamen, vt in brutis, ex crassitudine cranij, reliquorum ossium, ac meningium, cutisq. corpulentia euenire; quæ omnia non modo ad rectam cerebri dispositionem nihil conducunt; sed potius, vt infra dicemus, officiunt plurimum. Quare cum Aristoteles paruum caput laudat in hominibus, intelligi debet tam respectu brutorum, quàm respectu illorum hominum, qui ad instar belluarum, talem magnitudinem ex ossibus, & cute, non autem ex maiori cerebro sortiuntur. Aliud est enim cerebro abundare, aliud autem vastum caput habere. Excedit namque vnius hominis magnitudo cerebri trium ingentiumq. boum simul cerebri quantitatem; Pariterq. catuli, aut vulpis eam, quæ in oue, aut caprea inuenitur. Ait igitur Aristoteles locis supra citatis, hominem inter omnia animalia plurimum cerebri habere, & capite minimo esse ad sui corporis proportionem, & ex vtroque principio prudentiam eius supra cætera animantia argumentari; nam re vera sicut iuuat quantitas cerebri, ita iuuat macilentia capitis, ac tenuitas ossium, & reliquorum, ex quibus euidens sumitur argumentum, huiusmodi substantiæ magnitudinem ad perfectiores interni sensus

ſus operationes, natura ſua ordinari; eoq. maiorem cerebri magnitudinem cuilibet animali deberi, quò perfectius ad ſenſibilia munera obeunda, natura inſtrumentum conatur effingere.

Verum, quia nihil natura extra limites augeri contendit, nec exceſſus rei perfectionem auget, attendenda ſemper eſt cæterorum membrorum cum cerebro, tum magnitudinis, tum aliarum virtutum proportio. Vnde, inquit, Galenus: Vis cogitandi ijs, qui aut nimis magna capita, aut nimis exigua euidenter poſſident, oblæſa eſt. Extrema enim in omnibus vitioſa ſunt. Quare ſicut de cerebro, ita & de capite dicendum eſt, quod ſi vtrumque proportionaliter mediocritatem ſapiat, ſemper poteſt laudari. Vbi pariter licet aduertere, Ariſtotelem non commendaſſe in hominibus minima capita, abſolutè loquendo, ſed minima illum vocaſſe capita hominum reſpectu brutorum, & minora capita commendaſſe reſpectu magnorum inter homines, eo ſenſu, quo diximus; cum ſimpliciter, & abſolutè mediæ magnitudinis caput ab ipſo magnopere comprobetur ſcribente ad Alexandrum. Quod ſi extrema ad inuicem conferamus, certum eſt, vt ſubtexuit Galenus, magnum caput nonnunquam bonum eſſe ob facultatis formatricis robur, & materiæ vbertatem. Quali capite Pericles Athenienſis vir prudentiſſimus fuiſſe traditur; minimum verò exiguumq. caput ſemper prauum eſſe, & ab omnibus tanquam incapax ac vitioſum inſtrumentum interioris facultatis haberi: vt videre etiam eſt apud Polemonem, & Adamantium. Paruum enim, & anguſtum caput, condenſos ſpiritus obtinet, & inquietos. Vnde de ſtruthione, quæ inter animalia exiguum ſortita eſt caput, parumque proinde cerebri obtinet, dicitur in Iob: Priuauit enim eam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam.

In lib. 6. Hipp. de morb. vulg. cõment. 1. nu. 3.

Polemon. in ſua naturæ ſignorũ interpretatione. in princ.

Adamant. in ſua Phyſiogn. poſt med.

Iob cap. 39.

Di figura autem cerebri, ſuppoſitis his, quæ ſupra in deſcriptione illius retulimus, pauca erunt hic explicanda, nempe illa, in quibus vnum cerebrum differt ab alio, & ratione quorum melius, aut deterius reperitur diſpoſitum. In duobus igitur figura vnius cerebri differre poteſt ab alia, vel ſcilicet

licet secundum ventriculos singulos præcisè sumptos, vt si orbiculares illi sint, an pressi aliqua ex parte, aut potius oblongi: vel secundum positionem illorum ad inuicem, vt si magis, vel minus adhæreant posteriores prioribus dum vnus post alium tendunt in sinciput, per longiores, aut breuiores canales, seu meatus communes: nam anteriores ventriculi semper sunt æquè coniuncti ad dexteram, & læuam sincipitis per tenuem, ac lucidam solummodo meningem distincti; qui propterea potius veluti duo æqualia segmenta vnum orbem, seu sphæram simul componunt, quam pia, ac dura mater obuoluunt.

Communis ergo, ac verior opinio est, tam ventriculos singulos, quàm omnes simul sumptos, prout adæquatum cerebrum componunt, in longum debere esse porrectos, in sinciput nimirum, & occiput protensos; & hanc esse naturalem, & aptam cerebri figuram, à qua magis, vel minus quandoque subiecta degenerant. Quapropter Galenus, cerebri aptam figuram ab externa capitis forma auspicatus, perfectamque capitis formam describens, ait, illam esse veluti si sphæram ceream vtrinque ad latera depressam excogitares. Et Auicenna similiter caput quadamtenus oblongum laudat, quod Albertus malleo assimilat, probatque, sicut etiam Polemon, & Adamantius.

In lib. de arte medicin. c. 11.

Lib. 1. fen. 1. doctrina 5. summa prima cap. 2.

Locis supra cit.

Ibidem.

Ratio verò prædictorum est, quam tangit Auicenna; quia neruorum ortus ac propagines, per longitudinem constituuntur, ac situantur in cerebro, ita vt vna coniugatio neruorum post aliam ab anteriori ad posteriorem partem procedendo, sequatur. Quo fit, vt ad commodiorem vsum neruorum, distinctioremq. ortum illorum, per quos tam variæ species inuehuntur, tam singuli ventriculi, quàm totum eorum compositum in longum magis, quam in latum teneatur protendere.

Post figuram cerebri, quæ est modus quantitatis illius, occurrit alius modus quantitatiuus, ratione cuius non minus cerebri substantia, quàm alia corpora homogenea, diuersimodè valde disponitur. Est autem tenuitas, vel crassitudo

tudo partium illius, non quidem illa, quæ sumitur secundum determinatam aliquam dimensionem, vt cum in aliquo corpore pars digitalis tenuior dicitur, quàm pars palmaris; sed quæ indeterminatè consideratur secundum maiorem, vel minorem subtilitatem partium integrantium, & quæ diuersis nominibus in diuersis corporibus homogeneis explicatur. Nam & vna creta, vel cera, dicitur subtilior altera, præter densitatem, aut raritatem illarum ortam ex frigore, vel calore: & vnum marmor gracilius ac subtilius altero; aeremque, vel aquam tenuem, aut crassam vocamus. Quo sensu Cicero Athenis tenue cælum, crassum Thebis esse aiebat. *Cicerò de Fato.* Et exhalationes dicuntur constare ex partibus tenuioribus per æstum exhalatis, vt idem Auctor alias docet. *Lib. 1. Tusc. q.* Itaque cum quantitas cuiusque corporis ex se sit indifferens in hoc, vt componatur ex partibus tenuioribus, aut crassioribus, sicut magis minusue porosis, rarioribus aut densioribus; per aliquam formam, vel saltem modum distinctum determinari debet ad alterum. Quo supposito, videndum est quinam modus, seu quidnam magis cerebro competat, habere nempe huiusce modi partes tenuiores, an crassiores.

Et quidem hac de re, licet non omnes Auctores loquantur expreßè, ex communi tamen doctrina illorum, firmaq. ratione colligitur, partes integrantes substantiæ, seu magnitudinis cerebri, ad rectam eius dispositionem constituendam, debere esse tenuiores potius quàm crassiores. Suadetur autem hoc primo à pari ex Aristotele, qui docet, sanguinem alium esse subtilem, alium crassum; ad vires autem corporis valere sanguinem crassum, ad ingenium verò subtilem. *Lib. 2. de part. animal. cap. 4.* Deinde probatur ex Galeno, qui expreßè ait: Ingenium quidem (græcè ἀγχίνοια) subtilem cerebri substantiam indicat: tarditas verò intellectus, crassam. *Lib. artis medicinal. cap. 12.* Præterea idem arguitur ex maiori perfectione, quam secum affert tenuitas partium propter puritatem, leuitatem, ac raritatem, quæ illam facilius consequuntur, & ad functiones cerebri magnopere deseruiunt. Rursus ex maiori aptitudine, quam habet ad excipiendas imagines, easq. copulandas, & exprimendas,

mendas, admittendosq. intra poros spiritus animales. Si quidem quò tenuiores sunt partes corporis, eò distinctiores reddunt inustas imagines secundum paruas differẽtias, quas omnimodo non in qualibet extensione possunt ostendere. Quod fortasse intellexit Plato cum dixit, terream ceram, hoc est substantiam cerebri, obscura simulacra continere, sicut densam lapideamque, vel feculentam. Nam terrea dicuntur proportionaliter mixta præ crassitudine partium integrantium; sicut præ tenuitate, dicuntur aerea. Vnde etiam: latent omnia crassis circumfusa tenebris, ait Cicero.

In Theateto longe post med.

Academicarũ quæst. lib. 4. non longe à fine.

De apta dispositione, ac temperamento primarum qualitatum in cerebro. *Cap. III.*



CVM tot ac tam diuersæ sint operationes sensus interioris, illæq. tàm variè exerceantur quolibet mutato temperamento primarum qualitatum in cerebro, difficile admodum est, præcisam, ac determinatam quandam ipsarum qualitatum temperiem assignare, quæ sit omnibus operationibus accommodata, quæque simpliciter tanquam apta cerebri temperies constituatur. Quamobrem qui diuersa organa, diuersasq. facultates sentientes distinguunt in cerebro, diuersa pariter putant esse vniuscuiusque eorum temperamenta. Qui verò melius non nisi vnum admittunt esse organum, vnamque potentiam, ij quidem vt plurimum, vel distinguunt partes ipsius organi, vel operationes potentiæ, secundum quas diuersa quoque temperamenta docent requiri. Nec multum se declarant assignando adæquatum temperamentum vnicuique operationi, sed tantum docent, quasdam qualitates ad aptitudinem quarundam potius, quàm aliarum operationum conferre, vt humiditatem ad distinctam, ac expeditam rerum perceptionem, siccitatem ad memoriæ tenacitatem, & similia, de quibus postea.

Interim

Interim tamen dicendum primo est, aptam cerebri temperiem respectu cunctarum sensationum, esse magis calidam quàm frigidam, non ex proprio ipsius cerebri, sed ex cordis calore per sanguinem circum obsistentem, & spiritus animales ita constitutam. Id quod non obscurè colligitur ex Aristotele 2. de partibus animal. cap. 7. cum ait. Calor enim cordis principium consentientissimum est, sensumq. celerrimè facit, cum sanguis cerebri vllo pacto mutatur, atque afficitur. Nam & superius in eodem cap. loquendo de cerebro, dixerat: Sed vt ea quoque pars, modico potiatur calore, venæ ad membranam cerebri deueniunt; & ne calor nimius offendat, non paucæ amplæ, sed frequentes, ac tenues venæ ambiunt; nec sanguis copiosus, & crassus, sed tenuis, sincerusq. subit eodem. Fauet etiam, quod in 2. de part. animal. cap. 4. docet ad ingenium valere sanguinem subtilem, & calidum, sicut ad vires corporis crassum, & calidum. Quod si alias Aristoteles cerebrum vocat frigidissimum, tunc illud sumit secundum propriam constitutionem suæ præcisæ naturæ, quam frigidissimam esse, nemo vnquam negabit, vt Galenus etiam aduertit ex pluribus indicijs lib. 2. de temperamentis cap. 6. Ac propterea diximus, cerebri temperiem, non proprio, sed adscititio cordis calore, seu à corde procedente, constitui calidam. Et quamuis paruus sit excessus caloris illius, talis nihilominus denominatur: nam vbi quid ab omnimoda mediocritate recessit, ab eo, quod vincit, nomen accipit. Nec repugnat Aristoteles, cum ait sect. 14. problem. quæst. 15. sapientiores esse, qui sedes frigidas habent eadem ratione, qua senes. Nam loquitur comparatione illorum, qui frigore loci circumobsistente, longè calidiores, quàm postulet natura, interius redduntur; ita vt vinolentis admodum similes esse videantur, (vt ipse inquit,) ac propterea ingenio minimè valent, quo prospiciant, rerumq. rationes inquirant, secus ac qui calidiore ambiente interius potius refrigerantur, hoc est respectiuè, sicut senes frigidiores sunt, quàm iuuenes, ideoque sapientiores, cum careant excessu illo caloris, qui, vt infra dice-

mus,

mus, cognitiones omnes perturbat. Deinde idem probatur ex Hippocr. lib.5. Aphoriſ. Aphoriſmo 18. vbi aſſerit; frigidum inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ. Quod niſi cerebrum putaſſet calidum, talem inimicitiam vtique non aſtrueret. Galenus autem ad probandam huiuſmodi calidam cerebri temperiem lib.8. de vſu partium cap. 2. hoc vtitur argumento. Quouis enim tempore cerebrum multo calidius aere inuenitur, ſiue ruptum alicuius caput manibus curemus, ſiue etiam experiendi gratia animali cuius cranion exciderimus, & meningibus diſciſſis tangere voluerimus: & nemo eſt, qui ignoret, nos id maximè agere, vt quam citiſſimè oſſa capitis excidamus, ne cerebrum refrigeretur: Atqui ſi aer cerebro eſſet calidior, haud quaquam ab eo refrigeraretur; nunc autem etiamſi æſtas fuerit, facile refrigeratur, indigetque etiam tum foueri citiſſimè: hæc ille.

Nobis verò huiuſmodi calidam cerebri temperiem non abs re viſum eſt etiam ab actionum, quæ in illo exercentur læſione, vel corroboratione, alteratione facta in ipſo cerebro, auſpicari. Conſtat enim calefacto cerebro ex accidenti ab aliqua intrinſeca cauſa, vt in ardente febri, malincholia aduſta, alijsq. bilioſis morbis, qui vt docet Galenus, mordentibus, calidisq. humoribus cerebrum infeſtant, non modo appræhenſionem ſenſus interioris, imaginationem, extimationem, & memoriam hebetari; verum & magis corroborari, viuaciusq. & expreſſius obiecta per illas repræſentari. Ita vt in nõnullis hominibus, in quibus rectè valentibus languebant huiuſmodi operationes, reuiuiſcere, ac debitas ſibi vires conſequi videantur, cum in morborum aliquem ex prędictis, tales homines inciderint. Qui propterea facilius tunc valent carmina fundere, ſuauius modulare, proprios conceptus peregrino idiomate promptiùs explicare, & alias huiuſmodi operationes edere, quæ aptiorem proprij ſenſorij diſpoſitionem ſupponunt. Quod certè intelligendum eſt, cum nec morbus, nec calor ad maximam, aut vehementem intenſionem peruenerit: nam tunc & vehemens calor inconſtanti

Lib. 2. de ſymptom. cauſ. c.7.

ſtanti

ſtanti varietate conceptus omnes turbat, atque exagitat, & admixta euaporatio humorum, figuras obumbrat, lumenq. cognitionis obtenebrat: Vnde deliria, phrenitides, & inſaniæ deriuantur. Deinde in ſpecie circa operationes memoriæ experimur, quòd calefacto aliquantulum cerebro, promptiores euadunt, & ſi langueant, reparantur. Atque hinc refricatione capitis, qua cerebrum incaleſcit, & contractione frontis abſque animaduerſione, aut induſtria adhibita, ſæpiſſimè recordamur. Vnde cum, vel perijt, vel grauiter læſa eſt memoria, calefacere ipſam oportet, ait Galenus. *Lib. 3. de locis affect. cap. 5.*

Contra verò Læthargum, Sopor, Apoplexia, morbus comitialis, alijq. pituitoſi morbi, qui à frigido, craſſoq. humore in cerebro congeſto proficiſcuntur, teſte eodem Galeno, *Lib. cit. cap. 5. & 7.* cunctas internas ſenſationes impediunt, ac oblæſas relinquunt. Imo vt ipſemet Galenus aduertit, manifeſtum eſt, *Lib. 2. de ſymptom. cauſ. c. 7.* & fatuitatem, & obliuionem ex refrigeratione creari. At mediocres tum rationis, tum memoriæ noxas, quaſiq. torpores, ex minore refrigeratione: veluti, aut ex medicamento aliquo refrigerante in corpus aſſumpto, aut capiti impoſito; aut frigido ſucco in cerebro collecto. Quapropter meritò *Lib. Quod animi mores. c. 5.* frigiditas, inquit, haud dubio omnibus animæ actionibus officit.

Vnum tamen hic eſt explicandum, quod non parum contra prædicta facere videtur. Quomodo ſcilicet malencholia, quæ frigida eſt ex propria ſua naturali temperie, imaginationem, ac dexteritatem animi augeat, ſenſationesq. cunctas perficiat; vt ſæpenumero experimur in his, qui virtute ſuæ originis, vel ex morbo aliquo cerebrum alterante, eius naturam adepti ſunt. Nam hi vehementer, ac viuaciſſimè appræhendunt obiecta, acutiſſimè de omnibus iudicant, arteſq. ac diſciplinas perquam facilè adipiſcuntur, & ad omnes cognitiones, expeditos ſe præbent; vt ex enumeratione quam prodit Ariſtoteles de ijs, qui in quacumque re; aut facultate claruerunt, licet colligere. *30. ſect. probl. q. 1.*

Occurrendum tamen eſt, notandumq. ex eodem Ariſtotele, malencholiam ſeu atrambilem, eſſe quidem ex ſe ab- *Ibidem.*

ſolutè

solutè frigidam; commixtam tamen vniuersi corporis naturæ, quæ diuersam omnino temperiem obtineat, calidissimam reddi posse, & ita sæpe de facto contingere. Sicut cum aqua natura sua frigida, calefacta feruet, & calidior quàm flamma sentitur: Et lapis, & ferrum ignito carbone calidiora euadunt, cum natura frigida etiam per se sint. Quare licet malencholica temperies ex naturali prædominio atræbilis, quæ frigida est, & sicca, sensationes omnes retardet, stupidaq. animalia reddat; præassatus tamen idem humor ab aliena temperie flauæ bilis, & sanguinis adustione, vinoque propter calorem, vt ait Aristoteles, persimilis effectus, ad omnes motus celerem, ac expeditum sensum interiorem reddit. Et sic apta dispositio cerebri semper à calore procedit, siue naturali, siue aduentitio, dummodo non multum excedat.

Secundo dicendum est, aptam cerebri temperiem, humidam aliquantulum magis esse, quàm siccam, humidioremq. in anterioribus ventriculis, quàm in posterioribus. Constat hoc primo ex Aristotele lib. 2. de part. animal. cap. 7. vbi cum docuisset, cerebrum naturam obtinere aquæ, & terræ communem, ex eo id probat, quòd cum coquitur indurescit atque siccescit, vt humore exacto à calore, terrena portio relinquatur. Sentit igitur ante coctionem in illa mixtione abundare potius humiditatem, quæ postea expellatur, quàm siccitatem. Quod ex eodem paulò inferius confirmatur: nam loquẽdo de calore cordis inualescente, docet, cõtra multum caliditatis illius, multũ cerebri humiditatis frigiditatisq. oppositũ esse; & humiditatis copia fieri, vt capitis os, quod caluariã appellamus, serò admodum induretur. Tãdem ne quis existimet humiditatem in cerebro multum excedere siccitatem: Si cerebrum, inquit, vel humet, vel siccet supra modum, suo fungi officio non potest. Deinde ex Galeno idipsum optimè probatur lib. 2. de temperamentis cap. 3. vbi postquam dixisset eiusdem generis esse cerebrum cum medulla spinali; Est tamen (adiungit) humidius, & calidius cerebrum, quàm spinalis medulla eòque etiam mollius: ipsiusque

cerebri priores partes tanto sunt humidiores, quanto molliores. Additque, omnia hæc cute quidem esse humidiora; cum lib. præcedenti cap. 9. dixisset cutem esse omnium extremorum calidi, & frigidi, humidi, & sicci verè mediam, maximeq. eam, quæ est in manu. Item lib. 3. de locis affectis cap. 5. idem Galenus refert, se nouisse quendam, qui ob laborem in studijs atque vigilias, memoriam penè ammiserat, læsa etiam ratione; & agricolam, qui ob labores, quos vites colendo subierat, ac tenuem victum, eodem modo affectus erat. Atque ij (subiungit) ex siccantibus calorificisq. lædebantur: madefacientia verò, quæ calefaciendi quoque vim haberent, haud mediocri ipsis erant præsidio. Apertè igitur Galenus ab experientia didicit, calorem, & humiditatem, absque tamen multo excessu in apto cerebri temperamento valere: Calorem nimirum, quem cerebrum à corde per sanguinem circumobsistentem præcipuè mutuatur: & humiditatem quam ex se habet; eiusdem tamen caloris ope aliquantulum remissam, ac temperatam.

Iam verò, vt vtramque simul conclusionem naturali discursu probemus, idoneamq. cerebri temperaturam, calidam, & humidam esse stabiliamus; obseruanda erit reliquarum primarum qualitatum combinationumq. ineptitudo ad præfatas operationes obeundas in tali subiecto. Etenim frigiditas robur exsoluit, spiritus constipat, pinguedinem creat, multisq. fœculentibus exhalationibus, & excrementitijs materijs coagulatis, sedem reddit oppletam, & coinquinatam. Vnde sensus torpeat necesse est, segniorq. in administratione spirituum euadat; imò & impotens ad excitandas, prout oportet, imagines, segregandas copulandasq. cum debita promptitudine, ac celeritate. Siccitas verò partes reddit immobiles, impressiones difficiles, faciles resolutiones spirituum, & arduam administrationem eorum: Vnde ingenio duri ac pertinaces, deficientes in plurimis, pauca sapientes, & quandoque penitus fatui, & amentes. Quod si frigiditas cum siccitate copuletur, vt in ijs, qui omnino naturam habent ex abundantia atræ bilis malencholicam, membraq.

 simili

simili temperamento disposita; tunc ex prædictis causis, homines fiunt ad omnia penè inutiles, tardi, segnes, timidi, ingenio duri, stolidi, & incapaces. Quod Aristoteles animaduertit cum ait: In quibus multa, & frigida bilis est atra, hi stolidi sunt, & ignaui. Pauloq. antea dixerat, quòd si illa modum excesserit, hominem facit attonitum, aut obtorpentem, aut anxium, aut formidolosum. Quod certè intelligitur per frigiditatem, ac siccitatem, quæ inde redundant in cerebrum. Si verò frigiditas cum humiditate coniungatur, quæ est natura phlegmatis, tunc augetur pinguedo, turbidaq. facile redditur sedes ex facilitate admixtionis vaporum, excrementitiæq. materiæ, vt ait Galenus, ac defectu discussionis, quæ fit per calorem; spiritusq. animales difficilius generantur, ac geniti torpent, & languent. Vnde homines pituitosi, somniculosi, immemores, sensibus quoque minimè vigentes, nec non & in cognitionibus confusi, crassaque, vt dicitur, ac pingui mineruа. Nam vt rectè docuit Galenus, pituita ad formandos animi mores omnino inutilis est. At si siccitas cum calore misceatur, vt in flaua bile, tum spiritus, tum partes ipsius cerebri resolubiles valde fiunt, motionibusq. nimis obnoxiæ propter attenuationem, & agilitatem expeditissimæ earum naturæ. Quo fit, vt homines sic instituti, celeres nimis sint in suis cogitationibus, & imaginationibus, plurimum vigilent, & ad multa statim, & inconsulto rapiantur, non patientes diuturnam contemplationem; ac propterea, vt sæpissimè fallantur, & eludantur, necnon & in amentiam ac furorem sint valde propensi. Vt simile quippiam prodit Aristoteles loquendo de ijs in quibus atra bilis admodum incalescit, nam pariter in illis siccitas, & calor manent in prædominium. Multique propterea (inquit) morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico inseruescunt.

Sect. 30. probl. quæst. 1.

Lib. artis medicinal. cap. 22.

Commentar. 1. in lib. Hippocr. de natura huma. in tex. 39.

Ibidem.

Remanet ergo calor non multum exuperans, qui proculdubio amplum sibi locum facit, auget vires, purgat medium, pinguedinem dissoluit, bene concoquit, & per euaporationem superflua expellit, nec quidquam finit inesse con-

contrarium. At si cum temperato calore non multa etiam humiditas adaptetur, vt diximus, placidiorem reddet cerebri substantiam absq; tumultu exagitationis; spiritu abundantem propter similitudinem temperiei; specierum refertissimam propter facilitatem impressionis, ac retentionis, quæ ab eadem dispositione nascitur, vt infra explicabitur; & ad omnes motus cognitionis exactam, & expeditam; vtpotè sinceram, constantem viribus, & ab omni labe, aut lentore purgatam ac defœcatam. Vt hinc, & mores rationabiles videamus oriri, & sensationes acutas atque sedatas, imaginationes promptas, ac volubiles pro arbitrio; æstimationes veras, memoriasq. firmas.

Diximus autem calorem non multum excedere frigiditatem in apta temperie, nec humiditatem similiter siccitatem. Nam excessus nimius caloris cum humiditate, ebullitionem statim parit in cerebro, sicut in ebrietate, ac proinde furorem, & inconstantiam; nec admittit in tanta agitatione, ac turbulentia insignes, ac distinctas impressiones, ex quibus pendet memoria, ac perfectio cognitionis. Vnde Galenus, *In lib. artis medicinal. cap. 12.* instabilitatis, ac mutationis opinionum hominis, causam esse ait nimiam cerebri caliditatem, & è contra, stabilitatis causam esse eiusdem cerebri frigiditatem. Adde quod rectum iudicium requirit cognitionem plurium circumstantiarum, & connexionum, quas habent obiacta inter se, ac suo modo magis postulat lentè, ac suauiter procedere, quàm cum festinatione, & tumultu. Vnde qui nimio calore, & humiditate abundant cerebro, semper tumultuosè agunt, ac præcipites sunt consilijs. Idemq. manifestè probatur in pueris, qui non nisi propter humiditatem nimiam, & calorem, quem habent in cerebro, nequeunt subtilia percipere, aut circa illa discurrere. Nam, vt docet Aristoteles, Pueris *De somn. & vigil. c. 4. & sect. 30. probl. q. 13.* quemadmodum ebrijs sursum fertur humiditas multa. Et rursus ait, fieri vt amentes sint pueri, & ebrij, & insani propter nimium calorem, cuius motu plurimo inquietantur. Contra, quod accidit in viris perfectis, atque in senibus, quibus cum sedata est substantia cerebri, calorque & humi-

 ditas

ditas illius magis, ac magis temperatur, aduenit etiam vsus perfectior ac maior perspicacitas sensus interni. Serò enim ab humiditate, ait Aristoteles, cerebrum vendicatur, præcipuè in homine: causamque ait esse; quoniam cerebrum humidissimum, & maximum omnium animalium homines habent, & calorem cordis purissimum; id quod (inquit) temperamentum intellectus planè significat, cum homo sit omnium animalium prudentissimus. Quamobrem cum Galenus animi, inquit, acumen, & dexteritatem à bilioso humore prodire; intelligendus est, quatenus siccitas illius temperat humiditatem. Nam idcirco hactenus probauit iudicium Heracliti docentis, siccitatem ingenij causam esse: splendor enim aridus (etiam dixerat) animus sapientissimus. Ex quo tamen argui non debet, siccitatem magis abundare, quàm humiditatem in apta cerebri temperie; sed magis commendari, quia vt plurimum desideratur, cum humiditas tanquam propria, & connaturalis subiecto nunquam deficiat, nisi per accidens ex infirmitate. Alioquin si siccitas humiditatem in cerebro superaret, sequerentur, quæ superius paulò ante retulimus incommoda, nec esset apta dispositio respectu cæterarum omnium operationum. Relinquitur ergo, siccitatem commendatam in cerebro, non esse excedentem, sed temperantem humiditatem, quæ semper abundat; quod certè consentaneum est doctrinæ Aristotelis, & experientiæ quam ex dissectione habemus. In quo verò gradu siccitas ab humiditate, & frigiditas à calore in apta cerebri temperie superetur, non potest certa aliqua mensura exactius definiri.

Lib. 2. de generat. animal. c. 4.

Commentar. 1. in lib. Hippoc. de natura humana in tex. 39.

Lib. quod animi mores. cap. 5.

De apta

De apta dispositione secundarum qualitatum in cerebro.
Cap. IV.


X temperamento primarum qualitatum proximè constituto colligi facilè potest, quæ nam secundæ qualitates, & in qua proportione illud in apta ipsa cerebri dispositione subsequãtur. Id quod & ab experientia, & obseruatione quantum sub sensum cadere potest, & ab operationibus erit comprobandum. Primò igitur certum est, in cerebro esse aliquam duritiem, & mollitiem, similiter ac aliquam densitatem, & raritatem: sed quia dubitari posset circa prædominium harum qualitatum, num potius vna, quàm altera vigeat ex contrarijs, & in qua intentione; idcirco determinandum in primis videtur, cerebrum molle quidem esse ex propria dispositione, magis quàm durum; non tamen eius mollitiem, nimiam suapte natura esse debere, præsertim in posteriori ventriculo, vnde potissimum ac per spinalem medullam nerui deriuantur destinati ad motum. Patet hoc primò ab experientia, quam obseruant omnes dissectatoriæ artis periti, quamq. Aristoteles adnotauit 2. de generat. animal. cap.4. Nam licet cerebrum à principio ob nimiam humiditatem ac mollitiem, vix consistat; mox tamen inquit, humore efflato, concoctoq. corporatur magis, subsidetq. Id, quod iure natura constituit, vt magnitudinem illius regeret, robur firmaret, ac solidaret ad motus arbitrarios cæteris animalium partibus impertiendos; ac disponeret ad motus sensationum, quæ consistentiam pariter quandam requirunt in organo ad imagines aptè excipiendas, & alias formandas, seu exprimendas, & conseruandas absque dissolutione, quæ frequenter prouenit ex mollitie, si nimis abundet. Alioquin moderata mollities, cerebri substantiam impressionibus magis accommodat, motionesq. specierum intentionalium facilius patitur, nec repugnat cum asser-

uatione imaginum. Vnde nascitur facilis appræhensio, agilitas cognitionis, ac memoria rerum. Quo circa Aristoteles pronunciauit, Animalia, quæ sensu hebeti sunt, cor habere durum, & spissum; quæ autem sensu valent, mollius. Dura enim substantia cerebri non tam facile, nec tam cito ab aduenientibus, vel conflatis simulacris in actu cognitionis funditus penetratur; ac proinde nec tam facile profunda fit impressio qualitatis illorum, nec tam cito perfectè, ac distinctè percipiuntur obiecta per illa; sed vel tardius, vel confusè; licet postea seruentur tenacius. Quæ ferè omnia egregiè Plato in Theæteto expressa reliquit, cum de cerebri substantia, ac dispositione sub ceræ nomine copiosè dissereret. Ait enim: Nam mollis nimium cera, celeres quidem ad percipiendum efficit; sed eosdem obliuiosos: dura verò contra diù memores, sed ineptos, tardosq. ad percipiendum. Et qui densam, & asperam, lapideamque, vel terream, vel fæculentam habent, obscura simulacra continent: obscura quoque qui duram; profunditas quippe non adest: obscura præterea qui molliorem; nam ex confusione facile euanescunt: hæc ille.

Lib.3. de partib. animal. cap.4.

In Theæteto longè post med.

Sed explicandum erit, cur in molliori cera, seu substantia cerebri obscura fiant simulacra ex confusione, & facilè euanescant. Nam certò hoc difficultate non caret, cum species intentionales, nec inter se misceantur, nec diuersum locum occupent, nec se inuicem ab eodem subiecto exterminent, aut quoquomodo afficiant, siue in molliori, siue in duriori substantia cerebri recipiantur. Quod enim pro exemplo adducitur de signaculis, quæ facilius in molliori cera insculpta, facilius etiam obliterantur, & confunduntur, si alia super alia adijciantur, futile omnino est in rigore loquendo, cum de figuris, & imaginibus intentionalibus aliter philosophandum sit, quàm de materialibus, quæ simul ibidem esse, ac diuersa repræsentare non possunt, sicut illæ.

Notandum igitur est, imagines rerum in molliori substantia agitari quippe magis, ac facilius conuelli cum partibus eiusdem substantiæ, quæ minus motui per calorem, vel aliam

causam

causam incusso valent resistere; Ex hoc autem fieri, vt ipsæ imagines impressæ inconstanter ad cognitionem deseruiant, aut inopportunè sese offerant, turbentque conceptus; qui dum fixè aliquid exprimere minus possunt, imperfectè nimis, & obscurè procedunt, ac facilè euanescunt. Quod si per applicationem animi vehementem, quandoque, & species cum ordine reuocentur, & conceptus ritè procedant, efficietur quidem, vt promptè exprimantur, quæ requiruntur, non tamen vt diutius, quæ expressa sunt, retineantur. Siquidem inconstantia subiecti agitat, & dissoluit facilius formam illius. Adde quod vapores humorum, exalationesq. ciborum cerebrum infestantes, facilius permeant in substantiam molliorem, eamq. fæculentam reddunt; quia rarior vt plurimum, ac debilior est ad resistendum, dispositionemq. propterea magis valent corrumpere, qua species asseruantur: ac se intermiscendo cum partibus substantiæ, impressiones, aut expressiones in illa quam maximè turbant.

Præcipua verò causa cur species diutius in duriori, quàm in molliori substantia conseruentur, non solū est, quia dispositio in validiori subiecto, minus offenditur à contrarijs; sed quia partes ipsæ molliores, in quibus species imprimuntur, facilius, ac citius deperduntur per calorem naturalē omnia deuorantem. Et quamuis corruptis successiuè, ac paulatim partibus cerebri, in quibus impressæ erant species, nō intelligantur omnino etiam ipsæ species aboletæ: siquidē huiusmodi species in nouas quoq; partes succedentes ad instaurationem cerebri sensim sese valent propagare, atque diffundere: nihilominus ipsas non eiusdem vigoris esse censendum est, atq; cum primò in prioribus illis partibus fuerunt impressæ, sed magis ac magis debiliores, quousque tandem omnino depereant; vt rectè explicauit Hieronymus Fracastorius. *Lib. 1. de intellectione non longe ab initio.*

Duriuscula ergo substantia cerebri, seu haud nimis mollis aptissima erit, cùm ad appræhensionem obiectorum, quorum imagines non sculpuntur quasi per incisionem in silice, sed inuehuntur quasi per luminis irradiationem in oculum: tùm ad eorundem memoriam, quæ non lapideis asseruatur

 idolis,

idolis, vel durissimo contineri debet in vasculo; sed in speciebus intentionalibus, quarum conseruatio sicut pendet ab aliqua soliditate subiecti, vt diximus; ita pariter à perfecta dispositione primarum qualitatum, quæ cum omnimoda duritie, aut nimia mollitie reperiri non potest. Atque in omnibus eadem est apta dispositio ad receptionem, & vsum specierum intentionalium, atque ad conseruationem illarum, sicut eadem est causa auferens, vel impediens vsum, & corrumpens, aut labefactans per aliquam læsionem subiectum illarum.

Secundo dicendum est, cerebrum nec nimis rarum, nec nimis densum esse debere ad operationes, rectè in illo per sensum obeundas. Quod pariter colligitur ex dispositionibus supra determinatis; Siquidem nec multa densitas cum humiditate, & mollitie, nec multa raritas cum aliqua duritie esse posset. Nam & metalla liquata rarefiunt, & rarefacta mollescunt, vt aurum igne satis purgatum. Probatur autem, nam raritas nimia in cerebro locum præstat exhalationibus, & vaporibus illuc ascendentibus, qui lutulentum, ac fuliginosum illud sæpissimè reddunt. Rursus multa raritas nimis alterabilem, & mobilem, ac valde debilem constituit substantiam. Item in rariori subiecto, imbecilliores, ac remissiores fiunt impressiones qualitatum. Vnde species obiectorum, quæ in aere nihil, aut debiliter repræsentant; in vitro, vel crystallo, quæ densiora sunt diaphana, obiecta ipsa aptissimè referunt, vt patet in inspicillis. Et eadem intentio luminis, aut caloris, in densiori subiecto, intentius, quàm in rariori sentitur. Sic igitur in cerebro nimis raro imbecilliores fiunt impressiones imaginum, remissioresq. repræsentationes; proindeq. tenuiores memoriæ, quæ tandem facilius euanescunt.

Contra verò, licet in densiori substantia cerebri robustiores fiant impressiones, quæ diutius conseruantur, viuacioresq. reddunt obiectorum cognitiones: Si tamen nimis densa illa sit, superficiarias ferè tantum admittit impressiones; non quidem ex eo, quod qualitas illa repræsentatiua æquè

diffundi

diffundi non possit in subiecto denso, ac in raro, cæteris paribus, sicut videmus diffundi species visiuas per aerem, atque crystallum; sed quia cum lationes imaginum fiant per spiritus animales, & his non liceat per poros densam cerebri substantiam, sicut raram, intrinsecus penetrare, nequeunt tam profundæ, & efficaces fieri impressiones. Rursus nam quando in cerebro sunt admixti vapores, & exhalationes in densiori subiecto magis impediunt: nam & ipsæ condensantur, sicut in aere crasso, & caliginoso: vnde & puluis in aqua magis quàm in aere impedit visionem. Quare sicut in profundum turbidum se immergentibus, vel in caliginoso aere existentibus, obscura fiunt simulacra; sic sensui in densiori, & vaporoso cerebro constituto. Quod propriè intendebat Plato verbis citatis, cum densam simul, & terream, ac fæculentam, & lapideam ceram vocaret, quæ obscura continet simulacra. Idemq. ex Aristotele corroboratur, qui hebeti sensu esse dixit, qui cor habent durum, ac spissum, vt paulò ante de mollitie, ac duritie loquendo retulimus.

In Theæteto longe post med.

Lib. 3. de part. animal. cap. 4.

Tertio dicendum est, cerebrum omni pinguedine, ac viscositate absolutum esse debere. Id quod manifestè constare potest ex dictis; nam ad celeres motus, & agilitatem cognitionum per liberum accursum, ac discursum spirituum, & imaginum, non parùm obstat pinguedo sua spissitudine, & adhærentia partium, ac sua tenacitate viscositas; Sicut non parum refert sinceritas, ac solutio partium, quæ tanquam homogeneæ, ac magna ex parte fluxibiles, æquè affici ac dimoueri possunt iuxta exigentiam naturæ ad excipiendas impressiones, ac vires distribuendas per spiritus animales ad motum pro arbitrio. Præterea tàm pinguedo, quàm viscositas, causam supponunt in subiecto frigidam, materiamque crudam, & excrementosam; Nam, & pinguedo excrementum est, ait Aristoteles, alias bonitate substantiæ salubræ; & in vegetioribus, excrementum concoctum transit in pingue: frigidum autem, & excrementosum cerebrum non rectè se habet ad operationes, quæ in illo exerceri debent, vt supra diximus; Vnde rudes propterea pingui dicuntur minerua.

Lib. 1. de gener. animal. cap. 18.

nerua. Cæterum & si aliæ sint secundæ qualitates cerebrum diuersimodè disponentes, de his tamen potioribus dixisse sufficiat, ne longius nimis hac de re sermonem protrahamus.

Easdem dispositiones cerebri deseruire ad aptitudinem cuiusque sensationis internæ.
Cap. V.



QVAMVIS ex dictis de vnaquaque dispositione cerebri satis fortasse constare possit, eas propriam aptitudinem sibi vendicare in ordine ad cunctas operationes sensus interioris; explicandum tamen hoc erat seorsum, ac magis in particulari ad tollendas quamplures difficultates. Etenim si eadem dispositio ad omnes huiusmodi operationes æquè valeret, æquè cum illa omnes procederent; nec vna potius, quam alia operatio cum tali dispositione rectè, vel prauè proprium munus obiret, quemadmodum sæpè de facto contingit. Nam exuperans calor in cerebro iuuat imaginationem, officit autem prudentiæ ac rectæ extimationi, vt patet in delirio ex causa calefaciente. Similiter humiditas, ac mollities plurima conducit quidem ad faciliorem appræhensionem; obstat nihilominus ad diuturniorem retentionem. Contrà verò siccitas, & durities retardat appræhensionem, confert autem ad retentionem. Tandem dispositio, quæ in pueris apprimè valet ad appræhendendum, ac memoriter tenendum, parum deseruit ad iudicandum. Quod contrà accidit in senibus, de quibus Solon.

Apud Clement. Alexandrin. Strom. 6.

Sexta ætas animo si quid deest, addet, eaq.
Disces quid deceat, quid quoque dedeceat.

Cum tamen senes difficilius alia de nouo appræhendere, ac memoriæ mandare præualeant. Et sic ex hominibus alij imaginatione potissimum dicuntur pollere; alij verò memoria: alij ingenio, & acumine: alij prudentia, aut perspicacitate; Imò in brutis etiam obseruatur sagacitas canis, calliditas

ditas serpentis, prudentia Elephantis, & plurium memoria, aut alia excellentia cognoscitiuarum operationum, quę non nisi à diuersis dispositionibus ipsorum animalium secundum species suas oriri putantur.

Dicendum tamen est easdem dispositiones cerebri deseruire ad aptitudinem cuiusque sensationis internæ, siue prima obiectorum appræhensio illa sit, siue imaginatio varia, æstimatio, aut memoria. Ita manifestè colligitur primo ex Platone in Theæteto longè post medium, vbi cum statuisset rectam cerebri dispositionem tanquam ceteræ cuiusdam materiæ, in qua, vt supra dixerat, quidquid eorum, quæ aut videmus, aut audimus, aut ipsi excogitamus, & meminimus, exprimimus: concludit. Ac primo quidem homines sic instituti, dociles sunt, & acuti; deinde etiam memores; postremo sensuum simulacra non commutant, vnde nimirum vera opinantur. Tum idem quoque colligitur ex Aristotele, qui lib. 3. de part. animal. cap. 4. absque vlla distinctione internarum cognitionum loquitur de animalibus, quæ sensu (scilicet interno) melius valent, atque de his, quæ sensu hebetiori sunt, ex varia dispositione organi; & lib. de mem. & remin. cap. 1. memoriam ait esse intellectiui secundum accidens; per se autem primi sensitiui, quia etiam intelligibilium non est sine phantasmate, & memorabilia per se quidem esse, quorum est imaginatio. Ex quibus colligitur eandem dispositionem organi per se facere ad imaginationem, & memoriam primi sensitiui; per accidens verò ad intellectum. Rursus ibidem cap. 2. docet multum veloces, & multum tardos esse immemores: illi enim, inquit, humidiores sunt quam opportunum sit; hi verò sicciores, vel duriores, ac propterea illis non manet phantasma in anima, hos verò non tangit. Sensit igitur Aristoteles eandem dispositionem, quæ per excessum humiditatis, aut siccitatis reddit homines multum, ac nimis veloces, aut tardos, illos reddere immemores; & consequenter absque tali excessu, nec nimis veloces, nec nimis tardos, nec immemores reddere, sed in omnibus æquabiliter aptos. Præterea Aristoteles

cap. 4.

cap. 4. eiusdem operis docet; pueros, & nanis similes superiora maiora habentes, esse minus memoratiuos: & in reminiscendo (quod opus tanquam syllogismus ad intellectiuum pertinere paulò ante dixerat) non facilè illos rectè procedere: Causamq. reddit, quòd grauitatem multam habeant in sensitiuo: & quia neque à principio motus possunt immanere, sed dissoluuntur. Iuxta quod etiam lib. de somno, & vig. cap.4. dixerat, pueris quemadmodum ebrijs sursum fertur humiditas multa: Naniformibus verò, magnaq. capita habentibus sursum impetus multus, & euaporatio fit: Nec facilè inquit diffluere humiditatem congestam in illis, cum venas obtineant angustas. Libro verò 4. de partibus animal. cap. 10. docet Aristoteles, bruta hominibus esse dementiora, & inter homines, pueros viris, & inter viros, pomiliones, nempe superiora maiora habentes, mente deficere: Constat igitur ex Aristotele eandem dispositionem esse, quæ & ad memoriam, & ad cæteras internas cognitiones ineptos pueros, ac viros pomiliones reddit, sicut & valdè senes, vt ipsemet innuit cap. 4. de mem. & remin. propter motum, & fluxum humiditatis, ac decrementum caloris.

Ratione verò probatur assertum primò; Nam si diuersa dispositio præsertim primarum qualitatum per se requireretur ad imaginationem ab ea, quæ requiritur ad memoriam, nunquam perfectè, aut saltem rectè exerceri possent huiusmodi operationes ab eodem homine; quia impossibile est simul cerebrum esse dispositum dispositionibus contrarijs, prout ad perfectionem ipsarum operationum requireretur, si vna temperamentum calidum, verbi gratia; alia verò frigidum in organo requireret. Atqui experientia constat, eundem hominem simul aptissimè imaginari, recordari, extimare, atque discurrere, vt infra inductione patebit; ergo non diuersa, & contraria, sed eadem est dispositio, quæ ad has omnes operationes rectè exercendas deseruit.

Secundo probatur, nam eadem aptitudo, ac dispositio cerebri, spirituumq. animalium administratio, quæ magnopere

pere valet ad viuacem appræhensionem, & expressionem obiecti, similiter necessario valet ad profundam, & insignem impressionem, asseruationemq. imaginis illius, vnde oritur postea recordatio. Sicut è contrà, praua dispositio organi, vtpotè tenuioribus, humidioribusque, ac frigidioribus quàm decet partibus cerebrum componatur; non modo imbecillem reddit memoriam, sed & remissam appræhensionem, atque imaginationem eorundem sensibilium obiectorum; cum vtrumque pendeat ab eadem impressione remissa specierum in tali subiecto.

Tertio, nam eadem capacitas, & retentio multarum imaginum, ac promptitudo ad recolenda præterita, magnam inuoluit aptitudinem imaginationis eiusq. organi, in quo diuersimodè illa copulantur, ac secernuntur ad inuicem: & vbi tam varia, ac tam plura possunt effingi, prout ab imaginatione efformantur, magna supponitur adesse retentio præteritorum, quibus ipsa molimina adumbrantur. Quapropter non est, qui magnam ostendat memoriam, in quo pariter insignis non obseruetur imaginatio, & è contra. Nam vt inquit Aristoteles, cuius eorum, quæ animæ memoria sit, manifestum est, quòd cuius, & imaginatio est: & sunt memorabilia per se quidem quorum est imaginatio. Quod præsertim liquet in exercitationibus artium, ac disciplinarum, quæ vtramque excellentiam virtutis requirunt, cuiusmodi sunt omnes mathematicæ, ac plurimæ mechanicæ.

De memor. & remin. cap. 1.

Quarto denique, ratio à priori est quoniam operationes subordinatæ, & exercendæ in eodem organo, seu subiecto, sicut propriam aptitudinem sumunt ab vnica proportione, & coordinatione, quam habent inter se; ita vnam eandemque dispositionem organizationis, ac symmetriam qualitatum supponere debent in subiecto, quæ sit omnibus accommodata.

Pro solutione verò rationum, & explicatione experimentorum in contrarium; Notandum est, perfectionem internæ ac sensitiuæ appræhensionis non consistere in tam subita rerum perceptione, quæ facilè locum præstet defectui, aut errori,

rori,

rori, præſertim verſando circa abſentia, vel ſenſibilia per accidens; (Nam circa præſentia, quæ ſimul percipiuntur à ſenſibus externis, illa ſemper eodem modo in omnibus ſe habet) etenim plures attendendæ ſunt differentiæ, ac circumſtantiæ ad formandum verum, ac proprium conceptum de rebus, qui per motum ſenſus non niſi in proportionato tempore fieri poteſt. Quare ſicut tarditas, ità velocitas nimia dicit exceſſum, atque imperfectionem: Adde quod nimia celeritate appræhenſionis, inconſtantes homines redduntur in ſuis opinionibus, ac maxima imaginationis volubilitate nunquam in eodem cogitatu perſiſtunt, ſed quolibet impulſu nouitatis circumferuntur.

Deinde obſeruandum eſt, nec perfectionem imaginationis conſiſtere in vehementi illa rerum conceptione, quam experimur in phreneticis, & alijs valida aliqua paſſione affectis, vt qui cum aliquid terribile imaginantur, voces emittere conſueuerunt, ac ſi verè talia paterentur, vt ait D. Auguſtinus. Vel cum aliqua cogitant, ità tenaciter quaſi ante oculos tenent, vt nequeant illa dimittere, & ſi in aliud quandoque ſenſus diuertatur; ſtatim in eadem redeat importune, non ſecus ac iræ, & timores, qui vt ait Ariſtoteles, cum commoti fuerint contrà mouentibus non ſedantur, ſed ad idem contra mouent. Nam huiuſmodi imaginatio locum non præſtat intellectui, vel extimationi, nec alijs rerum cogitationibus; ac propterea ſemper eſt cauſa deceptionis; Et non videtur naturam, quæ ad concordiam potentiarum ſemper intendit, perfectionem talis operationis in eo conſtituiſſe, vt ſola vigeret, nec pateretur iudicium intellectus, vel extimationis, & non niſi circa quædam viuaciſſimè, ac tenaciter verſaretur; ſed potius, vt facile, & opportunè poſſit quæ voluntas decernit, quæque in diſcurſu occurrunt appræhendere, atque ſecundum iudicium intellectus mutare, ac diuerſimodè componere, ac diuidere, plura ac varia ſemper moliendo cum debita perſiſtentia.

Lib. 11. de Trinit. cap. 4.

De memor. & remin. cap. vlt.

Quod idem de memoria quoque erit prænotandum, cum eius perfectio non ſit conſtituenda in illa tenacitate, qua nec obli-

obliterari, nec modificari possunt species semel impressæ. Nam sic non nisi tardè, & pauca imprimi possunt, & errata difficilè correctionem suscipiunt, vnde praui habitus oriuntur, qui prauam, paruamq. subiecti capacitatem arguunt, neque constituenda erit eius perfectio in exacta retentione quarundam tantum rerum, vel minimarum, vt infrà explicabitur, sed potius perfectio memoriæ constituetur in sufficienti tenacitate, ac promptitudine, quibus possit omnia hausta seruare, & seruata immutare,& cum placuerit, iuxtà opportunitatem recolere, & subministrare.

His ergò positis,ad argumentum contrarium in principio positum respondetur, eandem dispositionem cerebri secundum expositam symmetriam qualitatum, æquè valere ad omnes operationes in illo aptissimè exercendas per sensum interiorem: secundum verò excessum quarundam qualitatum ad nullam operationem perfectè obeundam valere, non æquè tamen omnibus aduersari, sed magis,aut minus iuxtà oppositionem qualitatis cum naturali exigentia talis,aut alterius operationis. Nam excessus caloris verbi gratia magis aduersatur extimationi, quam imaginationi, & excessus humiditatis magis officit retentioni quam appræhensioni: omninò tamen omnis recessus ab illa symmetria imperfectionem dicit. Quarè negandum est exuperantem illum calorem in cerebro iuuare, ac perficere imaginationem, nam quamuis verè augeat, nimis tamen augendo dissoluit potius quam perficiat. Similiter dicimus nimiam humiditatem, ac tenuitatem partium, non perficere appræhensionem, sed illam errantem, ac plus quam decet volubilem constituere; Nec duritiem, ac siccitatem excedentem,perfectam præstare memoriam, sed tardam,multorum incapacem, & inflexibilem ad recipiendas modificationes præteritorum conceptuum per nouam cognitionem. Imò siccescente admodum cerebro,vt in quibusdam senibus,quæ ingeruntur imagines, seu res, quæ concipiuntur,non tamdiu retinentur, sicut quæ in pueritia quando humor potius abundabat. Et hic neque ad retentionem valet nimia siccitas.

Quod

Quod, si pueri melius quam senes appræhendere, ac memoriæ mandare consueuerint: id certè contingit, tum quia, vt ait Aristoteles, iuniores rem ferme nullam tenemus, cum enim res plerasque scimus, non æquè præterea capere alias possumus: Tum etiam vt ait Plotinus, quia pueri non cito desistunt, sed rem ipsam diu ante oculos habent, quippe cum non distrahantur in multa, sed paucis vehementer incumbant. Quorum vero cogitatio visq. circa multa versatur, hi quasi percurrunt, & nusquam insistunt. Alioquin dispositio, quæ citrà vitium corruptæ naturæ competit senibus, præsertim vegetioribus, cùm ad ipsa sensibilia appræhendenda, & exactius discernenda, tum ad iudicandum de illis, firmiterq. quæ appræhenderint, ac iudicauerint retinenda, longè aptior, & exquisitior est omnibus alijs dispositionibus cerebri, quæ secundum cæteras ætates hominibus conueniunt, vt perspicuè colligitur ex doctrina Aristotelis ibidem tradita. Quare nonnulli ad pauca intendentes, vel ex industria exercitati, adhuc in ætate prouecta non secus ac pueri memoriæ mandare fœliciter valent. Vt Cato, qui ętate iam grādis Græcis litteris, & Accursius, qui quadragenarius legibus operam dare cœperunt. Et pueri, qui præter naturalem cursum ætatis senilē dispositionē in cerebro sunt adepti, cum facili appræhensione, iudicio quoque ac discursu potiuntur eximio, ac breui postea, vt plurimum moriuntur.

Sect. 30. probl. 9.4.

Æneade 4. lib. 6. cap. 3.

Ad illud verò de imaginatione, aut memoria, acumine, aut prudentia qua potissimum diuersi homines dicūtur pollere, respondetur, sæpè nonnullas operationes cognoscitiuas, magis quam alias elucere, etiam si perfectiores illis non sint, idque solum ratione applicationis, & circumstantiarum quibus alia alijs fiunt euidentiores, vt cum applicatur sensus ad aliqua memoriter appræhendenda, ac eadem voce reddenda, non autem ad noua excogitanda, & effingenda, aut alia exprimenda. Sæpissimè verò contingere, vt vna operatio, seu cognitio magis quàm alia impediatur, vt operatio intellectus in dormientibus, vel amentibus, & imaginatio in phreneticis, aut simili morbo laborantibus: In quibus

omnibus operatio, quæ viget, respectiuè tantũ,& non absolutè dicitur bona, nam simpliciter,neque imaginatio,neque æstimatio, neq; memoria est perfecta in his, qui mente deficiunt, vt manifestè liquet in ipsis somnijs, ac puerilibus imaginationibus. Quapropter vna dispositio cerebri erit quidem minus contraria vni cognitioni, quam alteri, non tamen absolutè, & omninò apta ad illam, & non ad alias. Et sic licet aliqua interna sensatio melius quandoque cum vna, quam cum alia dispositione operetur; non tamen illa erit optima, & ex se requisita dispositio, sed ea, quæ proportionaliter ad omnes internas sensationes æquè, ac perfectè deseruit. Quod idem licet obseruare in eodem genere operationis; nam cum viget, verbi gratia,sola speculatio intellectus circa vniuersalia, & immaterialia, meliorem quidem dispositionem cerebri censetur intellectus obtinere, quam cum neque circa singularia prudenter discurrere, neque circa vniuersalia subtiliter speculari conceditur. Cæterum talis dispositio non est simpliciter bona, sed illa per quam intellectus expeditè, ac perfectè circa omnia valet versari. Similiter idem obseruatur in operationibus imaginatiuæ,ac memoratiuæ,vt cum vni datur optima imaginatio circa sonos,alteri circa figuras: vni conceditur memoria rerum, alteri verborum. Nam perfecta simpliciter memoria, vel imaginatio æquè benè circà omnia versatur. Vnde qui optimo potiuntur ingenio, ad omnes facultates, ac scientias inueniuntur idonei; qui verò in quibusdam deficiunt, ad eas tantum artes, ac disciplinas se præbent paratos, quibus dispositiones illæ, quæ desiderantur non sunt adeo necessariæ, ac requisitæ.

Quæ omnia facilè applicari possunt ad soluẽdum id,quod etiam afferebatur de brutis;nam dispositio,quæ tribuit calliditatem serpenti,vel similem aliam præstantiam cognitionis alteri bruto, non est optima dispositio, cum perfectio illius simpliciter attendatur in ordine ad omnes operationes subordinatas,& secundum conditiones supra explicatas.Quamobrem in belluis, quæ perfectiori natura, ac sensu præditæ

 sunt,

ſunt, non vnam, ſed plures huiuſmodi excellentias quoad internas ſenſationes licebit obſeruare, vt in canibus, elephantibus, & alijs, in quibus cum ſagacitate, & prudentia inuenitur docilitas, ingenium, ac memoria; & ſic de alijs proportionaliter iuxta perfectionem, quæ illis competit ratione propriæ ſpeciei.

Eaſdem quoque diſpoſitiones deſeruire ad aptitudinem operationum intellectus in homine.

Cap. VI.



ECVLIARIS ſupereſt difficultas de præfatis diſpoſitionibus cerebri reſpectu operationum intellectus in homine. Quandoquidem non defuere, qui nullo modo concederent, eaſdem diſpoſitiones requiri ad internas ſenſationes, atque ad operationes intellectus aptè exercendas. Id quod triplici fundamento ſuadebatur. Primo, quia ſeneſcentibus hominibus videmus cunctas internas ſenſationes paulatim deficere, ita vt tandem in decrepitis labatur in dies memoria, langueat imaginatio, ac debilior fiat iugiter appræhenſio; cum tamen diſcurſus non modò vigeat, ſed & incrementum ſumat quotidie, quia ſuſtinet aliquid anima, inquit Ariſtoteles, quod non debilitatur ſenio. Vnde conſequenter etiã dixit ſeniores amplius mente valere, iuniores ocyus diſcere. Et Hieronymus omnes penè virtutes corporis, inquit, mutantur in ſenibus, & creſcente ſola ſapientia, decreſcunt cæteræ vires, quod non videtur poſſe contingere abſque diuerſitate peculiarium diſpoſitionum in organo, quæ perficiantur, & incrementum ſuſcipiant, decreſcentibus illis, quæ ad ſenſationes deſeruiebant.

1. de anima tex. 65.
Sect. 30. probl. q. 4.
Epiſt. 1. ad Nepotian. tom. 2.

Secundo, quia memoria magis vigere putatur in ijs, qui obtuſo hebetiq. ingenio ſunt, vt patet ex Ariſtotele, qui non eoſdem eſſe, inquit memoratiuos ac reminiſcitiuos: Nam pro-

De memor. & remin. cap. 1.

profectò memoratiuos frequenter magis esse docet, qui tardi, reminiscitiuos autem, qui veloces ac dociles suapte natura sunt. At memoria est sentientis interius facultatis operatio; reminiscentia verò intelligentis, ac veluti syllogismus, vt explicuimus. Ergo diuersa est dispositio in organo requisita ad operationes interius sensitiuas, atque ad operationes intellectiuas. *Lib. 1. tract. 4. cap. 10.*

Tertio, quia per furorem, vel insaniam, sensationibus cunctis rectè procedentibus, perperam homines ratiocinantur, vt obseruat Galenus narrans phreneticum quendam Romæ fuisse, qui per fenestram ex vitreis vasis, quæ habebat, singula ostendens, prætereuntes interrogabat, num proijcere iuberent; illi verò ridentes, plaudentesq. rogabant, vt proijceret; tum ipse omnia arripiens eiecit: postea cum eos interrogasset, iuberent ne puerum quoque proijci; atque id illi similiter iussissent, illicò ipsum deiecit. Hic enim (inquit) cum singula vasa rectissimè nominabat, manifestè declarabat, nec imaginatione circa ea læsum esse, nec memoria, sed rationatrice tantùm animæ parte, ob prauas nimirum, ac peculiares dispositiones introductas in organum, quæ imaginationi, ac memoriæ non aduersabantur, sed tantùm ratiocinationi. *Lib. 4. de locis affect. cap. 2. Et de symptom. different. cap. 2.*

Ex quibus nonnulli sumpsere, intellectum, peculiarem ac segregatam quandam partem obtinere in cerebro, peculiaribus munitam dispositionibus, quam vt plurimum aiunt esse medium cerebri ventriculum, cui inhæreat, & à quo dependeat, sicut ab oculo potentia visiua; quæ iuxta illius aptitudinem rectè, vel prauè operetur, ne dicatur intellectum necessariò operari iuxta præstitam sibi operam à phantasmatibus, ac iuxta dispositionem organorum alterius facultatis cognoscitiuæ, nempè sensus interioris; quod maximum putant esse inconueniens, & supereminentiæ intellectus maximè derogare. *Ioan. Huartes in examine ingen. cap. 1. & 6.*

Quam tamen opinionem, nec satis firmam in fide nostra, nec Peripateticæ doctrinæ consonam aliquando cõperimus: Arduum enim esset cum illa animæ immortalitatem defen-

dere; quandoquidem si semel admittat intellectum esse potentiam organicam, illum simul cum organo deperire, sicut cæteras huiusmodi potentias, consequenter debet fateri. Non enim potest intelligi accidens inhærens subiecto absque dependentia sui esse ab illo, neque corruptio subiecti absque corruptione accidentium illius, quæ migrare nō possunt à subiecto in subiectum; Nam quod independenter in alio accipitur, non potest esse nisi substantia cum partiali saltem subsistentia, cum duo sint modi essendi, vel independenter ab alio, siue in se sit, siue in alio recipiatur, vel dependenter ab illo, in quo recipitur; & primus modus conueniat substantiæ, secundus verò accidenti. Quod si intellectus in esse dependeret à subiecto corporeo, quomodo esset immaterialis, & incorruptibilis? Et si corruptibilis, & materialis, quo nam ex principio immaterialitas, atque immortalitas animi, naturali lumine demonstraretur? cum verum sit illud Augustini ad demonstrandam animæ immortalitatem, à ratione (nimirum à facultate ratiocinandi) esse incipiendum. Vnde qui ex veteribus magni nominis Philosophi animæ immaterialitatem, ac immortalitatem asseruerunt, hi omnes hoc præcipuè naturæ lumine ducebantur; Quod cum intellectus, diuinum quid esse experiretur ex suis operationibus extra materiæ conditionem, vel mixtionem; hinc non modo intellectum ipsum, sed & substantiam, ex qua fluit, & in qua recipitur, nempe animam rationalem, immaterialem quoque esse, à corpore separabilem, ac omninò ab interitu alienam existimabant; vt longa serie discursus videre est apud Platonem in Thimæo, Philebo, Menone, & in libris de Republica. Et apud Aristotelem, qui cum sæpè docuisset intellectum esse impassibilem, minimèq; cum corpore mixtum, & ei instrumentum aliquod non esse sicut sensitiuo, sed esse quid diuinum, ac facultatem extrinsecus aduenientem, ac separabilem: ex hoc videtur colligere, ac distinguere genus animæ rationalis ab alijs, illudque immortale constituere, vt patet lib. 2. de anima tex. 21. vbi licet dubitatione, qua solet de rebus

Lib. de immortalitate animæ.

Arist. de Anima lib. 1. tex. 65. & 66. & lib. 3. tex. 4. 6. 7. & 19. & lib. 2. de generat. animal. c. 3.

de rebus spiritualibus, sic tamen inquit; De intellectu autem, & speculatiua potentia nihil adhuc manifestum est; sed videtur genus aliud animæ esse, id est ad aliud genus animæ pertinere, & hoc solum posse separari, sicut perpetuum à corruptibili, & lib. 4. de partibus animal. cap. 10. cum dixisset hominis naturam, atque substantiam diuinam esse, ait, officium enim diuini est intelligere, atque sapere, & lib. 10. ethic. cap. 8. colligit, sapientem esse Deo carissimum ex eo, quod Dij intellectu humano tanquam re ipsis cognata delectentur. Denique idem apud Tullium discretis, & præclaris verbis reperitur expressum lib. 1. Tuscul. quæst. Nihil enim, inquit, est in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, aut fictum esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum: his enim in naturis nihil est, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura præuideat, & complecti possit præsentia; quæ sola diuina sunt. Singularis est igitur quædam natura, atque vis animi seiuncta ab his vsitatis, notisq. naturis. Hæc ille, ad significandam independentiam intellectus à dispositionibus corporis, ex qua statim colligit immortalitatem animi, concludens. Itaque quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste, & diuinum est, ob eamque rem æternum sit, necesse est.

Nec prætermittendum est, idem probari posse ex actibus liberis nostræ voluntatis, non sine principali respectu ad intellectum, cum in illo radix libertatis à Philosophis, ac Theologis constituatur. Si quidem libertas, & indifferentia in actibus voluntatis prouenit ex iudicio rationis, vt docet S. Thomas; nam quælibet potentia indifferens ad opposita, 1. p. q. 33. art. 1. talis est, quia cum ratione est, vt latè prosequitur Aristoteles 9. metaph. cap. 3. ad distinctionem potentiarum irrationalium, quæ sunt determinatæ ad vnum. Vnde fit, vt quoties intellectus caret vsu rationis, careat etiam voluntas vsu libertatis, vt patet in paruulis, amentibus, ac dormientibus. Quare si intellectus ex inhærentia in corpore, vel dependen-

tia ab organo corporeo, corruptibilitatem contraheret, vt ostensum est; etiam voluntas, quæ ab ipso tanquam à radice, libertatem formaliter habet, corruptibilis existeret, totaque immaterialium potentiarum natura corrueret.

Alia est igitur dependentia intellectus, quoad suas operationes, à dispositionibus cerebri in humano corpore, nempe ratione phantasmatum, seu operationum sensus interioris, quæ elici debent in ipso cerebro bene disposito, atque organizato, & concurrere debent cum intellectu in rerum perceptione. Porrò naturaliter loquendo, vt docet Aristoteles, qui non sentit aliquid, nihil vtique addiscet, nec intelliget, & cum speculetur, necesse est simul phantasma aliquod speculari: Siquidem vt absque controuersia Philosophi statuerunt, operationes omnes sunt suppositorum, nempe integræ naturæ subsistentis, vt colligitur ex eodem Aristotele, & est etiam receptum apud Theologos; quo fit, vt hominum operationes duplex respicere debeant principium suæ conditionis, iuxtà duplicem naturam partialem (corpoream scilicet, & spiritualem) ex qua totus homo conflatur. Vnde ad hoc vt verè, ac semper totus homo, totaq. eius natura operetur, operationes eius corporeas, vitam, ac sensualitatem mutuari oportet ab anima; spirituales verò, necessarium satellitium sibi à phantasmatibus, corporeisq. facultatibus comparare. Quoniam verò phantasmata, sicut omnes operationes cuiusque facultatis corporeæ non nisi iuxta dispositionem organorum possunt procedere; hinc fit, vt mediantibus illis, etiam intellectus in suis operationibus naturaliter obeundis, à dispositionibus cerebri dependeat.

3. de anima tex. 64.

D. Tho. 1. par. q. 39. art. 5. & 3. p. q. 19. art. 1. Concil. Florent. sess. 18. non longe à fine.

Hac autem, & non alia dependentia in intellectu à dispositionibus cerebri constituta, dicendum est dispositiones ad aptitudinem operationum intellectus requisitas, non esse alias, ac diuersas ab illis, quæ ad rectitudinem, ac perfectionem internarum sensationum requiruntur, sed easdem omnino, quæ ad vtrumque munus deseruiunt. Quod ex eo probatur primo, quia cum operationes intellectus dum anima est in corpore, pendeant à famulatu, & consortio phantasmatum,

tasmatum, certum est illas propriam rectitudinem, ac perfectionem non desumere ab imperfectione, ac prauitate istarum, sed potius ab aptitudine, ac perfectione; nam videmus per falsam appræhensionem sensus, prauamq. imaginationem, ac per defectum memoriæ sensitiuæ decipi quoque, ac deficere ipsum intellectum in extimatione rerum, ac recordatione, vt patet in ebrietatibus, & morbis quibusdam ait Aristoteles, qui propterea addit, quod ipsum intelligere, ac speculari marcescit alio quodam interius corrupto, nempè sensu, cum ipse intellectus quid impassibile, ac diuinum sit; & rursus, Non reminiscimur, inquit, quin licet hoc impassibile sit, passiuus tamen intellectus (nempe phantasia) vt exponit Simplicius, corruptibilis est, & sine hoc nihil intelligit anima. E contra verò scimus per veram appræhensionem sensus, aptamq. subministrationem phantasmatum, ac firmitatem memoriæ sensitiuæ probè, ac verè etiam intellectum iudicare, recolere, atque discurrere. Vnde rectè inquit Themistius phantasiam modo commodare, modo incommodare ratiocinanti. Eadem igitur dispositio cerebri, quæ proximè interiorem sensum ad rectas suas operationes eliciendas disponit, remotè ad optimas quoque operationes intellectus deseruit.

1. de anima tex. 61. & 66.

3. de anima tex. 20.

In lib. de memoria, & remin.

Deinde id ipsum probatur, nam si aliæ essent dispositiones requisitæ ad rectè intelligendum, aliæ verò ad rectè sentiendum interius, nunquam idem homo simul posset rectè interius sentire, atque intelligere. Siquidem nequit idem subiectum disponi dispositionibus contrarijs, prout essent diuersæ combinationes qualitatum in cerebro. At non modò simul potest quis rectè interiùs sentire, atque intelligere, sed quò melius per sensum appræhendit, imaginatur, ac recordatur; eò melius per intellectum quoque appræhendit, diuidit, componit, atque discurrit. Ergò non aliæ, sed eædem sunt dispositiones, quæ ad vtrumque munus deseruiunt.

Quantum verò internarum sensationum perfectio conducat, & quam necessario prærequiratur ad præstantiam operationum

rationum intellectus, explicari potest primò ratione illa à priori superius tacta, quia nimirum in operationibus subordinatis, perfectio vnius iuuat perfectionem alterius; sensationes autem internæ veluti instrumenta sunt ordinata ad intellectionem; & ideo perfectiores dantur in homine, quam in brutis. Vnde siue dicamus cum Anaxagora hominem prudentissimum omnium animalium esse, quoniam vnus omnium manus obtinet: siue cum Aristotele, vt quoniam prudentissimus omnium est, ideo manus receperit. Omnino certum relinquitur perfectionem instrumenti ordinari ad perfectionem operationis principalioris agentis, & hanc perfectionem supponere perfectionem instrumenti.

Lib. 4. de part. animal. c. 10.

Rursus verò idem explicari potest exemplo cuiuscumque cognitionis intellectiuæ per experientiam, exercitationem, ac studium acquisitæ, vt præsertim sunt habitus intellectuales, morales, ac scientifici, qui non nisi ope, & maximo conatu imaginationis, ac stabilitate memoriæ acquiruntur. Nam & prudentia, quæ circa agibilia versatur, vt ait Aristoteles, maximè nititur experientia, atque etiam historia, (quæ propterea à Cicerone vocatur lux veritatis, vita memoriæ, magistra morum, nuncia vetustatis) hæc autem ambo sensibus, ac memoria comparantur. Similiter quælibet scientia totalis magnam supponit in homine promptitudinem, magnamq. capacitatem ad appræhendendos, ac retinendos terminos tam varios, tot vsus verborum, tot ex illis confectas propositiones, diuisiones, definitiones, & argumentationes. Quæ omnia non nisi præuia imaginationis volubilitate, ac sensitiuæ memoriæ subministratione, ex cuius thesauro omnia depromuntur; insuper vsu, & labore perficiuntur. Vt hinc non immeritò finxerint Poetæ, sapientiam, atque scientiam filiam esse memoriæ, dicentem, vsus me genuit, mater me peperit memoria. Et Cicero in definitione ingenij compræhenderit memoriam dicens: Nam & animi atque ingenij celeres quidam motus esse debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumq. sint vberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni.

6. Ethic. c. 5.

Lib. 2. de Oratore non longe ab initio.

De Orator. lib. 1. ante med.

Quod

Quod si quis contendat, multarum rerum cognitionem, atque memoriam, aptamq. imaginationem omnino per accidens se habere ad perfectionem operationis intellectus, quæ essentialiter, tantum consistit in hoc, vt rectè versetur circa sua obiecta, siue pauca illa sint, siue quamplura, siue per optimam, siue per prauam sensationem internam suggesta, aut ex thesauro memoriæ euocata: Distinguendum erit de perfectione. Nam licet intellectus ex parte sua semper benè operetur etiam in delirijs, & ebrietatibus, quatenus iudicat de rebus prout à sensu per phantasmata repræsentantur, ac prout ipsi conceditur, ex vno in aliud discurrit. Nihilominus cum operatio intellectus non tantũ consideretur ex parte sua prout est egressus potentiæ, sed prout simul est attingentia obiecti, & conformatio cognitoris cum cognito, quod totum mutuatur à phantasmatibus, quorum ministerio recipit, ac format imagines; hinc est vt essentialis, & adæquata perfectio operationis intellectus in homine simul à sensitiuarũ interius cognitionum apta cooperatione dependeat. Et sic per falsas imaginationes interdum eluditur intellectus, vt in somnijs ac delirijs, & per defectum subministrationis memoriæ sensitiuæ, vt plurium præteritorum, ac circũstantiarum, ægrè, aut non rectè intellectus infert vnum ex alio. Nec aliunde prouenit, melius aut deterius inferre, quàm ex eo, quod plures, aut pauciores medij termini, cum pluribus, aut paucioribus differentijs, conditionibus ac circumstantijs in antecedenti offeratur; Ex quibus per naturalem connexionem obiectiuam elicitur consequens. Quod profectò est, ad perfectionem adæquatam operationis intellectus, requiri pluralitatem specierum, retentionem illarum, promptitudinemque subministrationis ipsius potentiæ interius sensitiuæ.

Quamobrem non fuit vnquam quis in intellectualium functionum administratione conspicuus, vir peracutus, ac prudens, eminentissimaque intelligentia præditus, qui magnam simul non obtineret, ostenderetq. memoriam, tum & imaginationem insignem. Quod constare primum potest de

Iulio

Plin. lib. 7. natural. hist. c. 25. Iulio Cæsare dictatore cuius ingenium, ac imaginatio enituit in efformandis machinis, in concinna oratione, & in iocis, ac facetijs plurimis: memoria verò in eo, quod nihil soleret præter iniurias obliuisci, vt testatur Tullius: atque intellectus in cognitione rerum naturalium, in capiendo consilio de rebus maximis, in clarissima, ac propria expressione interni conceptus, & similibus. Deinde de Quinto Fabio Maximo, cuius ingentem fuisse memoriam, ac notitiam vetustatis, dictaq. eius, & consilia tum in populo, tum inter primores patrum, pro oraculis habita traditur. Rursus de M. Tullio Cicerone, cuius mentis amplitudo, ac sublimitas in vniuersa eius philosophia, memoria in promptitudine, facundiaq. orandi, imaginatio in sale dictorum, concentuq. verborum vsque adeo refulsit, vt dictator Cæsar hostis quondam suus, illi scripserit, omnium triumphorum lauream ipsum adeptum fuisse maiorem, quanto plus est, ingenij Romani terminos in tantum promouisse, quàm imperij. Et Seneca, Illud ingenium, dixerit, quod solum Populus Romanus par imperio suo habuit. Vnde facundiæ, latiarumq. literarum parens appellatus est, vt notat Plinius. Item de ipso Annæo Seneca, cuius eminentiam intellectus, & imaginatiuæ, scripta eius declarant subtilitate sententiarum, & grauitate sermonis: memoriam verò à semetipso testatur, quæ in miraculum excreuerat, vt ipse ait, addens, eam sibi talem fuisse, non ad complectendum modo, quæ audierat, sed ad continendum quoque complexa. Nec credibile est tantum virum falso quicquam sibi arrogare. Is denique de latrone Porcio eximium ingenium, validissimamq. memoriam commemorat, adeo vt cum summa notitia, quæcumque in animum eius semel descenderant, in promptu essent. Et alij de alijs plurimis videri possunt similia referentes, sicut & contraria de illis, qui naturali acumine intellectus, ac prudentia parum, aut nullatenus præditi, nullam vel paruam de rebus retinent impressionem, ac profligatæ omninò constituuntur memoriæ, vt socordissimi Scythæ, qui nec numerare vltrà quaternarium valent. Et Hærodis Sophistæ

Lib. 1. controuers. in præfat.

Lib. 7. natural. Hist. c. 30.

Lib. 1. controuers. in præfat.

Ibidem.

phistæ filius, qui nunquam literarum prima elementa appræhendere valuit, quamuis ad hoc vigintiquatuor pueros, singulas literas pro nomine referentes, Pater ex industria adhibuerit, qui secum quotidie versarentur. Et Rusticus quem Romæ olim ipse cognoui, supra quinarium, licet conaretur vnitates ordinate addere, nequibat; tantamq. in stoliditatem deuenerat, vt dentes sibi pateretur euelli accepto pro singulis æris minimi pretio. Quare sicut memoria, & solertia, vt docet Aristoteles, vel manant à prudentia, vel prudentiæ sunt asseclæ; ita inscitia, & obliuio, vt idem ait, sectatur imprudentiam, ac stoliditatem. *In libello de virtutibus.*

Quod si prudentissimi, ac sapientissimi viri, quantumuis scientiarum cognitione referti, nonnunquam videantur memoria, aut imaginatione deficere, & in his à rudibus, & ignauis quampluribus superari; id certè frequentius nonnisi ex varia illorum applicatione procedit. Etenim, qui circa tot rerum naturalium, aut supernaturalium cognitionem abstractè semper versantur; vel qui non nisi in rebus maximis, ac Reipublicæ administrationibus iugiter occupantur; non tam facilè possunt nonnulla imaginari, aut multorum, quæ ad rem non faciunt recordari; sicut qui post habitis curis, ac scientijs omnibus, paucissimis tantùm, ac nenijs ad ocium, vel iocum incumbunt. Quapropter mirum non est, si aut illi Pegasum in cælo, stellarum positione descriptum nequeant statim imaginari; ac militum nomina, qui ab Equo Troiano fluxerunt, protinus recordari: aut isti quantumuis hebetes, ac rudes, multa facilius valeant rustica imaginari, aliaq. tenacius custodire, vt numerum, ac nomina pecudum copiosissimi gregis, tympanorum, aut campanarum plurium sonos, eorumq. differentias, ac significationes; animalium quorundam distinctissimos mores, iocos, ac facetias quamplures, & similia: Cum de serijs, ac rebus maximis, nihil omninò cogitent, nunquam scitu digna addiscant, nec penè nisi nenia, ac futilia animo reuoluant. Alioquin si quæ ignarus & hebes, quantumuis in suo genere fœlicissimæ memoriæ custodit, cum his, quæ homo sapiens, & eruditus, licet

memoriæ

memoriæ labilis, omnimodo tamen recordatur, conferamus; erit comparatio vnius ad mille. Quæ namque proportio erit inter numerum, siue pecudum florentissimi gregis, siue etiam nominum illorum, ac deinde sonorum, aliarumq. rerum, quas inscius quidam, ac rudis memoria tenet, & numerum innumerabilium vocabulorum diuersorum idiomatum, conceptuum, terminorum, propositionumq. scientiarum tam plurium? Item rerum gestarum, ac multiplicium historiarum, hominumq. ipsorum tot millium, quos versatus, ac solers vir, & eruditus suo tempore agnouit, ac meminit? Cæterum in hoc etiam multitudinis opinio maximè fallitur, existimans recordari saltem posse de maioribus, ac dignioribus, qui minima aduertit, ac meminit; ac multum deficere, qui in quibusdam facillimis defuit; cum tamen sit totum oppositum. Nam qui non nisi circa minima naturali propensione versatur, maiora non capit, & qui circa maiora assiduè versatur, despicit potius minora, quàm deficiat in illis, tanquam dignius alibi occupatus. Imperfecta igitur memoria sapientissimi viri, perfectior est perfectissima qualibet hebetis, atque ignari: proindeq. memoria semper intellectui, ac imaginationi, maiori ex parte proportionatur. Nam vt diximus, si perfectissima sit cerebri dispositio, æquè ad omnes huiusmodi operationes deseruit.

Ad fundamenta igitur in oppositum respondetur, ad primum; si sermo sit de vltima senectute, seu ætate illa quassata, qua homines vigore cõsumpto dicuntur decrepiti, tunc verum esse, quod assumitur de languore sensitiuarum omnium operationum. Falsum verò, quod supponitur de vigore discursus, vel cuiusq. cognitionis intellectiuæ. Quandoquidem valde senes, non minus, quam pueri sæpissimè desipiunt, ac dementes esse videntur, eo quod vtraque ipsorum ætas in motu sit plurimo, vt docet Aristoteles: Vel quia ad eum animi habitum redeunt, quem primis ab annis habebant, vt ait Plato, qui propterea illos bis pueros vocat.

De mem. & remin cap. 4.

Dialogo 1. de legibus non longe à fine.

Et communiter, quum illi desipere vitio ætatis incipiunt

repue-

repuerascere dicuntur. Si vero loquamur de senectute, quæ primo consequitur virilitatem, & adhuc retinet consistentiam naturæ, falsum pariter est, quod assumitur de imbecillitate appræhensionis, ac lapsu memoriæ, vel similibus, vt ex dictis cap. præcedenti potest constare.

Quod autem dicit Aristoteles ab anima sustineri, quod non debilitatur senio, intelligendum est de potentia intellectiua non autem de operationibus illius, quæ dum anima est sociata corpori, non nisi iuxta præstitam sibi opem ac ministerium à phantasmatibus naturaliter procedunt. Nam vt idem Aristoteles subiungit, corrupto seu marcescente interius aliquo alio, ipsum quoque intelligere, ac speculari marcescit, quamuis facultas ipsa intellectiua impassibilis, & incorruptibilis sit. Quare similiter cum idem Philosophus dixit mentem nobis in senectute maxime contingere, protinus addit, nisi detrimento aliquo lacera læsaq; sit, scilicet ratione instrumentorum, vt plerumque in decrepitis experiri licet.

Cum verò D. Hieronymus inquit, crescente sapientia alias vires in senibus decrescere; per sapientiam intelligit scientiam, ac prudentiam studio, & experientia acquisitam, quæ sanè vsque ad senectam, vel senium incrementum iugiter suscipit, si aliud non obsistat. Per vires autem decrescentes intelligit vires corporeas, ad cætera hominis munia præter cognitionem obeunda, vt ex his, quæ ipsemet ibi subtexuit palam ostenditur.

Ad secundũ verò respondetur, per recessum dispositionum ab explicata symmetria, recedere etiã à sua perfectione tam operationes memoratiuas, quàm reminiscitiuas, sed quia frequentius magis vnum, quam alterũ genus harũ operationum à sua perfectione recedit; ideo quæ minus recedunt, magis dicuntur vigere comparatiuè loquendo respectu aliarum. Nam aliquantulus recessus, verbi gratia, à debito calore in cerebro, licet omnibus operationibus officiat, magis tamen officit memoriæ sensitiuæ, quàm reminiscentiæ, quæ tanquam opus intellectus minus impeditur ab aliqua frigiditate dum

ab vno

ab vno phantaſmate, ſpeculando, in aliud diſcurrit. E contra verò exceſſus caloris nimis exagitando ſimulacra ac turbando phantaſmata, magis obſtat rectitudini, & coordinationi operationum intellectus, quæ ſedatè, & ordinatè debent procedere. Alioquin ſi nimius ſit exceſſus, ſiue caloris, ſiue frigiditatis, vtrumque genus operationum impedit aut lædit, vt paſſim docet Galenus, & nos etiam commonuimus. Vbi obſeruandum eſt Galenum quotieſcumque loquitur de cauſa, quæ memoriæ noxam inferat, vt plurimum adijcere, & inſaniam, & fatuitatem ab eadem cauſa procedere; quia ſimul vtraque actio læditur. Vnde cùm inter alia dixiſſet frigus memoriæ nocere, ſtultitiamque inducere, paulo poſt idem ait de calore: Equidem (inquit) noui quendam, qui ob laborem in ſtudijs, atque vigilias, memoriam pene amiſerat, læſa etiam ratione. Item agricolam, qui ob labores, quos vites colendo ſubierat, ac tenuem victum, eodem modo affectus eſt. Atque ij (ſubiungit) certum eſt, quod exiccantibus calorificisq. lædebantur: idemq. contingere ait in phrenitide cum febri, & ſimilibus.

Lib. 2. de ſymptom. cauſis capite 7. & lib. 3. de locis affect. cap. 5.

Ad tertium igitur, negandum eſt in his, qui furore, vel inſania perciti ſunt cunctis internis ſenſationibus rectè ſe habentibus, ſolam ratiocinationem malè procedere. Nam ſemper oblæſa etiam eſt in illis imaginatio, & memoria, vt obſeruanti patebit, & ex eodem Galeno retulimus. Quod ſi loquendo de caſu illius phrenetici in particulari, obſeruauerit Galenus defectum rationis abſque defectu memoriæ, aut imaginationis; id tamen non affirmat in vniuerſum, quaſi verificaretur de omnibus actionibus eiuſdem phrenetici. Nam ſicut omnes inſani quantumuis dementes, aliquando tamen rectè diſcurrunt, nec rationem oblęſam oſtendunt; ita ille phreneticus quantumuis deprauatam imaginationem haberet, potuit tamen aliquando illam non vt talem oſtendere, quia non omnes defectus ſimul debent ſemper patere. Eadem itaque cerebri diſpoſitione, qua male operationes intellectus ſe habent, oblæsè quoque ſenſationes internæ procedunt, & è contra.

TRACTATIO TERTIA

De dispositionibus aliarum partium, animalis, quæ cum cerebri dispositionibus concurrunt.

CVM omnis aptitudo organi ad obeundas operationes sensus interioris, non modo pendeat ex proprijs dispositionibus illius, verum ex ijs quoque, vel maximè, quæ in nonnullis alijs partibus animalis reperiuntur; Quarum aliæ connexæ sunt cerebro, aliæ verò peculiarem cum eo consensum obtinent: Explicandum hic erit quæ nam sint huiusmodi partes animalis, & quas dispositiones ad concursum prædictum requirant.

De dispositionibus capitis vniuersi, ac præsertim partium, quæ sunt circa cerebrum.

Cap. I.

QVOAD magnitudinem ac figuram capitis supponimus, quæ supra ex Aristotele, & Galeno necessario simul tunc determinauimus cum de cerebri magnitudine loqueremur propter quod caput factum est, vt ipse Philosophus ait, nempe illud mediocre, ac mediæ magnitudinis esse debere proportione sui corporis, figura vero oblonga, veluti si sphæram vtrinque ad latera depressam excogitares. Præterea caput hominis macilentum, carneq. prope omni exutum esse, necessarium putat Aristoteles lib. 2. de part. animal. cap. 10. ex his, quæ de cerebro superius dixerat, additq. duplicem aliam causam: nimirum quia si homo caput

Tract. 2. huius lib. cap. 2.

Lib. 4. de part. animal. cap. 10. & lib. 2. de generat. animal. cap. 4.

put carne obtectum haberet, cerebrum valde teperet, nec posset refrigerare. Deinde quia nihil exigi potest pressum onere, quemadmodum caput tunc se haberet. Vnde infert audiendos non esse, qui censent, si carnosum caput esset, viuacius hominum genus futurum.

Clarius tamen id potest probari ex eo: nam ad operationes; quæ exercentur in cerebro, moderatum tantum calorem requirit natura, vt cõstat ex dictis; carò verò & sanguis multus circa caput, valde illud calefaceret, nec sineret tam facile superfluitatem humorum, & caliditatis prout nunc per cutis poros, & caluariæ iuncturas exhalare: consequenterq. cor nec ita refrigeraretur, nec leuaretur per correspondentiam, quam habet cum cerebro, dum fumosas exhalationes se exonerando, sursum emittit, & cerebri naturali frigiditate temperatur.

Ex quibus colligitur, cutem capitis minime crassam, & corpulentam, sed potius gracilem, & obesam, porosamq. esse debere ad munera prædicta aptius præstanda, & vt substantia cerebri purgata, & à fuliginosis exhalationibus, excrementijsq. humoribus defœcata remaneat.

Capitis autem os, quod caluariam appellamus, ob eandem causam exile, ac porosum esse debet. Vnde inquit Aristoteles, serò admodum illud in homine indurari, cum diu calor euaporetur, quod nulli ex cæteris animalibus sanguine præditis euenit. Insuper, vt idem prosequitur, iuncturas etiam plurimas in capite homo habet, & mas plures, quàm fæmina, vt locus, inquit, spirantior fit & amplius, in quo plus cerebri habetur. Etenim in quibus crassum ac magnum est huiusmodi os, vt in brutis plurimis; parum cerebri continetur, fumosaq. & immixta exhalatio, ex eo quod minus valeat euaporare, valdè sensationes internas perturbat, ac retundit. Et sic Aristoteles consequenter etiam docet, cuius os capitis densum est, cerebrum esse inualidum, quia minus fit respirationibus opportunum quàm exile & porosum. Ex qua gracilitate, & porositate cutis & ossium, fortassè Plato intellexit, sapientium capita, vt plurimum imbecilla

2. de part. animal. cap. 7.

10. sect. probl. q. 47.

becillia quauis occasione reddi, facileq. contrarijs lædi. Nam maior certè patet aditus ambienti à quo contrariæ qualitates participantur, faciliusque permeant humores extrinsecus aduenientes, vel attracti.

Vlterius verò duæ membranæ, dura mater, & pia mater cerebrum continentes cum suis anfractibus, rectè dispositæ esse debent, prout suo loco descripsimus, & vt cerebrum, prout decet, modico potiatur calore, ait Aristoteles, venæ, quæ ad huiusmodi membranas deueniũt, non paucæ, & amplæ, sed frequentes, ac tenues esse debent; sicut nec sanguis copiosus, & crassus, sed tenuis, ac sincerus. Nam vt idem docet, sanguinis calidioris agitatio, officium sentiendi intercipit, atque refringit. Et ideo sanguinem vniuersi capitis temperatum vocat, & idoneum, tum ad cerebrum tepefaciendum, tum ad sensuum tranquillitatem, atq; integritatẽ.

2. de par. animal. cap. 7.

Arist. cap. 10. de part. anim.

Idẽ lib. 4. c. 10.

Arteriæ insuper, ac venæ, quæ à iugularibus, & caratidibus propagantur in cerebrum, probè subactæ, ac protensæ esse debent, vt per illas facile spiritus vitalis cum calore influente introducatur ad generationem spiritus animalis. Item plexum corride productum à venis, & arterijs propè glandulam conariam sub basim ossis basilaris, vbi incipit præparari materia spiritus animalis: sicut etiam plexum mirabile, seu retiforme ad basim ventriculorum cerebri, vbi eadem materia magis elaboratur, rectè compactum, ac situatum esse debet.

Tandem spiritus animalis super omnia, quæ ad substãtiam cerebri aliquo modo faciunt, maximè temperatus, ac dispositus esse debet, tum quia vt docet Galenus, per totum cerebrum diffusus est, & in eius poris etiam continetur, vt notant alij. Vnde vt ait idem Galenus, si spiritus in cerebri finibus contentus, aut prorsus corruptus sit, aut à naturali temperie vna cum temperie cerebri longissimè discesserit, mortem inquit necessariò sequi. Vt ex hoc colligere etiam liceat, cerebri vitam seruari à substantia, & qualitate spiritus; Tum quoque; nam eodem Galeno attestante, spiritus animalis est primarium animę instrumentum ad transmitten-

7. de placit. c. 7.

4. de locis affect. cap. 2.

dos à cerebro in vniuersas corporis partes sensum,& motũ.

Dispositio autem spiritus animalis constituitur primò in tenuitate ac subtilitate illius,temperamento,ac sinceritate. Tenuis enim esse debet ad agilitatẽ, vt permeare intus possit per sinus,& anfractus cerebri,cũ ipsaq. eius substantia poros implendo cõmisceri; atque etiam per neruos vsq; ad certum quendam terminũ aptè diffundi. Cõnaturaliter deinde temperatus, nempe calidus,& humidus esse debet,vt docet Aristoteles,quia natura spiritus animalis materiam sumit à spiritu vitali: spiritus autem vitalis materia,vt inquit Galenus, sumitur ex inspiratione,ac proinde ex aere,& humorum exhalatione,hoc est tenuiore, ac puriore sanguinis parte: aeris verò,& sanguinis temperamentũ, calidum,& humidum est. Quare spiritus animalis conseruatur ope aeris præsertim per nares attracti,& vaporis sanguinis prodeuntis ex plexu retiforme. Quod dicitur ad differentiã euaporationis sanguinis è venis: licet Galenus concedat parua aliqua ex parte animalem spiritum alimentum sumere ex venis ad cerebri ventriculos pertinentibus;cum præcipuum ac maximum sumat ex arterijs à corde prodeuntibus, & plexum retiformem efformantibus. Cum itaque tam ex parte generationis, quàm ex parte nutritionis, spiritus animalis ex calido, & humido coalescat ac subsistat, calidum, & humidum, ipsum esse necesse est,quamuis eius calor à naturali frigiditate cerebri tẽperetur; quippe cum oporteat animalem spiritum exquisitissimam omnium mutationem adipisci,ait Galenus,qui hactenus propterea frigidum etiam,& quasi æthereum illum vocat. quod certè non inconsultò natura constituit cum temperatus calor, & humiditas, aptissimæ sint qualitates ad motum, ac fluxum ipsius spiritus, nec non ad viuacitatem motus,& sensus cæteris partibus à cerebro impertiendum.

2. de generat. animal. c. 4. circa med.

7. de placit. c. 3.

3. de placit. c. 7.

7. de placit. c. 3.
Ibidem cap. 7.

Denique sincerus debet esse spiritus,ac perlucidus, non tenebricosus, aut fœculentus; vt aptius animalem facultatem conseruet, & ad eius munera obeunda deseruiat in transmissione specierum intentionalium,ac formatione imaginum, cum ipsæ sensationes eliciuntur.

De

De cordis dispositione in quantum consensum habet cum cerebro. Cap. II.



TALIS, ac tantus est cordis cum cerebro naturalis consensus, vt in generatione animalis cum primum gignitur cor, statim cerebrum supra vbi desinunt venæ à corde manantes ad correspondentiam generetur, vt animaduertit Philosophus. Principium enim vitæ in animali ad ipsam virtutem animalem ordinatur, & virtus ipsa animalis, quæ primùm residet in cerebro, virtutem vitalem semper supponit, quæ in corde primo locatur. Secundum igitur hanc mutuam subordinationem, & correspondentiã, cor sensum, & motum arbitrariũ habet à cerebro, item & refrigerationẽ sui caloris, aliasq. cõmoditates; vnde cum malè se habet cerebrum, cor etiã multas patitur passiones. Cerebrum autẽ calorem, & vitam mutuatur à corde, ipsumq. spiritum vitalem, quem vertit in animalem, & iuxta varias dispositiones illius, diuersimodè etiam se præbet paratum ad obeundas proprias functiones.

2. de generat. animal. c. 4. post med.

Præcipuæ verò dispositiones cordis, quæ ad cerebri dispositiones faciunt, ac respondent sunt magnitudo, raritas, vel densitas, ac temperamentum primarum qualitatum.

Primò igitur certum est, temperamentum cordis calidissimum esse, vt qui fons est spirituũ vitalium, atque caloris viuifici per vniuersum corpus diffusi. Locum enim adesse aliquem quasi lares, focumq. oportet (ait Aristoteles) quo naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineantur. Rursus verò ait. Cordis enim, pulmonisq. locũ calidissimum, & sanguine refertissimum homo habet. Et post pauca subijcit: calor enim cordis, atq; principium consentientissimum est, sensumq. celerrimè facit, cum sanguis cerebri vllo pacto mutatur, atque afficitur. Quibus insinuat, cordis calorem ad celeritatem sensus præsertim valere, cum à corde per sanguinem arterialem, ac spiritum vitalem, calor communicetur cũ cerebro. Vnde Galenus, quo cor est calidius, cò vis irascibilis

3. de part. animal. cap. 7.
2. de partib. animal. cap. 7.
6. de placit. cap. vlt.

est validior, ac sensus exquisitior. Plato etiã ingenij acumen ex cordis subtilitate, ac tẽperamento dixit oriri in Theęteto, cũ tamen in Timęo docuisset pręcipuam animi sedem ad rationalia munera obeunda, in capite collocari; quæ certè sibi nõ constarent, nisi intellexisset ingenij acumen remotè, cũ ex alijs, tum ex vitalium spirituum subtilitate, ac temperamento, quod à corde cum ipsis procedit, magnopere dependere.

In Theæteto longe post med.
In Timæo ante med.

Cũ maximo vero calore copulatur in illo magna ex parte humiditas, quod patet tum ex productione sanguinis, tum etiam ex eius mollitie, quæ pariter ad sensum conducit per correspondentiam aptiorem, quam facit habere cũ cerebro; sicut etiam raritas; quatenus cor disponunt ad faciliorẽ, ac perfectiorẽ emissionem spirituũ vitaliũ. Vnde Aristoteles, sunt (inquit) articulatiora corda eorum, quæ sensu melius valent; inarticulatoria eorũ, quę sensu hebetiori sunt, vt suũ. (dixerat enim corda articulationẽ quandã rimis, suturisue capitis persimilem habere.) Deinde addit: quæ enim sensu hebeti sunt, cor habent durũ, & spissum; quæ autem sensu valent, mollius.

3. de part. anim. cap. 4.

De magnitudine quoque cordis Aristoteles ibidem pronunciat, pauida esse quibus cor grandius; audientiora, fidentioraque, quibus minus, aut mediocre. Causãq. reddit: quoniam calorem proportione cordis non habeant; sed parũ caloris in magno conceptaculo exolescat, ac proinde sanguis frigidior fiat, ex quo oritur metus. Vnde cor magnũ proportione datũ est, inquit, lepori, ceruo, muri, hyænæ, asino, pantheræ, mustelæ, & reliquis ferè omnibus, quæ apertè timida sunt, aut propter metũ malefica. Dissectione etiã compertum est, plures ingeniosos, & fidẽtes viros paruo, vel exili proportione corde fuisse, vt de Alexandro scribitur, & alijs. Ex quibus omnibus liquet, eadem ratione ampliora corda minus etiam ad correspondentiam cerebri, sensumq. proinde valere ob defectum, quem patiuntur caloris, quod pariter Philosophus extendit ad ventriculos cordis, ac venas. Nam (inquit) vt in paruo, & magno domicilio tantundem ignis non æque calefacit, sed minus in magno; sic in ijs calor non pariter agit: vas enim tam vena, quàm ventriculus est.

3. de part. animal. cap. 4.

De

De dispositione Iecoris, ac sanguinis. Cap. III.

POST cordis dispositionem, ad aptum temperamentum, ac nutrimentum cerebri, maximè valet dispositio Iecoris, à quo iuxta Galeni, & Hippocratis placitum, sanguis omnis tanquam à suo fonte dimanat, ac ventriculus ad alimenti concoctionem tanquam fornax ab igne fouetur. Nam cibi concoquendi gratia adest, ait Aristoteles. *3. de part. animal. cap. 7.*

Est autem naturale, & ad omnes operationes animalis optimum iecoris temperamentum, quod maxime calidum existit, & humidum; & si quando frigidum Iecur denominatur, non quidem à prædominante in illo frigiditate prouenit; sed quod à debita caloris intentione aliquantulum recesserit. Ex quo cum multa mala in corpore vniuerso proueniant, præcipuè quantum spectat ad cerebrum, illud est magnum, quod fæculentum sanguinem generat, cruditatesq. parit, & exuperantiam humoris. Ex quibus languescunt spiritus cerebro ministrantes, totaq. sedes euaporatione obumbratur, atque peruertitur.

Sanguinis etiam temperies ac natura varia, causa est (inquit Aristoteles) cur permulta animalibus veniant, tum per mores, tum etiam per sensum. Materia enim totius corporis est; quippe cum alimentum materia sit, sanguis autem vltimum alimentum habeatur. Facit igitur, vt plurimum differentiæ existat, si calidus, aut frigidus sit, si tenuis, aut crassus, si turbulentus, aut nitidus: hæc ille. Quapropter Hippocrates etiam. Opinor autem (inquit) inter omnia, quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quàm sanguinem. Hic ergo cum in constanti habitu persistit, consistit & prudentia; sanguine vero permutato, concidit simul & prudentia. Quod deinceps pluribus argumentis ac experientijs confirmat. Et hactenus: Sanguis (inquit) *2. de partibus animal. cap. 4.* *In lib. de flatibus num. 20.* *Lib. 1. de morbis, num. 28.*

2. de part. animal. cap. 4.

qui est in homine, maximam partem ad prudentiam confert. Rursus autem Aristoteles ad particularia descendens dixit, nonnulla animalia ex ijs, quorum sanguis fibras non obtinet, nec vnquam spissatur, nimirum propter frigiditatem, vt sanguis ceruarum, ac damarum, sapientiora esse. Verùm inquit, hoc non ex sanguinis frigiditate, sed potius tenuitate atque munditia prouenire, quorum neutrum in terreo, ac fibroso sanguine est. Habent enim sensum mobiliorem quorum humor tenuior, & sincerior est. Atque hinc etiam addit, nonnulla ex ijs, quæ sanguine vacant animalibus, prudentiora nonnullis sanguinem habentibus sunt; vt apes, formicæ, & si quid aliud tale est. Habemus itaque ex hoc loco Aristotelis, sanguinem tenuem, ac syncerum, aptum esse ad prudentiam, ac meliorem sensum animalis.

Lib. 3. de partib. animal. cap. 5.

Deinde vero idem Aristoteles loquendo de naturali temperamento sanguinis, inquit, ex proprio principio fieri, vt sanguis humidus sit, & calidus. Quod nemo vnquam vertit in dubium, sicut nec sanguinem ita naturaliter temperatum, aptum quoque esse ad rectam correspondentiam habendam cum cerebro; cum ad naturalem ac perfectam vniuersi corporis symmetriam spectet, vt pars vnaquæque suo naturali temperamento, & non alio potiatur. Quod si Aristoteles alias docuerit, ad corporis robur, efficaciorem esse sanguinem qui crassior, & calidior est; vim autem sentiendi, intelligendiq. obtinere pleniorem, qui tenuior atque frigidior est: non loquebatur de frigidiori sanguine secundum prædominium frigiditatis, sed secundum minorem intentionem caliditatis, quæ si nimia sit in cerebro, vt supra diximus, imagines attollit, & exagitat, inconstantiamque parit opinionis; secus ac si temperatior sit.

2. de part. animal. cap. 4.

Hinc autem sequitur, complexionem totius corporis calidam & humidam, esse optimam ad ingenij constitutionem. Nam cum talis est, non nisi ex puro sanguine caro vniuersa coalescit, ac nutritur, nec alius humor præualere potest. Nihil autem est in corpore, quod magis ad prudentiam conferat, quàm sanguis, vt paulò ante retulimus ex Hippocrate.

Quo-

Quoniam ex ſanguine gignitur ſpiritus animæ inſtrumentum, & quidquid ad organizationem ſenſoriorum pertinet; ab eoq. in venulis meningium contento ſouetur cerebrum, conueniensq. adipiſcitur temperamentum. Vnde quò ſinceriori, & vberiori ſanguine corpus vniuerſum refertum eſt, vt per complexionem calidam, & humidam; eò melius cerebro neceſſaria ad ſentiendum ſuppeditantur, melioresq. ſenſus elicit ſenſationes.

Nec obſtat, Galenum quandoque dixiſſe, animi quidem acumen, & dexteritatem à bilioſo humore prodire, à ſanguine verò ſimplicitatem, ac ſtoliditatem: Nam loquitur tunc de natura ſanguinis tanquam præciſa ab alijs humoribus, prout tantum dicit calorem remiſſum, & humiditatem exuperantem, ſicut aer in puris naturalibus conſtitutus. Quæ ſanè diſpoſitio, vt vidimus, cerebro minus conuenit. Cum alioquin paulo ante loquendo de ſanguine, prout actu exiſtit in corpore, aſſerat, ſanguinem alijs quoque humoribus eſſe admixtum, ratione quorum contemperatur. Et vt ſic dicimus ipſum ad cerebri etiam temperationem, & operationes conferre; quod Galenus non negat, nec in ſua doctrina conſequenter poteſt negari.

Commentar. 1. in lib. Hippocr. de nat. humana in tex. 39.

De requiſita diſpoſitione ventriculi, aliarumq. partium cerebro reſpondentium. Cap. IV.



VENTRICVLVS officina eſt, in qua nonmodo vniuerſi corporis alimentum præparatur ad reſtaurandum, quod per calorem naturalem deperditur, augendumq. ipſum animal donec oportet: ſed ex qua peculiari ratione ſanitas cerebri, aut morbi eius quamplurimi, ſedatio, aut turbatio pendēt, per aſcendentes vapores, exhalationesq. humorum, ac ciborum, qui melius aut deterius ibi tanquam ad focum admoti elixantur, ac præparantur. Deinde ventriculus maximum cum cerebro habet conſenſum, quo ad inuicem pro-

prias secum affectiones, ac passiones communicant, duobus à cerebro neruis ad os vētriculi, quod stomachum vocatur, deductis, per ipsumq. totum disseminatis. Vnde hoc sensum exquisitissimum præter cæteras particulas obtinet, vt docet Galenus; & cerebrum, quas diximus, & alias patitur alterationes. Idcirco igitur nonnulli ex priscis Philosophis dixerunt, ventriculum hominibus proprium ingenium dare, vt videre est apud Perseum. Et quidem Galenus pinguem, corpulentumque ventriculum, cerebro multum obesse inquit; contra verò siccitatem, & gracilitatem illius ad ingenium non parum conferre. Vlterius, calidum illum esse oportere, non frigidum; itemq. validum, ac robustum, non imbecillem; & inter Iecur, ac splenem, quibus fouetur, aptè locatum; omentoque, ac Peritonæo probè stipatum, quæ membranæ sunt à parte anteriori illi incumbentes, eumque simul fouentes. Siquidem hac parte infirmata, vel refrigerata, siue per se, siue ex pituita, aut ex frigido, ac flatuoso spiritu ab Hippocundrijs, aut ex cibo, & potu, vel medicamento aliquo valde refrigerante; statim animi deliquia, tum virium defectus comitantur, & vnà cum stomacho per neruos cerebrum ipsum, per magnā verò arteriam cor etiam refrigeratur, ait Galenus. Ex quibus varia proueniunt symptomata, ac peculiares infestationes cerebri, ita vt comitialibus morbis (inquit) & caris, & comatis, & catalepsi, & delirio, & melancholijs, quidam ex stomachi vitio corripiantur: vtique cum principium, quod in cerebro, & neruis est, simul afficiatur. Quæ sanè vberius percensere, à proposito opere esset valde alienum.

1. de symptom. causis. cap. 7. Et lib. 4. de vsu part. cap. 7. Et lib. 3. de locis affect. cap. 7. & lib. 5. cap. 6.

Lib. 4. de partib. animal.

1. de symptom. causis cap. 7.

Testes insuper, varium, ac mirum sortiri solent vigorem, diuersamq. temperiem, iuxta quam sicut corpus vniuersum, ita præcipuè, & peculiari consensu cerebrum solent immutare, vt est doctrina Hippocratis, & Galeni, qui proinde, testes, inquit, quantum ad vsum attinet, propè ad cor ipsum accedere. Frigescunt enim, qui eos amiserint, altera insiti caloris origine priuati; omneq. his corporis robur collabitur. Aristoteles verò de exectis loquendo, ait, quòd parte genitali

6. Epid. par. 1. tom. 2. cap. 15. In Aphorism. 5. tom. 62. & lib. 1. de sem. c. 15.

1. de generat. animal. c. 2.

genitali tantum in eis corrumpta, tota ferè forma vsque eo commutatur, vt aut fœminæ esse videantur, aut parum absint. Quare inquit Galenus, à testiculis ad totum corpus trahi quandam virtutem, qualis neruis quidem sensationis, & motus ex cerebro; arterijs verò pulsandi ex corde: Quæ virtus in maribus quidem roboris, & masculinitatis: in fœminis autem ipsius fœmininitatis est causa: Et propter hoc assimilatur fœmininum animal, abscissis testibus, castrato masculo. Adde, quod etiam in fœminis, cum vterus cum suis testibus vim obtineat immutandi totum corpus, iuxta dispositionem caloris ac siccitatis illorum, vel humiditatis, ac frigiditatis; membrum quod præcipuè ex hac alteratione, aut dispositione participat, cerebrum est, vt docet Hippocrates, & Galenus. *1. de Spermate cap.4. dist.2.* *Hippoc.6. Epid. p.1.com.2.c.15. Galen. in 5. Aphor.com.62.*

Quod quidem à posteriori confirmari potest experientia, qua vniuersaliter constat, fœminas deteriorem adeptas esse dispositionem, quàm mares ad obeundas internas operationes cognoscitiuas. Quapropter, vt communis est Theologorum sententia, loquendo de nostris primis parentibus, serpens ausus est non virum, sed mulierem decipere, in qua minus quàm in virò rationem vigere nouit; quamuis vterque à Deo creatus fuerit cum sua perfecta dispositione ad sentiendum, & intelligendum iuxta exigentiam naturalem suæ conditionis, ac insuper scientia infusa vterque repletus fuerit iuxta illud Ecclesiastici: Et cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus repleuit illos. Cum igitur tota ratio diuersitatis, quę est inter marem, & fœminam, in ipsis testibus constituatur, qui diuersimodè in alterutro situantur ac disponuntur; sequitur à primo ad vltimum, maiorem aptitudinem cerebri, quæ reperitur in homine respectu fœminæ, non nisi ex testibus eiusdem melius dispositis, patenter oriri. Illudq. notatu dignum esse, ait Galenus, quòd si quis antequam fuerit exectus, optimo erat ingenio prædictus, postea abscissis testibus, vnà cum illis acumen, habilitatemq. amittit, non secus ac si in cerebro ipso noxam, læsionemq. immodicam sustineret. Hinc autem obseruandum est, inter spa- *In 2.dist.21.* *Cap.17.* *Lib.1. de sem. cap.16.*

ſpadones, & Eunuchos, nullum, aut vix vnum de mille ingenioſum aptumq. ad ſcientias reperiri, omneſq. ferè effæminatis moribus, & in moralibus laxiores quoque, & imbecilliores ipſis mulieribus eſſe.

Ratio verò eſſe poteſt, quia in teſtibus locatur magna pars facultatis naturalis tãquam in propria ſede, ac minera, cum altera ſit in hepate, vt docet Auicenna, vbi vero principaliter eſt facultas naturalis, magnus pariter adeſſe debet calor. Vnde ſicut cor per arterias, hepas verò per venas: ita teſtes per vtraſque vias calorem transfundunt ad cerebrum, cuius natura genituræ ſimilis eſt: aquoſa enim vtriuſque materia eſt, inquit Ariſtoteles, calorq. aduentitius. Itaque teſtes magno potiuntur calore, tum ad concoctionem ſeminis, tum ad calefactionem cerebri, ac robur corporis vniuerſi: cum calore verò adiunctam habent ſiccitatem potius quàm humiditatem ad temperandam humiditatem cerebri, ac geniture. Et ſi quando teſtes alicuius hominis, frigidi denominãtur, id non abſolutè intelligendum eſt, ſed tantum reſpectiuè, quatenus requiſita, ac maiori caloris intentione carent; cum tamen ſemper calor eorum ſuperet frigiditatem, vt diximus etiam de corde, ac iecore. Quare ſicut ex defectu maioris intentionis caloris in corde, operationes facultatis iraſcibilis & vitalis, remiſsè, ac imperfectius exercentur: ita operationes facultatis concupiſcibilis, & naturalis, ex defectu caloris in iecore, aut in teſtibus, & conſequenter operationes animales interius ſenſitiuæ, cum cerebrum ab vtraque parte naturaliter foueatur. Verum calor teſtium nunquam pertingit, nec debet pertingere ad intenſionem caloris cordis, ac iecoris, quæ viſcera intenſiſſimè calida eſſe debent ac vt plurimum ſunt. Etenim ſi quis manum illis admoueat, præſertim cordi antequam moriatur animal, nec per momentum illam poterit ſuſtinere, tanta eſt vis caloris illius, vt Galenus aduertit.

Lib. 1. fen. 1. doctrin. 4. c. 1.

2. de generat. animal. cap. 5.

Aliæ denique ſunt corporis partes, quæ vel cerebro non tam peculiariter, & expreſsè reſpondent, vel diuerſam cerebri temperiem indicant potius, quàm cauſent, tanquam

effectus

effectus concomitantes, qui ab eadem causa procedunt, à qua recta, vel praua constitutio cerebri. Cuiusmodi sunt multa, quæ ad physiognomiam spectant. Vt oculi lucidi, qui iuxta Polemonem, & Adamantium, hominem ingeniosum testantur, cum oculorum claritas ex humorum claritate, ac subtilitate procedat, quam etiam cerebrum requirit. Item supercilia, ex quibus Aristoteles varias animi affectiones arguit. Qui etiam ait: Quibus pars interior plantæ non caua, sed ita pleniuscula est, vt solum toto attingat vestigio, ij versuti sunt, & fraudulenti. Et Galenus ex Hippocratis etiam sententia ostendit; quibus hominibus cubiti arteria pulsatu mouetur vehementer, eos furentes esse, & iracundos: quibus verò quiescit, hos torpentes esse, ac stupidos. Et similia videri possunt apud eosdem Auctores, quæ indicia potius quàm causæ sunt rectæ, vel prauæ dispositionis, quam in cerebro obseruamus.

Polem. in interpret. signorũ naturæ.


Adamant. in Phisiognom.

Lib. 1. de Histor. animal. c. 9. & 15.

Lib. Quod animi mores cap. 8.

TRACTATIO QVARTA


De causis extrinsecè alterantibus, ac modificantibus dispositiones cerebri.



PRAETER dispositiones explicatarum partium animalis quarum correspondentia, & consensu, diuersimodè disponitur etiam ipsum cerebrum, nonnullæ dantur causæ naturales extrinsecè influentes, & concurrentes ad aptam, vel prauam dispositionem cerebri, de quibus modo agendum erit, vt exactè quidquid ad constitutionem illius pertinet, dignoscatur.

De aere,

De aere, terra, situ, & aspectu locorum. Cap. I.



NTER causas extrinsecè totam corporis animalis, ac præcipuè cerebri temperiem alterantes, à quibus & esse, & bene illius esse magnopere dependet, primò sese offert ambiens aer cum varijs dispositionibus, & conditionibus illius. Vnde Plato enumerans, quæ in diuersis locis ad ferendos meliores, peioresque homines valent, non modo ea quæ ad corpus; sed etiam quæ ad animum spectant; ab aere, ac ventis ante omnia exorditur. Fieri enim non potest quin animãtium corporum temperaturæ cum eius affectione non afficiantur, ac permutentur, ait Galenus. Quandoquidem & corpus vniuersum extrinsecus vndique ambit, & per poros permeat intus, & per attractionem respirationis viscera mulcet, calorem temperat cordis, spiritumq. vitalem cum euaporatione sanguinis cõponit ac procreat, qui tandem ad cerebrum, conficitur animalis ascendens, primarium sensationis cuiusq; instrumentũ. Itaq; iuxta aeris affectionem, variè totum corpus afficitur, & præcipuè pars quæque ad sensationem deseruiens, cerebroque consensiens. Quapropter, sapientiam cerebro ab aere exhiberi, dixit Hippocrates, ac per cerebrum toto corpore, prout aere participarit.

Dialogo 5. de legib.

1. Epidem. comment. 1. in præfat.

Libro de morbo sacro num. 17.

Variè autem afficitur aer, tum soli, tum situs, & aspectus varietate. Soli quidem nã iuxta soli, seu terræ conditionem alteratur etiam aer; quare simul de vtroque differendum est. Etenim vbi terra pinguis est, & mollis, & aquæ sublimes, aer crassus est, & humidus valde, ibique propterea homines carnosos esse ait Hippocrates, sed non validis artubus, humidos, laborum impatientes, vitiosoq. animo, hoc est inepto, ac pingui, vt aiunt, minerua. Vnde apud Ciceronem dictum est: Thebis crassum cælum, itaque Thebani

Lib. de aere locis, & aquis c. 14.

De fato non longe ab initio.

bani pingues. Et eo, quod Bœotij crasso pariter ingenio habiti sunt, Bœotum (inquit Horatius) in crasso iurares aere natum. Vbi verò sterilis regio est, & aspera, subtilior ac siccior planè erit aer; hominesq. proinde duros, graciles, validos, superbos, iracundos, ac propriæ sententiæ pertinaces admodum esse, inquit idem Hippocrates, & ad capessendas artes acutiores, perspicacioresque. Et hoc sensu Aristoteles docet morum etiam diuersitatem loca efficere, vt montana, & aspera, vel plana, & mollia. Deinde situs varietate dupliciter etiam variatur temperies aeris; nimirum vel secundum eminentiam, aut humilitatem; vel secundum positionem respectu solis in diuersis mundi partibus. Nam primò si humilis ac subiecta regio sit, seu caua atque palustris, impurus aer erit, cito marcescens; hominesque propterea ibi somnolentiores, vt ait Aristoteles. Si verò loco edita, apertaque, ac situ altiore munita, vndique afflante spiritu, aer semper agitatur, ac purus euadit, vt inquit idem Aristoteles; hominesq. propterea mente expeditiores, vitaq. salubriores, ac diuturniores. Rursus vero nam iuxta quatuor mundi plagas, ac maiorem, vel minorem distantiam solis, diuersumq. aspectum illius, nunc aer calidior, nunc frigidior, nunc temperatior constituitur: vnde mores etiam, & aptitudines hominum, præsertim quę ad cognitionem spectant, hinc maximè, ac multipliciter differre contingit; ac proinde distinctius nobis erit modo de hac varietate agendum.

Lib. 1. Epist.

Lib. de aere locis, & aquis cap. 12.

8. de histor. animal. c. 29.

Sect. 14. probl. q. 7. & 11.

Ibidem q. 7.

Hippocrates igitur comparat primo septentrionales populos cum orientalibus, dicens, mores eorum, qui in septentrionalibus Ciuitatibus degunt, feros magis esse, quam mansuetos; homines verò, qui in locis ad orientem spectantibus incolunt, ad intelligentiam paratiores esse, quàm qui in septentrionalibus. Vnde cecinit Lucanus:

Lib. de aere locis, & aquis c. 2.

Quidquid ad Eoos tractus mundiq. teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.
Omnis in Arctois populus quicumque pruinis
Nascitur indomitus belli, & mortis amator.

Verum sicut non benę comparatur situs Borealis cum orientali

orientali potius quàm cum occidentali, nec cum vtroque: siquidem non minus posset esse borealis, & magis orientalis, vel occidentalis: ita præcisè,& absolutè sistendo in hoc, quod est, situm esse magis orientalem, aut occidentalem, non apparet, qua ratione aer diuersæ temperiei, ingeniaque hominum ex hoc varia, ac disparia esse debeant; cum tota ratio diuersitatis climatum attendatur penes maiorem, aut minorem distantiam ab æquatore, qua regiones dicantur magis septentrionales, aut meridionales, suntq. calidiores, aut frigidiores.

Lib. 2. de temperam. cap. 0. & lib. 2. de sanitate tuēda c. 7.

In interpretat. Signorum naturæ cap. de coloribus.

Quapropter melius comparat Galenus regiones septentrionales cum meridionalibus, quod etiam exequitur Polemon, dicens: Arcto quicumque subiacent, ingenio sunt simplices, animosi, leuissimi consilij, animo præcipites, ac stolidi. Qui verò meridiei, disciplinis, & hi parum apti, multimodæ sententiæ, mente leues, mendaces, dolosi, furaces; ac magis, minusq. alij alijs, quò magis minusq. contiguas regiones hi incolunt, vel locorum intercapedine seiunguntur. Mediæ verò regionis incolæ, mediam habent quoque

Lib. quod animi mores cap. 9.

figuram, signa, & ingenia. Vnde etiam Galenus, quis non videat, inquit, hominum sub vrsis degentium, corpus, atque animam alienissime ab alijs, qui propè deustam zonam incolunt sese habere? aut quem lateat, homines inter illos medios, temperatam regionem habitantes, & corporibus, & animi moribus, & intelligentia, & prudentia longè illis antecedere? Iuxta quod apud Platonem in Timæo. Aegyptius ille Sacerdos, temperatas regiones prudentissima ingenia dixerat procreare.

Sect. 14. probl. q. 1.

Aristoteles item efferis moribus, & aspectibus esse ait, qui in nimio, vel æstu, vel frigore colunt; probatque, nam optima (inquit) temperies, non corpori solum, verùm etiam intelligentiæ hominis prodest, excessus autem omnes dimouent, & vt corporis, ita etiam mentis temperamentum peruertunt. Comparando tamen loca calida cum frigidis, ait locis calidis homines sapientiores esse, quàm frigidis, eadem ratione qua etiam senes, quàm iuuenes: Sapientiores enim

Ead. sect. q. 15.

ait

ait esse, qui sedes frigidas habent, hoc est minus calidas ob remissiorem calorem epatis, ac sanguinis minus cerebrum calefacientem ac perturbantem: nam aliquis calor omnino requiritur, vt supra dictum est: frigore autem loci obsistente longe calidiores (inquit) quàm sua sint natura, sedes ipsas internas reddi, ac propterea sicut vinolentos, tales homines minimè ingenio valere, quo prospiciant, rerumque rationes inquirant, sed fortes, fidentes, sperantesq. esse; contra quàm qui loca calida habitant, valentq. intus per circumobsistentem calorem satis refrigerari: Vnde & metuunt hi magis, vt dixerat: fierique, inquit, vt qui metuunt, magis quàm qui confidunt, velint inquirere, ac propterea magis valeant inuenire. *Supra quaest. 1.*

Similia his protulit Galenus. Nam Celtis, inquit, & Germanis, & omni Thracio ac Scythico generi, frigida humidaq. cutis est; ideoque etiam mollis, alba, & pilis nuda; omnis verò naturalis his calor in viscera vnà cum sanguine confugit, vbi dum agitatur, & premitur, & feruet, animosi, audaces, & praecipitis consilij redduntur. Contra verò subiungit. Aethiopibus, & Arabibus, omnibus denique ijs, qui ad meridiem incolunt natura cutis ex ambientis aestu, & naturali calore foras acto, vsta, dura, sicca, & nigra redditur, toto corpore naturalis quidem caloris exiguam obtinente portionem. Quare alibi quasi eadem repetens concludit, corpora optimè constituta non nisi in medijs, ac temperatis regionibus inueniri. Inquit enim, sanè optimum corpus, de quo nunc sermo proponitur, veluti Polycleti regula est, cui in nostro situ, vtpotè probè temperato, non pauca similia videas. Apud Gallos verò, Scythas, Aegyptios, Arabos, nè per somnium quidem, tale vsquam est vidisse. Additque: Nostrae autem regionis, quae in latitudinem non paruam extenditur, id quod in medio habetur, optimè sanè temperatum est, cuiusmodi patria Hippocratis est. *Lib. 2. de temperam. cap. 6.* *Lib. 2. de sanitate tuenda c. 7.*

Ex quo sumpsere nonnulli recentiores; extra Graeciam ne per miraculum quidem egregium, atque eximium ali- *Ioan. Huart. in Exam. ingen. cap. 16.*

quod

quod ingenium vnquam ortum fuisse, cui Græcorum permulta ingenia longè non præstent. Cum cæteris in regionibus, ex Philosophis nemo ad Aristotelis, aut Platonis eminentiam adhuc pertingere visus sit: neque ex medicis ad excellentiam Hippocratis, aut Galeni: sicut nec ex Oratoribus ad facundiam, vbertatemq. Demostenis: aut ex Poetis ad numerositatem, proprietatemque Homeri, & sic in reliquis scientijs, ac facultatibus omnibus, de quibus tot monumenta, ac præconia extant.

Verùm etsi verè Galenus dixerit apud Scythas vnum tantum post hominum memoriam Philosophum extitisse: Athenis autem permultos eiusmodi. Item apud Abderitas multos fatuos natos esse: Athenis verò paucos. Vndè inquit Apuleius, apud socordissimos Scythas Anatharsis celeberrimus Philosophus sapiens natus est; & apud Athenienses Catos Melicides fatuus. Hihilominus non est cur cæteræ regiones despiciantur præsertim quæ si fortasse non magis, æquè saltem tẽperatæ vtpote climatis eiusdem, illustriumq. virorum fęcundæ quouis tempore extiterunt: vt magna pars Esperiæ ex qua ortus est Pythagoras, ac Pythagoreorum tam nobilis, & copiosa familia, Philolaus, Timæus, Architas, Hennius alijq. magni nominis Philosophi, qui Gręcis litteras, pariter, ac scientias tradiderunt, vt præclarè Tullius adnotauit, alios Philosophos enumerans, quos præsertim Roma peperit, quibus innumeros nec minoris notæ tempus addidit sparsim ex tota ferè Italia ortos. Etenim vt mittamus paralella Plutarchi, prudentiamq. generis Romanorum in vniuersum, quæ in sacro etiam eloquio commendatur, vbi post alias eorum virtutes dicitur, eos possedisse omnem locum consilio suo, & patientia: si nihil Cæsar debuit Alexandro, Socrati Cato, Cicero Demostheni, Virgilius Homero; quid Empedocles, quid Parmenides, quid Zeno, quid denique Timæus, à quo Plato de natura doctrinam accepit, aut ipsæ Pythagoras Philosophorum omnium magister, ac parens, debet Philosophis, siue Stoicis, siue Academicis, siue Platonicis, siue Peripateticis ex Græcia ortis,

Tusculan. quæst. lib. 4. non longe ab initio.

1. Machab. c. 8.

ortis, qui de moralibus, aut naturalibus multa ſcripſerunt? Et in quo præferendi non ſunt tot recentiores Latini Grçcis quibuſcumque antiquis, quos & de natura rerum, & de ipſo Auctore naturæ ex principijs etiam naturalibus ſubtiliſſimè, ac ordinatiſſimè diſſerendo, quam maximè ſuperarunt? facile vt appareat, ait Cicero, noſtros omnia conſequi potuiſſe ſimul vt velle cæpiſſent. Quod ſi facile eſt inuentis addere, non minus fuit pro Græcis tam multa ex vetuſtiſſimis codicibus Hebraicis, Chaldaicis, & Arabibus deſumere, quàm pro Latinis Grçcos imitando, multa penitus inueniſſe, aliaq. addidiſſe. Nam de mathematicis diſciplinis Ariſtoteles ipſe fatetur, eas circa Aegyptum fuiſſe conſtitutas: ac de naturalibus etiam conſtat apud Arabes, Aegyptios, & Chaldæos antequam apud Græcos, viguiſſe, vt refert Clemens Alexandrinus, Euſebius Cæſarienſis, ac Ioſephus: Et apud Hebræos tempore Salomonis, qui diſputauit ſuper lignis à Cedro, quç eſt in Libano vſque ad Hyſſopum, & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Et Ariſtotelem multa à quodam Iudæo didiciſſe teſtatur Porphirius; imò in vniuerſum à Theophraſto laudatam fuiſſe Philoſophiam Hebræorum. Et Strabo narrat ſuis temporibus extitiſſe in Aegypto domicilia in quibus Plato Græcorum prçſtantiſſimus diuerſatus eſt, vt ab Aegyptijs doceretur. Quapropter nec relinquendæ ſunt aliæ regiones, quæ vel ſimilem temperiem obtinuerunt periluſtrium ingeniorum ſemper feraces, vt tota Hiſpania, Aſia minor, magna pars Syriç, vbi & Palæſtina; vel ab ipſa media temperie aliquantulum receſſerũt, vt ex parte ſeptentrionis, Gallia, Anglia, Belgia, totaq. citerior Germania; ex parte vero meridiei fœlix Arabia, Aegyptus, vniuerſaq. Africæ pars, ſeu tractus, qui mediterraneo abluitur à finibus Arabiæ vſque ad Herculeum, & Athlanticum fretum. Nã & ex ijs regionibus innumeri penè viri ingenioſiſſimi, ac omni litterarũ genere cumulatiſſimi, vt notum eſt, prodiere.

Ibid.

1. met. cap. 1.

Clement. lib. 1. Stromat.

Euſeb. lib. 4. de preparat. Euãg. cap. 2.

Ioſeph. lib. 1. antiquitat. c. 4. 5. & 8. & lib. contra Appionẽ.

3. Reg. cap. 4.

Illud poſtremò hic animaduertendum eſt, præfatam diſtantiam regionis ab æquatore, aut poli altitudinem, quod in idem recidit, ex ſe non ſufficere ad aptam aeris temperiem,

tiem, nisi simul adsit apta dispositio situs quoad altitudinem, aut cauitatem, probaq. qualitas soli, ex qua non modo alimentorum ratio, sed & aeris ipsius temperies alteratur, vt in principio diximus, aliæque secundæ qualitates obueniunt, quibus cœlum ipsum videtur mutari.

Lib. 4. cap. 2. Maximè autem aspectus locorum considerandus est: nam, vt notat Aristoteles loquendo de generatione animalium ex pastorum obseruatione, interest ad maris, ac fœminæ pecoris fœturam, non solum si ita accidit vt initus aquilonijs, austrinisue flatibus fiat: sed etiamsi cum pecus coit, spectat ad aquilonem, aut austrum; quanto ergo magis ad meliorem, deterioremq. aptitudinem cerebri constituendam? Etenim diuersimodè solis radios excipiendo, diuersimodè afficitur aer ab illis in loco, iuxta hunc, vel illum aspectum. Et quia multæ, ac ferè infinitæ sunt ex his ortæ locorum differentiæ; hinc est in eadem regione passim diuersum se cœlum præbere, dispares, discrepantesq. mores hominum inueniri, ingeniaq. tam varia, vt magis inter se distare dixeris, quàm polus ab alio polo. Hinc de eadem Græcia loquendo, ait Cicero: *De fato non longè ab initio.* Athenis tenue cœlum, ex quo etiam acutiores putantur Attici: Crassum Thebis; itaque pingues Thebani, ac valentes. Idemq. Cordubæ (inquit) nati Poetæ pingue quidam sonantes ac peregrinum. *Pro Archia prope finem.* Cum de finitimis terris aliud profecto quisque pronunciare teneatur propter salubritatem aeris, & acumen ingeniorum illius Prouinciæ. Titus Liuius *Lib. 44.* etiam hæc verba Rhodiorum ad senatum dicta refert, quæ ad Græciam, & circumstantes regiones pertinent: Gentes aliæ iracundæ, aliæ audaces; quædam timidæ; in vinum & venerem proniores aliæ sunt: Athenienşium populum fama est, celerem, & supra vires audacem esse ad conandum: Lacedemoniorum cunctatorem, & vix in ea, quibus fidit, ingredientem. Non negauerim, & totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia. (Loquitur de Asia minori, quæ est propè Græciam) & nostrum tumidiorem sermonem esse, quod excellere inter finitimas Ciuitates videamur: hæc ille.

De Influxu astrorum, atque Cælorum. Cap. II.

PRAETEREA ad aptam, vel ineptam, variamq. cerebri dispositionem ex causis extrinsecis dignoscendã, diuersæ considerandæ sunt cœlorum constitutiones, astrorumq. aspectus, & motus, ex quibus varij pendent influxus tempore natiuitatis: ad coaptandas in corpore tam varias qualitates. Nam vt docet S. Thomas, necessarium est corpora nostra, & alia, quæ in vsum nostrum veniunt, per motum cœlestium corporum regulari. Et hactenus: Non esse dubium (inquit) dispositiones corporis humani, impressiones corporum cœlestium sequi. Iuxta quæ D. Augustinus quamuis acerrimè contra Astrologos egerit, qui fato, vel costellationibus liberas hominum voluntates, ac cæteras actiones subdere conabantur; concedit tamen non vsquequaque absurdè dici posse (vt ipsius verbis vtar) ad solas corporum differentias afflatus quosdam valere sydereos. Quod sanè ad nostrum propositum sufficit, cum de dispositione corporei, & organici instrumenti sermo hic habeatur. Quare D. Thomas rursus ad hunc modum docet posse verificari, quod Ptolomeus in centiloquio scriptum reliquit, nempe: Cum fuerit Mercurius in natiuitate alicuius in aliqua domorum Saturni, & ipse fortis in esse suo, dat bonitatem intelligentiæ medullitus in rebus.

Lib. 3. contra Gentes cap. 91. in fine.

In secundum sententiarũ distin. 15. quæst. 2. art. 3.

Lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 6.

3. contra Gentes cap. 84. in fine.

His autem accedunt communes Astrologorum Aphorismi in hac materia, vt verbi gratia, Iouem in secunda domo existentem tempore natiuitatis, bonum ingenium ac dispositionem tribuere. Similiter Mercurium in prima domo natum facere ingeniosum valde, & cuiuslibet artis exploratorem; sicut in libra, vel piscibus, ingenij solertiam, vt nullibi aliàs præstare. Ipsumq. etiam Mercurium cum Luna coniunctum in quocumque signo, vel sextili, vel trino ra-

dio intuentes, ingeniosos reddere. E contra verò Mercurium retrogradum, ac latentem sub radijs, ingenio tardissimos decernere. Itemque in Tauro retrogradum, vel combustum, vel in duodecima à malignis damnatum, simplices, ac rudes efficere. Lunam verò sub Sole, cogitabundos, & malencholicos facere. Quæ longius protrahere præter institutum contingeret, viderique possunt apud Astrologos, Iunctinum in speculo Astrologico, & alios. Satis enim est indicasse ex astrorum etiam influxu rectam, vel prauam, variamque cerebri, seu organi sensus interioris dispositionem pendere, iuxta quam sensus ipse diuersimodè valet operari, ac non eandem sortitur habilitatem, quæ prout intellectui famulando deseruit, ingenij nomen adepta est, eoque vt plurimum significatur.

Sunt etiam, qui præter influxum astrorum, peculiarem tribuant afflatum ipsis cœlis, præsertim, qui tardissimo illo motu cientur; imo & Empyreo secundum diuersas eius partes, quæ nunquam mouentur, vt videre est apud Riccardum; quam etiam sententiam probabilem putat Clauius loquendo de numero orbium cœlestium. Et hac ratione dicunt, multa in his inferioribus corporibus variari, vel iuxta temporis decursum, & periodos cœlestium motuum, vel iuxta locorum distantiam, in quos variè influunt partes Empyrei. Verum ad has occultas, & communissimas caussas recurrere, quamuis probabiliter quodammodo possit, saltem quoad humani ingenij, eiusq. organi diuersitatem; paupertatis tamen videtur esse eiusdem ingenij, & ipsius philosophiæ, cum de singulis per se non lateant causæ peculiares, quos natura, scientiaq. instruxerit.

In secundum dist. 2. quæst. 3. circa tertium.
In primum cap. Sphæra Sacrobosc.

De

De Alimento, ac Nutritione. Cap. III.



LATO postquam varias hominum conditiones in diuersis locis degentium ex varietate aeris, ac turbinum collegisset: alios homines, inquit, propter aquas in illis differre; alios verò propter cibos, qui ex terra non solum corporibus commodi, aut incommodi oriuntur, verum animis quoque non minus. Aristoteles etiam. Quin (inquit) & inter terras, & aquas interest, eisdem de causis; qualitatem enim quandam potissimum recipit, & alimentum, & dispositio corporis, ex temperamento aeris continentis, & cibi impedientis: sed præcipuè ex alimonia aquæ; huius enim vsus plurimus est, atque in omnibus aqua aliméto est. Quod profectò non modo in regionibus diuersis ex necessitate contingit, cum in diuersis solis, diuersæ oriantur qualitates ciborum, sicut aquarum; sed etiam ex electione plerumque verificatur, qua homines quibusdam potius, quàm alijs vescuntur cibarijs, quæ inter se valde differunt, discrepantesq. valent in corpus vniuersum dispositiones inducere. Attendendumque præcipuè hoc erit in puerili, ac infantili ætate, in qua maiorem vim habent alimenta ad communicandas proprias qualitates, immutandumq. corporis temperamentum cum tenuiores artus, rariorq. materia, facilius nouas impressiones recipiat, minusque obsistat contrarijs: idque totum, quod in illis ætatis decursu acquiritur, vel augetur, ex ipsis alimentis sumatur, quorum materia transit sub formam viuentis cum omnibus dispositionibus, quæ illi non repugnant, aut non expelluntur ab alijs contrarijs in ipso viuente prius existentibus, licet hoc mediatè fiat, transeundo prius alimentum ore susceptum in chylum, & ex chylo in sanguinem, quo denique caro ipsa construitur, cæteræq. partes viuentes consistunt, & crescunt.

Dialogo 5. de legibus.

Lib. 4. de generat. animal. c. 2.

Quamobrem Phauorinus Philosophus apud Gellium, sicut (inquit) valet ad fingendam animi, corporisq. similitudinem

dinem (scilicet respectu parentum) vis, & natura seminis; non secus lactis, ingenia, & proprietates. Vnde puerum fuisse fertur, qui diu porcæ lacte altus, adultus etiam pannis indutus, limum intrabat, & porcorum more vorabat. Alterum qui capræ lac cum suxisset, saltatim incedebat, arborumq. codices erodebat. Deinde Remum, & Romulum lupam legimus enutrisse, & luporum instar rapaces extitisse. Ideo de nutricis conditionibus disserens Auicenna; delectum habendum esse præcipit, considerandumq. vt bonorum sit, ac laudabilium morum, ac tarde à malis animæ passionibus patiatur; nempe ira, tristitia, timore, & reliquis. Omnes enim istæ (inquit) corrumpunt complexionem, & fortasse permutantur, seu transeunt in infantem lactantem. Et propter hoc prohibuerunt quidam, nè stolida lactet. Deinde ratio habẽda est de alimentis, quibus nutrices vescuntur, ac non minus profecto, quàm si eisdem ipsimet vescerentur infantuli. Nam ideo cum Aristoteles dixisset, vina pueris non conferre neque nutricibus: statim addit; differt enim nihil forsitan, ipsos bibere, vel nutrices.

Lib. 1. Canonum fen. 3. doctr. 1. cap. 2.

De somno, & vigil. cap. 4.

Insuper adhuc maior est vis alimenti, quod paruuli in ipso prægnantis vtero matris detenti assumunt per venulas ex quibus, qui vmbilicus vocatur, constat, tanquam per radices contingentes ad ipsum vterum, vt docet Aristoteles; Etenim ex quotidiano cibo matris, sanguis, qui ad alimentum fœtus defertur non nihil alteratus, magnas in illo efficit differentias: vnde mala Cydonia frequenter à prægnantibus esa, aptam cerebri dispositionem, aptumq. ingenium infantibus parant, vt postea experientia comprobatur, cum nihil tale operentur, quod saltem percipiatur, si vel à nutricibus, vel ab ipsis paruulis postea cum in lucem prodierint, comedantur. Et aquæ crudæ, ac frigidæ, à mulieribus haustæ, tantam valent alterationem efficere, vt aut sterilitatem, aut partum fœmineum causent, vt Aristoteles etiam docet. Quare multò magis cerebri dispositionem diuersam, cum tamen alias neutique similem vim vnquam obtineant.

Lib. de gener. animal. c. 4. ante med.

Lib. 4. de gener. anim. cap. 2.

Omnino

Omnino autem in qualibet ætate sunt alimenta, quæ ad acuendum, vel obtundendum ingenium, reparandam, augendamq. memoriam, aut labefactandam plurimum valent; præter medicamenta, aut venena, de quibus proximo capite nonnulla dicemus. Nam quæ in purum, ac defœcatum sanguinem facilè transeunt, materiamq. minimè excrementosam continent, ad procreationem spirituum tam vitalium, quam animalium maximè valent; roborandumq. cerebrum, absque capitis grauedine, aut cruditate relicta in ventriculo. Cuiusmodi sunt optimi ac purissimi panes; gallinaceorum, auiumq. plurium, ac vitulorum carnes; oua nonnulla; omniaque edulia, quæ neque crassi, neque glutinosi, aut viscidi succi habentur; de quibus agit Galenus lib. de succorum bonitate, & vitio. E contra verò, quæ concretum, ac fœculentum sanguinem, crassum, prauumq. succum efficiunt, crudiorumq. humorum copiam in ventre relinquunt, aut ingentes flatus pariunt; vt panes parum cocti, nec fermentati, furfuracei, aut sordidi, legumina ferè omnia, carnes bubularum, aut taurorum; caseus, & alia huiusmodi, de quibus Galenus vbi supra, & in libris de alimentorum facultatibus. Hæc planè præter offensam ventriculi, reliquarumque partium, dummodo magna vis caloris exuperantiam non extinguat, fuliginosam exhalationem, crassumq. vaporem mittunt ad cerebrum, tenebricosos, ac torpentes spiritus generant, glutinosam, crassamq. reddunt ipsam substantiam cerebri. Cap. 3. & 5.

Accedit quantitas, ac frequentatio ciborum, quæ sicut ad incolumitatem corporis totius, ita ad rectam habitudinem cerebri moderata esse debet, ac suis necessitatibus opportuna, nè vltra quam satis sit, vescendo quis progrediatur, aut ei quidpiam in reficiendis viribus desit. Alioquin Bœotij propter edacitatem rudes habiti sunt, ac stolidi, vt scribit Plutarchus in commentario de esu carnium. Bœotiumq. ingenium propterea abijt in prouerbiũ, & Pindarus:

Dicta sues fuit gens Bœtia vecors.

Nimium enim cibum, crudum manere haud ignoramus

De animi mor. his. cap. 9. (ait Galenus) ex quo vel eius vsus corrumpitur, vel si distributio fiat, vt ad omnes corporis partes applicetur, nec sit bene concoctus, malum intra venas humorem, inquit creare; vnde cerebrum multa pati necesse est; præsertim cum id in diuturnum habitum, ac frequentationem abierit. Nam & ebriosi licet nullum aliud malum in cerebro patiantur, ac interdiu mente, ac sensu rectè valeant; vini tamen frequentatione, crebrisque, vel assiduis vaporibus cerebrum calefacientibus, & infestantibus, instabiles, ac tumultuosi redduntur, variæq. opinionis; Vinum enim sic immodicè sumptum, ait Galenus, ad iram præcipites, & ad iniuriam incontinentes facit, & partem animi rationalem, hebetem, turbidamq. reddit; nam, vt dixerat, semper caput halitu replet. Quibus congruunt verba Cassiodori obseruantis quàm multos esse, qui onerato ventre, acumen solitæ sapientiæ perdiderunt; Nam, inquit, & ipse qui celeberrimus sapiens habetur, copioso prandio refectus, quàm facilè in crapulam dilapsus obtunditur, vt virum illum prudentissimè disserentem, difficile, vel viuum credas, quem se ne mouere posse conspicias. Atque idcirco Ecclesiastes. Cogitaui (inquit) in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremque stultitiam.

Lib. 1. de sanit. tu. n. c. 11.

De anima c. 12

Cap. 2.

Contra vero, nonnulli potus, cibiq. parcitate, atque penuria, voluntariaq. prorsus inedia, vel memoriæ ac rationis iacturam fecerunt, vt Agricola ille, de quo narrat Galenus ob labores, ac tenuem victum memoriam pene amisisse læsa etiam ratione; vel morbo comitiali correpti sunt, vt Grammatico cuidam accidisse narrat idem Galenus; aut cerebri vires labefactantes, in morbos alios inciderunt. Famem enim tolerare, stomachum replet malis humoribus, ait Auicenna; malè autem affecto ventriculo, per consensum patitur etiam cerebrum, & corpus vniuersum, subiungit Galenus.


3. de locis aff. c. cap. 5. Et lib. de san. tuen. c. 14.

5. de loc. affect. cap. 3.

3. fen. 1. doctr. 2. cap. 7.

Ibidem.

De medicamentis, alijsq. contingentibus, quæ cerebri dispositionem immutant. Cap. IV.



VLTERIVS verò inter ea, quæ, cum actualem, tum habitualem cerebri dispositionem immutare consueuerunt, potissimùm numeranda sunt medicamenta, quæ ad restaurandam, aut roborandam naturalem ipsius cerebri habitudinem adhibentur. Hæc enim alterando, rarefaciendo, densando, tendendo, laxando, attrahendo, discutiendo, extergendo, ac similibus modis; non modo collapsam accidentaliter naturalem dispositionem restituunt; sed & ipsam quoque in suo robore stantem perficiunt, ac iteratis vicibus meliorem reddunt ex habitu. Sicut è contra, alia sunt, quæ siue ad tempus, siue quoad vixerit animal, naturalem cerebri dispositionem collidunt atque peruertunt. Mirum namque est quanta efficacitate, ac celeritate, solo brassicæ succo, turbatum & efferuescens crapula, aut tumulentia cerebrum, sedetur, vt Philosophus explicat: Item quanta efficacitate Anacardum, memoriæ iacturam valeat resarcire, vt notat Auicenna: Ac demum quanta vtilitate Helleboro, Agarico, Senna, Lapide Armeno, alijsq. expurgantibus venenis, cerebrum (attestante Meiue) reficiatur. Vt propterea ad acuendum ingenium, Carneades eiusq. sectatores Helleboro albo vterentur contra dogmata Stoicorum disputaturi, vt refert Plinius. Quo spectat illud Lucretij.

Sect. 3. problem. q. 17.

Auicen. lib. 2. tract. 2. cap. 41.

Mesue de simplicibus cap. 3. 13. 15. & 30.

Plin. lib. 35. c. 5.

Lucret. lib. 3.

Præterea mentem sanari, corpus vt ægrum,
Et pariter flecti medicina posse videmus.

Quare etiam Tullius. Est autem, inquit, quædam animi sanitas, quæ in insipientem etiam cadat, cum curatione medicorum perturbatio mentis aufertur. Ex aduerso autem scimus multa, cum ex alijs, tum etiam ex eisdem medicamentis incongruè adhibitis, cerebri temperiem peruertisse, naturalemq. totam constitutionem labefactasse. Quia

Lib. 4. Tuscul. quest. ante med.

non

Lib. quod animi mores cap. 3.

non solum Cicuta potui data, stultitiam efficit, vt ait Galenus. Et alia multa cerebrum conflictando, mentem quatiunt, & alienant, vt Pharicon, Aconitum, Toxicum, Hyoscyamum, & similia, vt notat Dioscorides: Verum ipsa quoque Anacardina confectio, cæteraq. medicamenta quamplura, alienationem nonnunquam, & malencholiam commouent; ac si vltra mensuram sumantur, interficiunt; ita vt vnde profectus, ac salus exquiritur, inde sæpe noxa, aut recens morbus, vel etiam mors inferatur. Quamobrem Medicorum omnis purgatio ait Plato, quæ pharmacis fieri solet, cum summa cogit necessitas, vtilis; aliter verò nullo modo sanæ mentis homini suscipienda est. Morbi enim (inquit) nisi periculosissimi sint, pharmacis irritandi non sunt. Additq. post pauca, quòd si quis languores citra fatalem temporis cursum pharmacis amputare contenderit; ex paruis, ingentes; ex paucis, multi euadere consueuerunt. Quæ omnia etsi in vniuersum dicta sunt, peculiari tamen ratione in morbis cerebrum infestantibus, ac in ijs, quæ ad illos tollendos, & intemperiem corrigendam adhibentur, locum habent.

Lib. 6. de medica materia c. 7. 15. 19. & 20.

In Timæo circa finem.

Præter autem salutaria medicamenta, aut nociua venena, nonnulla solent in hac vita contingere, quæ fortuito meliorem, aut deteriorem dispositionem quandoque valent causare in cerebro. Nam plerique morbis quibusdam insaniunt; alij verò nonnullis morbis iuuantur ad aptiorem temperiem consequendam, vt pervrenti febre, cerebri frigiditatem, & humiditatem temperante. Imo sunt, qui vulneribus in cranio acceptis expeditius, ac promptius ratiocinari cæperunt, vt Compluti cuidam rudi ingenio, Philosophiæ operam danti nostris temporibus traditur accidisse, dum casu per viam transeunti, è recto quodam imbricis fragmen in cranium cecidisset, eique aptiorem cerebri temperiem attulisset, vt ab operationibus perfectioribus in illo editis postea innotuit. Idemque contigisse fertur paucis ab hinc annis in Monasterio Lauræ Vallisoletanæ, nobili, sed stolidæ cuidam Moniali, quæ aliquando furens, præcipitem se

dedit

dedit, collisioneque capitis resarcita, in integram sanitatem sensus peruenit, adeo vt omnes in posterum eius prudentiam, ac solertiam mirarentur; qualitate fortasse aliqua percussionis impulsu resoluta, sedem cerebri hactenus infestante. Nec absimile illud est, quod de Clemente Sexto Pontifice Maximo traditur à plerisque, nempe illum, magno quodam capitis ictu, cuius testis extabat ingens supremo vertice cicatrix, incredibilem memoriam comparasse; ita vt quidquid vel semel postea legerit, obliuisci, etiam si cuperet, nequiuisset. Quæ, si vera sunt, compensentur tam fœlici vulnere, illorum casus duriores, de quibus est apud Plinium, quorum alius ictu lapidis, litterarum omnium: alius ex præalto tecto lapsus, matris, affinium, & propinquorum: tertius autem morbo, seruorum suorum: Quartus etiam, qui fuit Messala Coruinus orator, proprij nominis oblitus est. Quibus accedit, quòd tempore Federici Secundi Imperatoris cuidam Germano clerico contigit. Is enim hausto à vena sanguine, seruataque aliarum rerum memoria, litteras tantum oblitus fuit, adeo vt nec amplius legere, aut scribere nosset, ac si nunquam didicisset: annumq. in hac obliuione mansit. Postea eodem tempore, atque ex eadem vena iterum hausto sanguine (mirares) ad eandem legendi, scribendique scientiam, quam ante habuerat, restitutus est, vt narrat Fulgosius.

Petrarcha lib. 2. de reb. memorand. cap. 1.

Lib. 7. natural. Histor. cap. 24.

Lib. 1. cap. 6.

De corporis animique exercitationibus, & quiete. Cap. V.



SICVT corporis, mentisque exercitatio, aut quies ad vniuersi corporis incolumitatem prodesse, aut obesse magnopere potest: ita ad aptam, vel ineptam cerebri dispositionem, peculiari quadam præualet ratione, cum in illo iuxta superius explicata, nobiliores animi, & corporis exerceantur motiones.

Primò

Primò igitur vniuersaliter loquendo, tàm in anima, quàm in corpore bonum esse motum, quietem verò contrariam supponimus cum Platone in Theæteto. Nam quietes (inquit ille) putrefaciunt, atque perdunt: Et quousque solis circuitus perseuerat, omnia tam deorum, quàm hominum sunt atque seruantur; sin autem hoc (scilicet vniuersum) quasi ligatum staret, confestim omnia dissoluerentur, eueniretque, quod dicitur, sursum deorsum omnia. Hæc Plato. Et quidem, vt à corporis exercitationibus exordiamur, facile declaratur, ait Galenus, quanta sit naturæ nostræ cum exercitijs societas, cum pueros, nec si concluseris loco aliquo, prohibeas quo minus discurrant, ac pullorum, vitulorumq. ritu lasciuiant: quippe sua cuique animanti natura satis est ad proprias, conuenientesq. excitandas appetitiones, quibus sanitatem, salutemq. tueantur. Nec minus ipsa mobilitas, quàm sit etiã animo connaturalis, liquet in varijs, assiduisq. mentis discursionibus, in quibus naturaliter homines, tum vigilando, tum etiam dormiendo, quasi nulla intercepta mora, aut capto otio implicantur. Vnde rursus Plato in Timæo, cum dixisset, tres esse animæ species in nobis trifariam distributas, singulasq. suos motus habere, ait: Quæcumque illarum torpet, & à suis motibus otium agit, imbecillissimam necessario reddi; quæ verò agit assiduè, robustissimam; Et post pauca, culturam cuiusque vnam omnino esse, nempe proprium cuique pabulum, motumq. tribuere.

In Theæteto longe ante med.

Lib. 1. de sanitate tuenda c. 8.

In Timæo non longe à fine.

Vlterius verò hæc omnia in particulari ad nostrum propositum referentes, dicimus ad optimam cerebri dispositionem, tum corporis, tum animi exercitationes valde conducere. Corporis quidem; nam eius motu, naturalis calor excitatur & augetur, attenuantur humores, discutiuntur caligines, omnesq. cerebri partes excrementitijs superfluitatibus purgantur: Insuper sanguis purior euadit, vberius, ac citius spiritus procreantur, & robore per vniuersum corpus adaucto, expeditè magis suum quæque munus facultas exequitur. Animi verò, quoniam sicut ab illo omnis potentia-

rum

rum applicatio pendet, ita omnis agitatio ſpirituum, caloriſq. excitatio, quibus cerebri frigiditas temperatur. Imo etiam quandoque totum cerebri calorem, quo ipſum cum vniuerſo capite incaleſcit, ſæpiſſimè à ſola motione, & aſſidua exercitatione animi prodire conſtat in ſpeculantibus corpore quieſcentibus, ac diuturna contemplatione deditis. Veluti è diuerſo, corporis quies, cogitationis, mentiſq. ſegnitia, ac animus omnino deſes, non modo cerebrum in ſua frigiditate, aut tepore relinquit; ſed vt docet Galenus, decoloratos etiam homines reddit, & ex Atrophia, vt ipſe inquit, ideſt nutriendi defectu, graciles ob naturalis caloris imbecillitatem. Quare hunc calorem præter cætera, cuſtodiendum eſſe monet: cuſtodiri autem ait, modicis, tum corporis, tum animi exercitationibus. *De ſanit. tuen. lib. 1. cap. 3.*

Tandem dicendum eſt, ad optimam cerebri diſpoſitionem, non quamlibet animi, aut corporis exercitationem conferre, ſed mediocrem, & moderatam, atque illam, qua in mutua viciſſitudine, exęquatis inuicem viribus, neque ſemper animus, neque ſemper corpus; ſed ipſorum alterum viciſſim ſuo tempore exerceatur.

Primam partem huius concluſionis, quantum pertinet ad animum, ſumitur ex diuina Scriptura. Corpus enim, inquit, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Deinde illam probat ratio Galeni. Qui namque motus, inquit, modum non ſeruant, ſiue ij ex rationali, ſiue ex appetitoria, ſiue ex animoſa animi parte cientur, ſi modum nimium exceſſerint, billioſum animans reddunt: ſi intra modum nimium ſubſiſtunt, pituitoſum, frigidumque efficiunt. Sollicitudo enim, ira, dolor, labor, exercitatio, vigilia, abſtinentia, & inedia, ſucci flauæ bilis multum aceruant, vt ipſemet Galenus docuit. Quam verò noxam cerebro afferat bilis ac pituita, iam ſupra à nobis explicatum eſt. Vnde, quin etiam addit Galenus, priorem habitudinem febres comitari ſolent, & qui calidiores, affectus; nempe vt mania, phrenitides, ac deliria: poſteriorem iecinoris, & viſcerum obſtructiones, *Sapient. cap. 9.* *Gal. vbi ſupra.* *Lib. 2. de tẽper. cap. 6.*

comi-

comitiales morbi, Apoplexiæ, distillationum, fluxionumq. morbi, plerumque excipiunt. Qui sanè omnes ad cerebrum spectant. Et non paucos ob animi mores ægros, se persanasse ibidem testatur, solis animi motibus ad debitum motum reuocatis. Nec aspernendum esse, inquit, huius sententiæ testem ipsum patrium numen Aesculapium, qui scribi cantilenas, mimosq. ridicularum rerum fieri, & melodias quasdam instituit ijs, quibus vehementiores animosæ partis motus, corporis temperamentum iusto calidius efficerent. Alijs verò venari, equitare, atque armatos exercitari iussit, ijsdemq. statim, tum motuum ipsorum speciem (vtique quibus motus iniunxit,) tum armorum, quibus armatis exerceri præcepit, definiuit. Deinde, Nusquam igitur, concludit Galenus, ex ipsa in totum desidia adiutus quisque est; Sed cum quiete agere calidis naturis Hippocrates suadet; vehementi autem motione vti vetat.

Galen. lib. 1. de san. tuen. c. 11.

In Timeo non longe à fine.

Secunda verò pars conclusionis sumitur ex Platone, ex eodemq. probatur, quia cum semper anima effertur in corpore, & ad discendum, inuestigandumq. collectis in vnum viribus, vehementer incumbit, vel ad docendum, disserendumq. ambitiosa quadam concertatione contendit, totum ipsum corpus intrinsecus quatiens, inflammat, labefactat, ac languoribus implet; nonnunquam etiam spiritus in cerebro resoluit, ac distillationes, fluxusq. varios commouet. Contra verò, si solius corporis agitationes præualeant, ac pusillæ, exiliq. cogitationi copulentur, quod suum est, nempe quæ ad corpus pertinent, adauget, quod vero animi, seu quæ ad mentis instrumenta, & operationes pertinent, minuunt; nam sola desidia cerebro torpente, hebetem, indocilem, obliuiosum hominem reddunt. Vnde vna est ad vtrumque salus, & conseruatio, ait Plato, vt neque animam sine corpore, neque corpus absque anima moueamus. Additque propterea, quod quicumque mathematicis doctrinis operam dat, aut cuiuis mentis indagationi vehementius studet, debet etiam motum corporis adhibere, & in gymnastica exercitatione versari. At rursus, qui summa

corpus

corpus diligentia, & exercitatione firmat, & roborat, animæ quoque vicissim tenetur motus adiungere. Nam certè spiritus, qui per diuturnam animi commotionem, & contemplationem insumitur, corporis vniuersi postmodum exercitatione reficitur vnà cum sanguine, qui tunc purior, & ocius recreatur. Et naturalis calor, qui corpore quiescente, menteq. solummodo operante minuitur, eiusdem corporis agitatione augetur, ac reddit in pristinum.

TRACTATIO QVINTA

De Passionibus, & habitibus naturalibus sensus interioris.



HACTENVS de organo, eiusq. varijs dispositionibus dictum est; nunc verò de multiplici aptitudine, vel ineptitudine sensus interioris, quæ ex illo contrahitur, ac primò de passionibus, & habitibus naturalibus, quæ ex ipso sensu iuxta dispositionem organi, ad quod ordinatur, dimanant, sequitur disserendum; cum hinc præcipuè sumatur tota huius potentiæ varia, & accidentalis perfectio.

Dari in interiori sensu Passiones quasdam, & habitus inditos à natura. Cap. I.



VT quæ ad existentiam passionum huius potentiæ pertinent primò loco stabiliamus, notandum hic est, per huiusmodi passiones, & habitus, nos aliud non intelligere, quàm affectiones quasdam congenitas cum ipsa potentia, quibus diuersimodè disponatur ad operandum: nam absque

ordine

ordine ad operationem, nihil poteſt excogitari tanquam paſſio conſequens naturam ipſius potentiæ, quæ eſſentialiter eſt operatiua. Et quidem in hac acceptione nonnulli recentiores negant dari paſſiones, & habitus naturales in interiori ſenſu, tanquam entitates ex natura rei diſtinctas ab illo; tum quia nullum putant eſſe habitum operatiuum à natura datum, cum omnis naturalis propentio, & inclinatio potentiæ ad actum, ſit per ipſammet naturam, & entitatem potentiæ; tum etiam, quia neque habitum acquiſitum in imaginatiua, ſiue hominum, ſiue brutorum concedunt, totam promptitudinem, & habilitatem illius ad efficaciam ſpecierum intentionalium referentes, vt infra adducemus.

Sed hæc ſententia videtur contra doctrinam Ariſtotelis, ac D. Thomæ, nam Ariſtoteles 3. Ethicorum cap. 5. connotando huiuſmodi habitus naturales, ſic ait: Oportet vt vnuſquiſque idoneus natus ſit, habeatq. quaſi viſum, quo rectè valeat diſcernere, & id quod verè bonum eſt, eligere. Sique is eſt bono ingenio præditus, cui bona naturæ affectio inſita eſt, quod maximum, & pulcherrimum eſt, quodque ab alio accipere, aut diſcere, nullo modo licet; id quale natura eſt, tale ipſe habebit; atque ita bene, & rectè natura eſſe affectum, ipſa erit perfecta, ac vera naturæ habilitas, & aptitudo. Deinde ſimiliter quoque malo in actionibus ineſt (inquit) facultas, vt ex ſeſe agat; etiam ſi in fine non ſit. (hoc eſt operando abſque fine, aut electione.) Et ſtatim addit: Ex eoque, quod ſumus qualitate quadam affecti, talem etiam finem ſtatuimus. Vnde colligit, virtutes, & vitia naturalia, fieri etiam ſpontanea. Rurſus verò Ariſtoteles 6. Ethicorum cap. 13. expreſsè docet in pueris, & beſtijs, naturales ineſſe habitus, quibus & iuſti, & temperantes, & fortes ſumus, & cœtera ſtatim ab ipſo ortu habemus: ſed quia ſine intellectu, ſeu abſque vſu rationis tunc illi inſunt, ait noxios apparere, ſicut valor in corpore, quod ſine viſu mouetur. Quapropter huiuſmodi habitus minimè virtutes propriè, inquit, appellari, niſi adſit etiam recta ratio, cum qua habitus conſtituitur abſolutè bonus, ac propriè virtus.

Vocat tamen ipsos habitus innatos, virtutes naturales; nam simile quid esse ait, virtutem naturalem cum ea, quæ propriè virtus dicitur; nempe moralis, & acquisita; signumq. illud affert, quod omnes cum definiunt virtutem, vbi habitum, eam esse dixerunt, & ad quæ est habitus; licet adiungant secundum rectam rationem. Consequenter igitur Aristoteles tam in appetitiua parte animalis, quàm in appræhensiua interiori, habitus naturales concedit. Et vt pateat, ipsum Philosophum locutum esse de habitibus, seu virtutibus naturalibus ex natura rei distinctis, concedit alias ex illis esse posse sine alijs; eo quod idem ad omnes aptissimus minime sit. Iterum ipse eodem lib. cap. 11. ait: Sapiens quidem natura nemo est; sed sententiam habet (nempe iudicium rectum) perspicaciam, & intellectum, seu habitum principiorum. Et in libris de histor. animal. 1. & 9. sæpe tribuit non nullis brutis prudentiam quandam naturalem, vt Elephantibus, Ceruis, & alijs. Rursumque 1. met. cap. 1. animantia quædam appellat prudentia absque eo, quod discant; alia verò disciplinarum capaciora esse inquit; Quibus certè diuersas habilitates naturales sensus interioris apertè indicat.

Deinde S. Thomas 1.2.q.50.art. 3.ad 3. apertè docet, in interioribus viribus sensitiuis appræhensiuis poni posse aliquos habitus, secundum quos homo fit bene memoratiuus, vel cogitatiuus. Et art. 4. ad 3. docet ex bona dispositione harum virium, ad quam cooperatur bona dispositio corporis reddi hominem habilem ad intelligendum: quia huiusmodi vires appræhensiuæ interius pręparant intellectui possibili proprium obiectum. Ponit igitur S. Thomas dispositionem naturalem in sensu interiori distinctam à dispositione corporis, qua adiuuatur ad operandum; eamque sequenti quæstione art. 1. vocat habitum naturalem secundum inchoationem; Ait enim in appræhensiuis potentijs esse posse habitus naturales secundum inchoationem, quia non sunt totaliter ab ipsarum natura, sed partim à natura, partim verò ab alio extrinseco principio, vt à speciebus impressis,

vel dispositione organi. Loquiturque proinde de habitibus ex natura rei distinctis à potentia, vt clarius patet ex responsione illius ad secundum dicentis, aliquid etiam naturaliter superaddi posse potentiæ, cum ad ipsam pertinere non potest, quemadmodum totum id, in quo habitus naturalis constituitur. Eodemque sensu quæst. 63. art. 1. ait cum Philosopho 2. Ethicorum cap. 1. scientias, & virtutes esse in nobis à natura secundum aptitudinem, seu inchoationem; non autem secundum perfectionem.

Dicendum igitur primò est iuxta præscriptam doctrinam Aristotelis, ac D. Thomæ, dari in interiori sensu entitates quasdam ex natura rei distinctas ab illo, ac tanquam proprias passiones cum illo congenitas, ratione quarum diuersimodè ipse constituitur in actu primo ad operandum. Probatur autem ex eo, quòd potentia, quæ non solum se habet ad plura, sed diuersis quoque modis valet se ab illa commensurari, sicut indiget quibus determinetur ad hoc potius, quàm illud; ita similiter quibus vno potius, quàm alio modo ad eadem disponatur, & commensuretur; vt patere potest ex toto discursu D. Thomæ. At potentia interius sensitiua non tantum se habet ad plura sensibilia, in quorum cognitionem ex se ordinatur; sed pluribus, ac distinctissimis modis valet illa pertingere, iuxta varium vsum specierum intentionalium, secus ac sensus externi. Ergo sicut ad percipienda hæc potius obiecta, quàm illa, indiget determinatione propriarum imaginum, quæ sunt qualitates superadditæ ipsi potentiæ; ita similiter ad operandum hoc, vel alio modo, diuersis indiget entitatibus superadditis, quarum quælibet potentiam ad suum modum determinet, atque disponat, vt sic, & non aliter, vt plurimum, vel cum facilitate valeat operari: nimirum perspicaciter, aut obtusè; stultè, aut prudenter. Quare indita quædam dicuntur in nobis semina virtutum, ac vitiorum in parte appræhensiua, sicut in appetitiua, quorum vi diuersimodè homines inclinantur, & operantur: vt rectè Posidonius.

1.2.q.49.art.4.

sidonius ille apud Galenum aduertit; Qui sanè vitium extrinsecus in homines accedere, nullam radicem, ac semen in nostris animis possidens, vnde prius expullulet, & augeatur, non existimat: Quinimo in nobis ipsis intestina vitiorum semina, ac tanquam igniculos esse ait. Quod certè in cunctis hominibus obseruari potest, præsertim ante vsum rationis. Tantam enim in quibusdam paruulis agnoscimus naturalem prudentiam, siue calliditatem, vt illam dixeris habitum acquisitum, ac experientia comparatum. Sicut è contra, tanta est stoliditas aliorum, vel ineptitudo ad aliqua, vt profligatæ omnino spei censeantur euadendi quales natura non fecit. Quæ omnia in illa ætate, nec actuum frequentationi, nec præceptis ab alio traditis, imò nec temperamento diuerso quandoque possunt adscribi. Potissimum, inquit Galenus, quum multi simul videantur iisdem vescentes alimentis, ex iisdem parentibus orti, ab iisdem præceptoribus eruditi; longissimè tamen inter se natura dissentientes. Quis enim (dixerat) eos flagitia docuit? & quinam vsus (dicamus) in illa ætate præcessit, aut assuefactio, vel vnde primum inualuerunt? Quæ tandem diuersitas temperamenti in gemellis, qui simul sunt eodem sanguine procreati, eisdemque alimentis postea enutriti? Adde quod etiam si postea per præcepta, & vsum contrarium, accedente ratione, vitia transeant in virtutem, vel quomodolibet habitus naturales commutentur in melius: semper tamen aliquid remanet in ipsismet hominibus virtute præditis, in quo suorum semina vitiorum elucent, sicut in ipsis vitiosis semper emicat aliqua virtus, seu naturalis perfectio, quam non omnino vitia deprauarunt.

Lib. quod animi mores cap. vlt.

Ibidem.

Quod certè argumentum est, præter maiorem, aut minorem ipsius potentiæ perfectionem indiuidualem, quæ vniuersaliter in cunctis actibus elucet circa quæcumque obiecta illa versetur: ac præter habitus acquisitos, ac bonam, vel prauam dispositionem organi; aliquid esse superadditum potentiæ, cum eaque congenitum, ratione

cuius promptior, ac magis idoneus ad vnum, quàm ad aliud sensus ipse interior à natura constituatur. Et hinc esse, quod aliqui suopte ingenio cum non didicerint, multa valeant, vel non valeant excogitare; multa sine experientia interius, & exterius machinari: vt alij ab ineunte ætate poetari, alij naturali quadam musica modulari, alij nulla præmuniti arte excudere, ac delineare, alij mores, ac gestus aliorum imitari, & alij plura, ac diuersa præstare per naturalem quandam determinationem habilitatis ad illa. Quæ determinatio cum fieri non possit per aliquid extrinsecum, remanet vt fiat per entitatem aliquam intrinsecam superadditam potentiæ ad sic, & non aliter cum facilitate, ac promptitudine operandum.

Ex quibus intelligitur primò, non sufficere naturalem inclinationem, ac propensionem potentiæ ad suos actus, ad hoc vt eliciantur vno, vel alio modo ipsimet actus, quemadmodum aduersarij supponebant.

Secundo intelligitur, dispositionem organorum maximè quidem conducere ad rectam, vel prauam operationem sensus interioris, vel vt melius, aut deterius operetur, quouis modo operetur; in quantum scilicet ad rectam operationem causæ principalis supponitur habilitas instrumenti. Nihilominus ipsam dispositionem organorum non esse dispositionem potentiæ, seu id quo intrinsecè determinatur, ac disponitur sensus interior ad operandum hoc potius, quàm alio modo circa hæc aut illa obiecta.

Deinde tertio intelligitur, huiusmodi determinationem potentiæ, non esse eandem cum illa, quæ fit per species impressas, quando sensus vltimo constituitur in actu primo, ac determinatur ad percipiendum hoc, & non aliud obiectum in indiuiduo; eo quod huius, & non illius species habeat. Aliud est enim determinari obiter hic, & nunc ad vnum actum, ac circa vnum singulare: aliud verò est in vniuersum determinari, donec vixerit animal ad operandum hoc, vel alio modo; siue circa omnia

omnia, siue circa quædam saltem genera obiectorum. Vnde licet species determinet ad vnum; & si sit magis, vel minus impressa, valeat etiam ad maiorem, vel minorem expressionem, ac recordationem quando repræsentatur obiectum; nihil tamen valet ad determinationem modi, quo sensus eadem specie vtitur, copulando, ac diuidendo, prorsusq; diuersimodè circa idem operando. Quare non satis causam reddunt omnium prædictorum, qui habilitates distinctas negantes, ad specierum determinationem, & efficacitatem recurrunt, qua dicunt, sensum excitari ad simpliciter, ac melius, aut deterius operandum. Siquidem non ponuntur habilitates distinctæ ad indiuidualem determinationem actus, neque ad excitationem potentiæ, vt ipsi supponunt; sed ad determinationem modi genericè sumpti, vt latè explicuimus.

Vtrum verò huiusmodi entitates, seu habilitates distinctæ, dicendæ sint propriè habitus naturales, vel passiones ipsius potentiæ interius sensitiuæ; in hoc est etiam controuersia. Supponimus tamen ipsas habilitates, prout ponuntur distinctæ à potentia, & in illa receptæ, pertinere non posse nisi ad aliquam speciem qualitatis sub genere dispositionis, vt patere potest ex dictis.

Rursus itaque dicendum est, accipiendo habitum in rigore pro eo, quo quis agit cum voluerit, vt sumebat Auerroes, (nempe prout subditur coniuncto imperio rationis) prædictas entitates, seu habilitates superadditas sensui interiori ad diuersimodè operandum, propriè non esse habitus in brutis, sed tantum in hominibus; quia bruta non habent dominium suorum actuum, nec operantur ex coniuncto imperio rationis: Accipiendo tamen habitum, vt par est, iuxta definitionem Aristotelis, pro dispositione, secundum quam benè, vel malè disponitur dispositum, aut secundum se, aut secundum aliud, nempè ad operandum; abstrahendo saltem à coniuncto, vel non coniuncto imperio rationis: sic ipsas habilitates in cunctis animalibus verè, ac propriè esse habitus. Id quod totum sumitur ex doctrina Sancti

Lib. 3. de anima com. 18.

Lib. 5. Metaph. cap. 20.

1.2.q.50.art.3. ad 2. Thomæ, qui hoc modo concedit habitus in brutis, quatenus scilicet à ratione hominis per quandam consuetudinem disponuntur ad aliquid ita vel aliter operandum. Nam vires sensitiuæ, vt ipse dixerat in responsione ad primum, natę sunt obedire imperio rationis, & ideo in eis esse possunt aliqui habitus; imo prout obediunt rationi quodammodo rationales dicuntur, vt in 1. Ethic. cap. vlt. Sed hoc magis videtur pertinere ad moralem rationem habitus, quàm ad physicam naturam illius, quia subdi voluntati, aut rationi, extrinsecum est qualitati operatiuæ. Dicemus igitur, prædictas habilitates potius participarę rationem habitus, quia sunt qualitates permanentes, disponentes, ac determinantes potentiam ad hunc, vel alium modum agendi, cum promptitudine, ac facilitate; in quo constituitur tota essentia habitus, prout à recentioribus ex Aristotele communiter explicatur.

Tandem eædem habilitates dici possunt proprietates, seu passiones ipsius sensus interioris, tum quia consequuntur naturam illius, cui debetur proximum, & intrinsecum principium, quo determinetur in modo operandi; tum etiam quia ab eodem sensu nunquam dimouentur, ac illi soli conueniunt. Quandoquidem quilibet illorum, vt naturalis perspicacia, siue acumen, etsi aliquantulum remittatur, vel impediatur; nunquam tamen omnino obtunditur. Et sic reliqui habitus naturales nunquam sensum interiorem prorsus destituunt. Deinde ei soli conueniunt; nam sensus externi sicut vno eodemq. modo semper naturaliter operantur, ita nullo indigent superaddito, vt sic potius quàm aliter in ordine ad suas operationes disponantur, siue à natura, siue ab applicatione diuersa, aut assuefactione; In quo non differunt à potentijs naturalibus, vt nutritiua, ac generatiua. Quamobrem Aristoteles cum dixisset nihil eorum, quæ na-
2. Ethic. cap. 1. tura fiunt, aliter assuescere potest, vt lapis quin deorsum natura feratur, &c. statim paulò post affert etiam exemplum de visu, & auditu. Siquidem consuetudine, & exercitatione sensus externi, non fiunt promptiores ad operandum, nec habi-

habiliores ad ſentiendum, quàm nutritiua ad nutriendum, aut grauia ad procedendum ſemper deorſum, ſecus ac ſenſus internus ad cogitandum, ac memorandum. Cumque habitus naturales ſupponantur ab acquiſitis, per quos poſtea perficiuntur, vel deteriorantur, ac ſemper, propterea inſint, vt dicebamus, remanet, vt ſoli interiori ſenſui conueniant tanquam propriæ paſſiones.

De naturali ſagacitate, ſeu perſpicacitate ſenſus interioris. Cap. II.



QVAMVIS Ariſtoteles lib. 1. Ethic. cap. 13. ſagacitatem (per quam idem, ac perſpicacitatem omnes intelligunt) inter virtutes intellectiuas, ſeu habitus ac diſpoſitiones intellectus connumeraſſet: Libro tamen 6. c. 11. loquendo de illa, ac de ſententia, ſeu recto iudicio boni viri, & de intellectu vltimorum, ſeu particularium, qui à D. Thoma ibidem, & alibi appellatur ratio particularis, & ſenſus interior, ſeu cogitatiua hominis: dixit hæc omnia eſſe naturalia. Nam ſapiens quidam, inquit, natura nemo eſt, ſed ſententiam habet, & perſpicaciam, ac intellectum. Indicium cuius illud affert, quod hæc ſequi etiam ætates exiſtimamus, taliſq. ætas intellectu, & ſententia, prædita eſt, quaſi cauſa, & natura ipſa ſit. Quare, ſubiungit, peritorum hominum, & ſeniorum, ſeu prudentum pronunciationibus, & opinionibus abſque demonſtratione, non minus quàm demonſtrationibus attendendum eſſe. Nam certè dum ſenſus, ſeu intellectus particularium, ac rectum iudicium viget, acceditq. experientia, & prudentia acquiſita, rectè homines etiam abſque demonſtrationibus verſantur circa principia operabilium. Principia autem ſunt fortiora concluſionibus demonſtrationum, vt ibi annotat D. Thomas. Ex quibus licet inferre perſpicaciam apud Ariſtotelem

S. Thom. in 6. Ethic. lect. 9. & 1. p. q. 78. art. 4.

ſem non ſolum intellectiuæ, verum etiam ſenſitiuæ facultatis perfectionem quandam inuoluere atque exprimere, vt ibidem notat S. Thomas: cum ſcilicet illam non ſecus ac ipſum ſenſum, ſeu intellectum particularium, ac rectum iudicium ex aliqua cauſa naturali non eodem ſemper modo dicat procedere, ſed in diuerſis ætatibus, diuerſimodè ſe habere. Vnde perſpicacia à perſpiciendo, & ſagacitas à ſa-
Lib. 1. de diuinatione. giendo dicitur, quod eſt acutè ſentire, & vt ait Cicero, ex hoc ſagæ anus, quia multa ſcire volunt, & ſagaces dicti canes. Græcè verò perſpicacia dicitur Συνεσις per quam dicimus aliquos eſſe Συνετος hoc eſt ſenſatos. Contra verò Ασυνεσις eſt ſecundum quam dicimus, aliquos eſſe Ασυνετοὺς, hoc eſt inſenſatos. Quæ poſtea ſignificationes referuntur ad intellectum. Etenim non niſi interiori ſenſui intrinſecè, & immediatè conuenit, iuxta varias ætates, ac varias diſpoſitiones cerebri in eiſdem, vel diuerſis animantibus; melius aut deterius operari, ac in dies perſpicaciorem reddi, aut hebetiorem; Intellectui verò mediante famulatu ſenſus interioris in homine. Quandoquidem potentia intellectiua ſecundum ſe ſumpta, ſicut ſemper eodem modo valet operari; ita intrinſecè nec fit ætate, aut diſpoſitionibus corporeis perſpicacior, neque obtuſior: intellectus enim omnis
3. de anima tex. 11. rectus eſt (ait Ariſtoteles) imaginatio autē recta, & non recta. Quare tota naturalis perſpicacia, & hebetudo, quæ in diuerſis ætatibus, ac indiuiduis conſtituitur in intellectu, etiam in ſenſum ipſum interiorem refunditur, cuius phantaſmata, ſeu imaginationes intellectus iugiter ſpeculatur, ac
Empedocl. apud Ariſt. 2. de anima tex. 150. magna ex parte ſequitur. Et ſic verificatur illud Empedoclis. *Ad præſens enim ſapientia augetur hominibus.* Et rurſus: *Vnde eis ſemper, & ſapere diuerſa præſtat.*

Nec obſtat nomen perſpicacitatis communiter deſignare habitum quendam intellectus; nam etiam prudentia, quæ potiori iure, ac magis propriè ſolius intellectus eſt habitus,
Lib. 9. & aliis de hiſt. animal. ab Ariſtotele nihilominus tribuitur brutis. Quia videlicet non minus interior ſenſus ſuo modo formalitatem illam prudentiæ, ac perſpicacitatis participat. Et ſic perſpicaci-

tas, ac sagacitas extimantur synonima. Quamuis potius sagacitas, quàm perspicacia belluis attribuatur. Vnde est apud Ouidium: *1. de remed. amoris.*

Catulo sagaci sectari leporem.

Et sub nomine sagacitatis, vt plurimum de acumine, ac perspicacitate animalium, Philosophi consueuerunt disserere.

Iam verò perspicaciam sensus interioris, sicut intellectus cum Aristotele loco cit. 6. Ethic. cap. 10. in eo dicemus consistere, quod est, rectè perspicere, vel posse perspicere. Siquidem, vt ipse ait, iudicatiua tantummodo illa est, ad differentiam prudentiæ, quæ simul est præceptiua. Perspicere enim idem est, atque recto iudicio cognoscere, vel percipere. Vnde perspicax dicetur quæcumque potentia rectè iudicando valet cognoscere: vt sensus interior, qui saltem materiali modo componendo, ac diuidendo, rectè valet quasi iudicando cognoscere. Diximus autem recto iudicio cognoscere, & non absolutè, aut rectè cognoscere; nam perspicacia non attenditur in ordine ad quamcumque rectam cognitionem, sed tantùm ad illam, quæ diuersimodè potest exerceri, vt est cognitio iudicatiua. Etenim quoad cognitionem simpliciter appræhensiuam, nulla propriè datur perspicacia, aut hebetudo: semper enim eodem modo sensus determinatè se habet in appræhensione simplicium, sicut etiam intellectus. Quare sicut nec veritas, nec falsitas datur in illa, in rigore loquendo; ita nec rectè, aut prauè procedere. Nam hoc ipso, quòd sensibilia; si præsentia sint, ab exterioribus vulgatisq. sensibus percipiuntur, intus pariter innotescunt; vel si absentia sint, hoc ipso quod eorum simulacris animum pulsando offerantur, simpliciter appræhenduntur. Vnde non minus determinatè se habet sensus interior in simplici appræhensione suorum sensibilium, quàm sensus exterior, in quo propterea nullus ponitur habitus naturalis, aut acquisitus ad aliter, aut aliter operandum. Tota ergo ratio formalis perspicacitatis, ac tota differentia essentialis, quæ reperitur inter hebetem, & acutum, attenditur in ordine ad iudicium, quod diuersimodè ab alterutro fertur,

fertur, vel ferri poteſt. Nam perſpicax rectè componendo, ac diuidendo, iudicat bene; ſecus autem hebes operando, iudicat malè. Et ſic perſpicacia eſt habilitas non ad ſimpliciter, aut quomodolibet cognoſcendum; ſed ad rectè iudicandum.

Diximus prætereà, ad rectè, non autem ſimpliciter iudicandum, ſeu recto iudicio cognoſcendum; nam vt docet Ariſtoteles in illo cap. 10. ſexti. Ethic. idem eſt perſpicacia, ac bona perſpicacia. Siquidem inquit, perſpicaces etiam benè perſpicaces ſunt; idemq. eſt bene, & rectè. Ac ſi dicat, idem eſt perſpicere, ac bene inſpicere, ſicut perficere, eſt benè, & abſolutè facere.

De naturali Prudentia, ſolertia, & calliditate. *Cap. III.*



6. Ethic. cap. 5. SI de prudentia propriè loquamur, prout illa ab Ariſtotele definitur; Habitus vera cum ratione actiuus circa ea, quæ, & bona, & mala homini ſunt: perſpicuum in primis eſt, nullam eſſe in interiori ſenſu prudentiam, ſicut nulla eſt ratio, ſeu conſultatio, nec electio, quæ principium eſt actionis moralis, vt ſupra docuerat idem Philoſophus. (Ibid. cap. 2.) Si verò latius prudentia ſumatur pro naturali quadam cognitione, quæ eſt rerum expetendarum, fugiendarumq. notitia, & in naturali quodam delectu bonorum, & malorum cernitur: abſque dubio in interiori ſenſu concedenda eſt aliqua prudentia, ſeu naturalis, & ingenitus quidam habitus cognitionis, quæ dicatur prudentia per analogiam ad veram prudentiam, quæ eſt habitus acquiſitus, ac virtus intellectualis, ſicut ars, & ſcientia. Negari enim non poteſt, quin etiam in brutis appareat expetendarum, fugiendarumq. rerum aliqua notitia, ac magis in quibuſdam, quàm in alijs; & propterea aliqua prudentiora, alia ſtolidiora ab Ariſtotele ſæpius nuncupari (Lib. 9. de hiſtor. animal. cap. 7.); atque omnino, vt ipſe ait, magnam in hoc

in hoc illa referre vitæ humanæ similitudinem, habereque, vt supra dixerat, vim quandam naturalem in quauis animi affectione, vt in prudentia, stultitia, fortitudine, ignauia, clementia, acerbitate, & reliquis habitibus generis eiusdem. Cap. 1.

Vnde sicut Aristoteles 6. Ethicorum cap. 8. maximè veram prudentiam posuit in hoc, quod est sibi ipsi prospicere, ac sua cognoscere, in ijsque versari, quærendo quod sibi bonum est &c. ita lib. 9. de histor. animal. cap. 5. & 6. prudentiam quorundam brutorum colligit ex eo, quod sibi, natisq; consulere, & opitulari videntur, cognoscendo, & sectando, quæ sibi bona sunt, & cauendo à malis. Quamuis, vt nos supra explicuimus, sensus bona, & mala non cognoscat, vt talia formaliter; sed tantum materialiter. Et lib. 6. Ethic. cap. 7. ex communi asseueratione affirmat Aristoteles bestias nō nullas prudentes esse quęcumque in vita traducenda prouidendi habere vim quandam videntur. Dubium ergo solum esse potest, an prudentia in hac latitudine sumpta, sit habitus realiter distinctus à sagacitate; an verò tantum per nostram considerationem. Videtur enim eandem esse habilitatem sensus, qua rectè iudicando, cuncta valet discernere, siue circa bona, & mala, siue circa alia quæcumque versetur. Lib. 1. tract. 2. cap. 4.

Nihilominus dicendum est, prudentiam naturalem, esse habitum à sagacitate ex natura rei distinctum. Idque probatur primò à simili ex Aristotele 6. Ethicorum cap. 10. qui sanè in intellectu, aliud esse inquit prudentiam, aliud verò perspicaciam, quamuis circa eadem vtraque versetur: cuius rationem statim affert, nempe, quia prudentia præceptiua est, quid agendum, vel non agendum sit. Perspicacia verò iudicatiua tantummodo. Vnde non omnes sapientes, qui rectè de rebus iudicant, prudentes simul esse dixerat, cap. 8. Quæ omnia suo modo applicari possunt in sensu, in quo aliud est rectè iudicare de sensilibus secundum se, aliud est, illa concipere in ordine ad operandum, seu ad prosecutionem, vel fugam; licet formaliter ipse ordo non cognoscatur, sed solum materialis illa connexio, quam habent

obiecta

obiecta cum prosecutione, vel fuga, quæ ab appetitu sensitiuo elicitur.

Quare secundo idem probari potest eadem ratione, qua Sanctus Thomas probat Synderesim esse habitum ab intellectu principiorum distinctum. Quia nimirum sicut oportet naturaliter nobis, seu nostræ potentiæ intellectiuæ indita esse tam principia speculabilium, quibus aliqua naturaliter noscantur absque inuestigatione; quàm principia operabilium, quibus naturaliter constet quid agendum, & non agendum; & hæc ad synderesim, illa ad habitum primorum principiorum pertinent: ita oportet naturaliter animalibus, siue interiori sensui, non solum esse indita principia ad rectè iudicandum, ac perspiciendum circa sensibilia, quasi speculatiuo modo eorum differentias discernendo; sed etiam principia ad rectè cognoscendum practico modo, prout huiusmodi sensus cunctas operationes animalis tenetur dirigere: Et hæc ad naturalem prudentiam; illa verò ad perspicaciam pertinebunt.

1. p. quæst. 79. art. 12.

Ab hac autem naturali prudentia parum, aut nihil differt solertia; siue iuxta communem acceptionem per solertiam intelligamus industriam, ac in rebus agendis peculiarem sagaciam: quo sensu Tullius etiam bestijs, inquit datam esse quandam machinationem, atque solertiam: siue iuxta doctrinam Aristotelis, & expositionem D. Thomæ per solertiam intelligamus bonam coniectationem, quæ est velox, promptumq. iudicium, quod fit circa inuentionem medij absque ratione, siue discursu, & in sensitiua parte etiam contingit propter subtilitatem spirituum, & bonitatem imaginationis, vt inquit S. Thomas. Vnde Aristoteles in libello de virtutibus, ait, quod memoria, peritia, ac solertia, vel manant à prudentia, vel prudentiæ sunt asseclæ. Deinde consilium, & solertiam ait esse tanquam partes prudentiæ. Et certè nullo modo videntur aliquid ex natura rei diuersum, cum circa eadem agibilia, eodemque ferè modo practicè semper versentur. Etenim vt ipsemet Aristoteles dixerat: Ad ea tantùm, quæ genere sunt diuersa cognoscenda,

Lib. 2. de nat. Deor.

6. Ethicor. c. 9.

In libell. de virtut. ante med.

6. Ethic. cap. 1.

da, ex animæ quoque partibus diuersa genere ea est, quæ ad vtrumque cognoscendum est apta. Quibus consonant, quæ hactenus scripsit loquendo de industria, docens, illam esse partem prudentiæ, nec industrium à prudente separandum: idemq. subiungit de astutia esse existimandum, cum omnis prudens astutus etiam sit, licet non è contra. Tamen industriam etiam limitat in quibusdam; nam cum dixisset, illam esse in quibus & prudentia, circa ea, quæ sub actionem cadunt; statim addit: Industria siquidem dicitur quatenus consulere, rectè aliquid iudicare, ac perspicere potuerit circa pusilla, in pusillisq. eius iudicium. *Lib. 1. magnor. moral. cap. 33.*

Denique similiter calliditas non nisi accidentaliter, & extrinsecè videtur à prudentia naturali differre, quatenus scilicet calliditas, vel significat prudentiam, quæ in acquirendo maximè sita est, vt aliquando apud Aristotelem: vel eam, quæ ad aliquod malum, vt plurimum tendit, ac dirigit, vt prudentia serpentis, qui cum insidiosè agat, malumq. proinde sæpius inferat, callidior dictus est cunctis animantibus terræ. Quo vel simili sensu dixit Plato scientiam, quæ est remota à iustitia, calliditatem potius quàm sapientiam esse appellandam. Iuxta quæ etiam Aristoteles: Callidum (inquit) esse incontinentem, nihil vetat; cum tamen idem simul prudens, & incontinens esse non possit; nam qui prudens est, cum simul, & probum esse dixerat. *11. sect. probl. q. 4.* *Genes. cap. 3.* *7. Ethic. c. 9.*

In quo calliditas conuenit cum astutia, quam, licet à prudentia Aristoteles, vt supra diximus, non abstulerit, tamen in malam partem addidit vsurpari; Mentor enim, inquit, astutus quidem fuisse visus est, non etiam prudens: Prudentis namque, & prudentiæ est, optima expetere, eaque semper sibi proponere, atque actitare. Omnino tamen quoad substantiam habitus, neque calliditas, neque astutia, imo neque versutia videtur quid diuersum à prudentia naturali. Nam finis specificat actum moralem, non potentiam, aut habitum physicum, per quem ad illum, & alium finem potest operari. Et sic non modo prudentia naturalis in bonis, & in malis adhibetur: sed filij huius sæculi in malis frequen-

ter

Luc. cap. 16. ter applicati, ab ore veritatis, prudentiores appellantur, quàm filij lucis. Siquidem indifferens est ex se naturalis prudentia, dirigendo actiones, siue ab bonum, siue ad ma- 6. Ethicor. c. 12. lum: quod de ipsa quoque calliditate expressit Aristoteles, cum inquit eam talem esse, vt quæ ad suppositum scopum conducunt, agere possit, & assequi: atque hæc quidem, inquit, si propositum honestum sit, est laudabilis; si prauum, versutia est: vnde etiam prudentes callidos, & versutos esse dicimus: hæc ille; qui cum loqueretur de prudentia, quæ propriè virtus intellectualis est, & habitus acquisitus, idcirco postea calliditatem distinxit à prudentia, tanquam à superaddito, eo quod habitus (inquit) oculo huic animæ non absque virtute acquiritur. Quasi diceret, prudentiam naturalem, seu calliditatem, esse veluti oculum quendam animæ, cui dum additur habitus prudentiæ acquisitæ, simul acquiritur, & aduenit virtus; quia scilicet ipsamet prudentia acquisita, est virtus intellectiua, & non potest acquiri absque virtute morali, cum qua semper est vnita. Cum igi- Ibidem cap. sequen. tur Aristoteles postea conferens virtutem moralem cum naturali, inquit, sese habere sicut prudentiam cum calliditate, eamque non idem quidem, sed simile quid esse; indicat ac supponit, prudentiam absolutè loquendo, significare prudentiam acquisitam; calliditatem verò prudentiam naturalem. Quod clarius adhuc paulò inferius videtur supponere, cum ait, calliditatem, & prudentiam, esse duas species, quemadmodum virtutem naturalem, ac propriè virtutem, quæ est moralis, & acquisita. Quoniam verò per solam virtutem moralem, ac prudentiam acquisitam homines, vt plurimum diriguntur ad bonum; hinc est, vt prudentia naturalis explicata per nomen calliditatis, fre- Ibidem cap. 12. quentius vsurpetur pro illa, quæ ducit ad malum. Etenim absque virtute acquisita, distorquet prauitas, ait Aristoteles, facitq. vt circa actiua principia fallamur, nec optima exquiramus. Quare concludit, non posse quempiam prudentem esse, nisi bonus sit, vt supra etiam ex alio loco referebamus.

De Hebetudine, ac Ruditate. Cap. IV.



EBETVDO perſpicacitati opponitur, vt ſupponit Ariſtoteles, & cum eo omnes expoſitores, cæterique Philoſophi. Dupliciter autem ſumi poteſt, vno modo pro aduentitia quadam obtuſitate naturalis acuminis, ſeu obſiſtente quodam impedimento ad rectè, vel acutius operandum, ex alteratione, ac praua diſpoſitione organi: Et ſic eam ſumpſit D. Thomas, cum dixit: Rationis aciem hebetari ex immoderatione cibi, & potus, hebetudinemq. ſenſus circa intelligentiam fieri per fumoſitates ciborum perturbantes caput. Alio verò modo ſumitur hebetudo pro naturali, ac ingenita diſpoſitione, vel indiſpoſitione, qua ſenſus interior inclinatur ad perperam, & obtusè de ſenſibilibus iudicandum ab ineunte ætate. Vnde alij natura ſagaces, & acuti; alij verò pingui minerua naſci dicuntur. Ac ſecundum vtramque acceptionem quęſtio eſſe poteſt, vtrum hebetudo ſit qualitas poſitiua in interiori ſenſu recepta, qua malè ipſe diſponatur ad operandum: an verò ſit tantum carentia perſpicacitatis, ac naturalis acuminis, ſiue ad tempus, ſiue in perpetuum duratura, connotans prauam diſpoſitionem in organo, ex qua oriatur.

6. Ethic. c. 10.

2. 2. quæſt. 148. art. 6.

Hoc enim primo ſuadere videtur ipſe conceptus negatiuus, quem habemus de qualibet inhabilitate, aut imbecillitate ad operandum præſertim ſecundum cognitionem, vt de ineptitudine, aut imbecillitate viſus ad eminus perſpiciendum, vel ingenij ad quaſdam ſcientias comparandas. Nam quemadmodum cæcitas, vel imbecillitas viſus, inſipientia, vel inſcitia, non dicit aliquid poſitiuum; ſed tantum negationem viſus, ſaltem perfectioris ſcientiæ, aut ſapientiæ, quibus non datur habitus contrarius: ita ſimiliter inhabilitas, ſeu ineptitudo ſenſus ad rectè iudicandum, explicata per nomen hebetudinis, non dicetur aliquid poſitiuum; ſed tantum priuatio naturalis acuminis, aut maioris

acu-

acuminis, connotans imperfectionem aliquam, vel obstaculum ex parte organi.

Secundo idipsum suadetur, quia si hebetudo esset aliquid positiuum, & qualitas in interiori sensu recepta, non minus ac perspicacia numeraretur inter proprietates, ac passiones illius: sed dari non possunt duæ proprietates contrariæ in eodem subiecto, nec subiectum naturaliter carere potest aliqua ex suis proprietatibus, quemadmodum sensus quandoque caret omni hebetudine; igitur illa non est proprietas, aut vera passio sensus, ac proinde, nec aliquid positiuum in ipso sensu receptum.

Dicendum tamen est, hebetudinem esse qualitatem positiuam perspicacitati ex natura sua oppositam, & in interiori sensu receptam, quæ si sit facilè mobilis à subiecto, vt plerumque adscititia esse solet, vocabitur dispositio propriè dicta: si verò difficilè, cum ipsoque sensu congenita; dicetur propriè habitus naturalis, iuxta acceptionem de huiusmodi habitibus superius traditam. Quod certè non obscurè sumitur ex doctrina Aristotelis, vbi cum loquutus esset Philosophus de naturali habilitate ad benè, seu rectè operandum, ait: Similiter quoque malo in actionibus inest facultas, vt ex sese agat. Additque: Ex eo, quod sumus qualitate quadam affecti, virtutes, & vitia fieri spontanea, quotiescumque finem statuendo, & ex electione operando, coauctores quodammodo illorum sumus. Probatur autem: Nam per solam carentiam habitus nemo naturaliter elicit actus contrarios ipsi habitui, vt patere potest in carentia habituum scientiarum. Quandoquidem qui nullum obtinuerunt habitum Dialecticæ, aut Philosophiæ, non propterea sentiunt contra dogmata illorum. At per solam hebetudinem, aut stoliditatem, vt plurimum eliciuntur actus contrarij perspicacitati. Nam acumine retuso, vel impinguato, cunctæ sensationes internæ confuso, ac peruerso modo, tardè ac segnius procedunt. Ergo hebetudo non est sola carentia perspicacitatis: sed habitus, vel dispositio positiua illi contraria, & in interiori sensu congenita, vel acquisita.

3. Ethic. cap. 5. circa finem.

Con-

Confirmatur;nam si hebetudo tantùm esset defectus perspicacitatis, quando remittitur perspicacitas, adhuc sensus perspicaciter operaretur saltem in gradu remisso: sed non tantum minuitur modus perspicaciter operandi, cum pariter diuerso omnino modo operatur: Ergo per aliquid positiuum contingit sensui sic operari, & non per solum defectum perspicacitatis. Quod autẽ ille modus sit omnino diuersus, probatur obseruatione Platonis in Theæteto, qui cum causam redderet, cur nonnulli homines ad opiniones,& imaginationes falsas proni redderentur, perperam semper de sensibilibus iudicando, ait, quod cum opinio è conspectu, directoq. nixu, propria simulacra colligit, figuratque, vera est; cum verò transuerso, atque obliquo, falsa. Rursumq. quòd cum vtrorumque signacula tenens, non secundum ipsius proprium sensum, vtrumque habet; verum instar imperiti sagittarij à signo procul aberrat: tunc quidem mendacium nancupatum esse. Quæ omnia positiuum, ac determinatum modum circa vsum specierum in sensationibus internis, compositione, ac diuisione explicare videntur. Qui sanè modus cum debeatur potentiæ, quæ indifferens est ad illud, vel oppositum, sequitur, vt non nisi peculiari habitui possit adscribi, vt supra de omnibus habitibus diximus in vniuersum. Longo post med.

Ad primam itaque rationem in contrarium respondetur, ineptitudinem illam,aut imbecillitatem visus, sicut ingenij, & intellectus,nihil dicere positiuum aptitudini contrarium; quia nec actus, qui per talem aptitudinem, vel ineptitudinem eliciuntur, sunt inter se positiuè contrarij, vt eminus, aut cominus videre: scire aliqua, vel nescire. Et sic ineptitudo illa visus solum connotat aliquid positiuum in oculo, ratione cuius visio vlterius non protrahatur. Et ineptitudo intellectus, obstaculum aliquod in cerebro, vel in ipso sensu interiori, deterius circa aliqua ministrante. At cum per hebetudinem eliciantur actus positiuè contrarij ijs, qui eliciuntur per sagacitatem: fatendum est,ipsam hebetudinem non tantum connotare priuationem, & carentiam sagacita-

tis ob deteriorem dispositionem organi, ex qua nascitur; sed positiuam affectionem, ac propensionem sensus, per quam determinatur, & inclinatur ad sic, & non aliter operandum. Vnde quemadmodum ægritudo, licet concipiatur tanquam pura negatio sanitatis, quæ nascitur ex aliqua dissolutione temperamenti: nihilominus vt probat Galenus, est affectio præter naturam, actionem impediens: ita similiter, quamuis hebetudo concipiatur tanquam pura negatio perspicacitatis; est tamen positiua affectio sensus, qua ille à rectitudine iudicij dimouetur, & in contrarium inclinatur.

Lib. 1. de sanit. tuen. cap. 5.

Ad secundam verò respondetur, proprietatem sensus interioris constitui in hoc, quod est, posse perspicaciter, aut obtusè sentire tanquam duobus modis contrarijs, ad quos se habet indifferens, ac determinari debet per habitus prædictos sagacitatis, vel hebetudinis. Quod certè sumitur ex Aristotele cum dixit, imaginationem esse posse rectam, & non rectam, ac proinde veram, & falsam, vt ipsemet docuerat; secus ac sensus exterior, qui semper est verus, ac eodem modo, nempe rectè procedit.

3. de anima tex. 51.

Lib. 2. tex. 161.

De ruditate autem communiter loquendo, illud dumtaxat erit dicendum, quod si ruditas transferatur ad animum, prout expertem alicuius culturæ, ac disciplinæ, cuius alioquin constat esse capacem, eo sensu, quo Aristoteles non nulla etiam bruta ait esse disciplinabilia: Sic quidem ruditatem non connotare aliquid positiuum, sed tantùm dicere imperitiam, seu negationem culturæ, atque peritiæ in animo adhuc disciplinis non expolito. Vnde apud Horatium dicitur ingenium rude, quod nullis studijs fuit excultum. Si verò transferatur ad animum, abstrahendo ab omni capacitate disciplinarum, aut cultura: tunc nihil ab acuminis obtusitate, seu hebetudine realiter diuersum significare; quo sensu Epicurus dictus est hebes, ac rudis à Cicerone de sententia Stoicorum.

1. metaph. c. 1. de histor. animal. lib. 9. c. 1.

Lib. de arte poet. prope finem.

Lib. 2. de Diuinatione longè post med.

De

De Fatuitate, stultitia, insania, atque delirio. Cap. V.



ONSTAT in primis, fatuitatem, stultitiam, insaniam, vel quæcumque similia, passiones quasdam significare, quibus actiones principis facultatis, vel ad tempus, vel ab ineunte ætate, & quousque vita perdurauerit, vitiantur: imo proprium esse quorundam brutorum ex genere suo, vitiatas promere actiones rectrices, ac proterea stulta, vel stolida appellari; vt ouile genus, quod, vt notat Aristoteles, stultissimis moribus dici solet: quippe quod omnium quadrupedum ineptissimum sit. Deinde constat huiusmodi passiones sæpe in animalibus oriri ex aliqua intemperie, & alteratione præter naturam facta in cerebro, vt explicat Galenus. Nam liquet, fatuitatem, & obliuionem ex cerebri refrigeratione creari, ac reliqua quidem deliria, vt ipse prosequitur, ex mordentibus, calidisq. succis in ventriculis cerebri collectis.

Lib. 9. de histor. animal. cap. 3.

De symptomatum caus. lib. 2. cap. 7.

Dubium igitur tantum esse potest, vtrum huiusmodi passiones, seu vitia, quę in operationibus rectricis facultatis obseruantur, solum connotent prauam dispositionem organi, siue adscititiam, siue naturalem: an verò simul dispositionem aliquam, vel habitum distinctum, ac superadditum in ipsa facultate operante. Quod quidem tam de sensu interiori in cunctis animantibus, quàm de intellectu in homine locum habere potest.

Porrò deprauatas actiones tam imaginatiuæ, quàm intellectiuæ facultatis, solùm arguere intemperiem aliquam, vel dispositionem præternaturalem in cerebro; suadet primò id quod communiter obseruari potest in quacumque deliratione, aut amentia; vt in ebrietate, atræ bilis infestatione, atque phrenitide. Nam scilicet perturbata sede ac primario organo animalium functionum, siue per ascendentes

vapores, siue per vrentem calorem, aut ingestum humorem mordentis ac praui succi; satis intelligitur simulacra omnia extraneo quasi motu cieri, spiritus animales concuti, acperuersè, sensationes eorum vsu elicitas proinde procedere absque alia causa superaddita ex parte potentiæ. Deinde suadetur: Nam eadem, & inuariata potentia imaginatiua, quæ in vigilia rectissimè operabatur, sola sedis obumbratione, quæ contingit in somno, nequit amplius circa sua obiecta rectè operari; sed perperam, vt plurimum de omnibus iudicat, iterum bene de illis cum experectum fuerit animal iudicatura. Quod argumentum explicari etiam potest per motionem mentis, quam experimur in pueris, cum ipsa organorum imparilitate, aut indispositione, cessantem in ætate prouecta. Quamobrem Aristoteles, eandem docet esse causam, cur pueri, & ebrij, & insani, sint amentes; eamque ait esse calorem, qui nimius in his est, & motu plurimo, vehementissimoque animum inquietare solet; quo motu desistente, prudentiores esse incipiunt. Et antea idem Philosophus cum retulisset quàm diuersis moribus, & aptitudinibus inter se malencholici discreparent, sic ait: Causam verò tam variæ potestatis ipse habitus dat, prout frigidus, calidusue constiterit. Nam exempli gratia (paulò ante dixerat) in quibus multa, & frigida bilis est atra, hi stolidi sunt, & ignaui: in quibus permulta, & calida; ij perciti, & ingeniosi: multi etiam propterea quod ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico inferuescunt: ex quo Sybillæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes, qui diuino spiraculo instigari creduntur, cum id naturali intemperie accidat: hæc ille. Quibus certè adæquatam causam irrationabilium sensationum in sola dispositione, seu indispositione organi, videtur constituisse.

30. sect. probl. q. 15.

Quæst. 1. eiusd. sect.

Rursus verò idem probari videtur, quoniã si quis in mentis alienationem inciderit, seu in morbum aliquẽ, qui sensationes internas peruertat, nullis contrarijs actibus cõtrarium

habitum

habitum in potentiam inducentibus; sed solis medicamentis cerebri dispositionem in pristinum restituentibus, sanatur. Indicium ergo est, passionem illam, non sensus interni habitum, sed cerebri fuisse affectionem deprauantem principes actiones.

Nihilominus dicendum est, præter dispositionem prauam, quam deprauatæ sensationes sæpe quidem supponunt in organo; aliam quoque dispositionem, vel habitum concedendum esse in ipso sensu interiori, ratione cuius illæ tales ab ipso procedunt, & inclinatur potentia ad sic, & non aliter operandum. Sumitur autem hoc primò ex doctrina Aristotelis, qui trigesima sectione problematum quæstione prima, cum latè explicuisset varias ingeniorum aptitudines, ex varietate, & inæqualitate virtutis atræ bilis diuersimodè corpora temperantis; quippe quæ vehementer, tum frigida, tum calida reddi possit: statim addit: Et quoniam vim eandem morum obtinet instituendorum; idcirco nos morum qualitate afficit quadam, informatque. Quasi diceret, atram bilem varia, ac diuersa ingenia reddere, quia vim habet nõ solum causandi variam temperiem; sed etiam instituendi varios mores; nempe qualitate quadam in nobis, seu in potentia recepta, quam nos habitum vocamus. Siquidem mos, seu qualitas morum, non significat dispositionem corporis, vel organi, sed affectionem potentię ad speciali quodam pacto operandum, sumpto incremento à consuetudine, vt patet ex his, quæ idem Aristoteles docet 2. Eudemiorum cap. 4. Et in hoc etiam congruit similitudo, quam ipse adhibet de vino cum atra bile; Nam vinum varios homines reddit, non solum temperamento corporis, sed habitu quoq; mentis, ac moribus animi, vt patet in ebriosis, qui propterea, vt obseruat Galenus, ad iram præcipites sunt, *1. de sanit. tuen. cap. 11.* & partem animi rationalem hebetem, turbidamq. sibi adsciscunt. Deinde Aristoteles eadem sect. 30. quæst. vlt. agendo de cogitationibus, & imaginationibus, quæ in somnis obueniunt, ait, quòd qui instructi virtutibus sunt, meliora somnia vident; nam etiam vigilantes meliora animaduertunt: & qui

qui deterius vel animo, vel corpore sunt affecti, deteriora concipiunt. Apertè igitur sensit ad meliores, aut deteriores imaginationes formandas, non modo corporis, seu organi, sed etiam animi, seu facultatis, per quam animus operatur, dispositionem concurrere: dispositiones autem animi esse virtutes, aut vitia, vt patet ex eodem contextu. Vnde lib. 2. Eudemiorum cap. 5. stultitiam, & versutiam posuit tanquam contraria, & extrema, inter quæ mediat prudentia; vocatq. illas affectiones animi, quæ ab excessu defectuque, nomen acquirunt. Et sic inferius de stolido, quemadmodum superius cap. præcedenti de stupido, eodem pacto loquitur, ac de iracundo, vel amoribus dedito; verecundo, aut impudenti; quos constat esse tales ex peculiari quadam animi affectione cum illo congenita, quæ postea dicitur habitus, cum scilicet secundum rationem nobis inest, aut contrarium, vt ibidem notat Aristoteles; quod pertinet ad acceptionem vocis in rigore, & quæstionem de nomine.

Ratione verò probatur conclusio primò; Nam aliud est impedimentum organi, aliud verò determinatio, ac propensio, qua afficitur potentia ad specialem quendam modum in operationibus seruandum. Impedimentum enim in organo, vel penitus operari non sinit potentiam, vel saltem non nisi cum aliqua imperfectione, ac læsione: quæ quidem non determinat modum, sed ęque impedit actiones quomodocumque procedant, ac circa quęcumque versentur. Quapropter si contingat, omnino impediri organum sensus interioris, vt in apoplexia, nullo modo sensus tunc valet operari, & sic illa dicitur amissio sensus, & motus. Si verò ex parte tantum secundum quid impediatur, vt in somno, vel ebrietate, aut alia momentanea, ac leui cerebri turbatione: tunc imperfectius quidem sensus operatur, sensationesq. semper cum aliqua læsione procedunt; sed non determinato aliquo modo, sic potius quàm aliter; neque circa nonnulla peculiaria obiecta, secus ac circa reliqua. Hoc igitur facit habitus, qui, vt docet Aristoteles lib. 2. Eudemiorum cap. 4. determinat, & inclinat potentiam ad modum operandi, ac sæpe

etiam

etiam ad particularia quædam obiecta; vt facilius circa illa versetur. Cum itaque deprauatæ sensationes, quas in fatuitate, stultitia, & insania obseruamus, peculiarem ac determinatum sibi vendicent procedendi modum, ac sæpe obiecta etiam sibi determinent, in eaque peculiari quadam propensione ferantur; sequitur vt præter indispositionem organi, quæ communiter retardat ac vitiat actiones, peculiarem concedamus habitum in ipso sensu interiori deprauantem hoc, vel illo modo ipsas sensationes.

Secundo idipsum probatur, quia nonnulli licet meritò dicantur insani, eo quod deprauatam habeant opinionem de aliquo circa quod impensè, ac irrationabiliter versantur, vt quidam famulus, qui se Regem putabat, aut alius, Thrasylaus nomine, qui vt refert Athenæus, omnes naues, quæ in Pyræum portum appellebant, suas esse recensebat, nautas soluere præcipiebat, redeuntibus non aliter gratulabatur, quàm si omnium rerum, quibus onustæ erant, dominus esset: nihilominus rectè de cæteris omnibus iudicant, subtilissimè de rebus arduis ratiocinantur, ac tenaciter de præteritis recordantur, quæ sanè absque apta cerebri temperie, ac dispositione obiri non possent. Indicium est igitur potius illam insaniam consistere in aliqua affectione potentiæ sensitiuæ, qua perperam in eo genere iudicando, in falsam, ac firmam opinionem etiam intellectus circa illud dilabitur. Nihil enim prohibet per nimiam frequentationem actuum circa idem, ac per easdem species crebrius inculcatas, affectionem aliquam, seu habitum oriri in ipsa potentia sensitiua; imo per vehementem quoque impressionem imaginis, quæ semel inciderit, idem posse contingere, cum fermè dimoueri non possit, & cogatur potentia intueri id quod per species pulsantes animum repræsentatur; vnde assiduo intuitu allucinetur obtutus, ipsaq. potentia tanquam à vehemente sensibili necessariò afficiatur, vt aliter de illo quasi nequeat iudicare. Id quod etiam obseruari potest in ijs, qui amore capti sæpius insanescunt. Siquidem nulla mutatione facta in organo, ob solam affectus exuberantiam videmus

Athenæ lib. 12.

eós, propensione maxima teneri ad assiduè cogitandum de obiecto, quod cupiunt, aut diligunt. Incoercitus enim furor easdem semper eis imagines obuersat.

Lucret. lib. 4. non longe à fine.

Nam si abest quod ames, præsto simulacra tamen sunt
Illius, & nomen dulce obuersatur ad auris.

Cumque omnis determinatio assidua circa vnum, tollat indifferentiam, vel facilitatem, quam circa reliqua habere debet potentia, vt omnia rectè diiudicet: hinc fit, vt nimis circa vnum versando, valde circa reliqua ipsi experiantur deficere, ac passim in falsas opiniones prolabantur, quibus postea fit habitus, quem vocamus insaniam.

Tertio idem probatur, quia plures insani sanati sunt, & quotidie alij à vesania sanantur, nulla alteratione facta in cerebro, in quo medicinæ locus non est, cum non sit læsio; sed sola suasione veritatis, & cognitione deceptionis, qua tenebantur. Nec ad aliud illis incutitur dolor per verbera, aut metus per minas, nisi, vt attendant, & attendendo verum à falso discernant, deceptionemq. percipiant, à qua postea auertantur. Quare innumeros quotidie verberibus pro medicina constat sanari. Et Milesius quandoque virgines, vt refert Plutarchus ab immani illo furore, quo percitæ passim tota vrbe laqueo se suspendebant, nullum aliud ex multis adhibitis liberare potuit remedium, cum etiam causa penitus lateret, nisi publicum decretum, vt virginum, quæ sibi ipsis mortem consciissent, per medium forum nuda cadauera efferrentur. Nam ignominiæ metus fanaticam illam opinionem, ac propensionem arcebat. Insuper quidam cui persuasum erat nasum sibi excreuisse tanquam Elephantis proboscidem, sola Medici industria ac dexteritate sanatus est. Nam longum farcimen naribus admouit, arreptaq. nouacula, appræhensaq. nonnulla cutis parte, imaginarium nasum ab eo auulsit. Ex quibus infertur, insanias huiusmodi, non tam ex cerebri intemperie, quàm ex habitu quodam prauarum imaginationum, ac opinionum ortas fuisse; qui habitus per actus contrarios postea euanuerit; ipsosq. actus contrarios elicitos fuisse, vel per attentionem quandam

Plutarch. de claris mulier. at

dam

dam vehementem ortam ex dolore, aut metu incusso, vel ex amicorum suasione, aut alia industria.

His ergo ita constitutis, reliquum est videre quo pacto præfatæ passiones inter se, & ab hebetudine distinguantur; tum qua ratione naturales dicantur. Qua in re dicendum primò est in hoc fatuitatem, stultitiam, insaniam, & similia conuenire, vt omnes non nisi vitiosum habitum, prauamq. mobilitatem sensus interioris significent ex qua, vt ait Galenus, prauus quidam erransq. motus procedit, seu læsa quædam imaginatio, quam Græci παραφροσύνην, seu delirium vocant. Græcè enim παραφροσύνη desipientiam, ac mentis alienationem significat, vel etiam imprudentiam: quasi παρὰ φρονὴν; hoc est præter prudentiam: vel certè deducta significatione à verbo παραφρονέω, quod est præter rem, & id quod licet, sapio. Nam φρονέω idem est ac prudentem reddo; παρὰ verò idem ac præter. Quoniam vero huiusmodi prauus erransq. motus imaginatiuæ, siue etiam intellectiuæ potentiæ, nempe ipse actus desipiendi, qui dicitur delirium, vel semper reperitur in quibusdam hominibus, vel tantum ad tempus; item vel cum aliquo corporis morbo, vel absque morbo: Et vel circa omnia, vel solum circa agibilia potest versari: Idcirco deinde dicimus, quòd si semper, & absque morbo, ac circa omnia versetur, eius habitus vocatur fatuitas, stoliditas, & ineptia; si verò tantum circa agibilia, tunc dicitur imprudentia, atque stultitia. Quo sensu dixit Aristoteles: Imprudentiæ proprium esse, iudicare peruersè de rebus, deliberare perperam, & in falsam adduci opinionem de ijs, quæ ad vitam sunt bona. Quibus omnino explicatur stultitia, quæ non nisi circa mores attenditur. Vnde leuius est, stultum esse, quam fatuum: Si denique cum febri delirium obueniat, eius habitus dicitur phrenysis; si verò absque febri, vocatur insania, Græcè autem μανία, vt Galenus aduertit, quod si grauior diuturniorq. sit mentis alienatio dicitur etiam furor, quæ adhuc vlterius in plures species distinguuntur ratione humorum, atque causarum, ex quibus habitus ipsi proueniunt; sed illas hic percensere superuacaneum

De symptom. differentijs cap. 3.

In libello de virtutibus.

Lib. 2. de sympt. caus. cap. 7.

neum esset, cum non sint nisi differentiæ accidentales, vel denominationes extrinsecæ. Omnes enim quoad essentiam conueniunt in hoc, quod est esse mentis, aut sensus interni ægrotationes quasdam, ac prauas dispositiones magis, aut minus circa plura, vel pauciora deterius inclinantes contra rectam rationem. Nam sicut prudentia, ac sapientia sanitas est animi, vt ait Cicero, ita omnis insipientia, insanitas quædam est, & ægritudo animi, quæ dicitur fatuitas, stultitia, dementia, siue insania iuxta accidentales differentias, quas explicuimus. Ex quibus apparet, nec dormientes, nec ebrios, nec pueros, nec valde senes, quando vt tales minus mente valent, dicendos esse fatuos, stultos, vel insanos; siquidem ipsi non sensus, sed organi passionem aliquam, seu indispositionem sustinent propter quam non rectè operantur. Et eodem pacto sæpe se habent phrenetici.

Tuscul. quæst. lib. 3. non longe ab initio.

Iam verò vlterius dicimus huiusmodi habitus realiter, & essentialiter differre ab hebetudine. Quod inde potest constare; Nam sicut alius est diminutus, infirmusq. motus, alius verò prauus, vt docet Galenus: ita alius est habitus, quo inclinatur potentia tanquam per obtusitatem quandam ad diminutas sensationes eliciendas; alius verò, quo inclinatur ad perperam, ac peruersè sentiendum, etiamsi acutè circa proposita sensus ipse versetur; cum tota prauitas attendatur ex falsitate, & inconformitate cognitionis cum recta ratione. Vnde hebes opponitur acuto; fatuus verò, siue stultus, atque insanus, opponitur sano mentis, siue prudenti.

De sympt. differentiis cap. 3.

Dicitur autem huiusmodi mala dispositio fatuitatis, siue stoliditatis, naturalis quidem in certo gradu non nullis animantibus, vt quæ ex genere suo stolida, vel imprudentiora ab Aristotele sæpius appellantur: præternaturalis verò hominibus, cæterisque perfectioribus; Nisi dicamus cunctis quidem animantibus naturales esse omnes habitus explicatos secundum aliquam partem, nempe tam perspicaciam, & prudentiam, quàm etiam hebetudinem, ac fatuitatem; sumi verò denominationem ab exuperantia vniuscuiusque contrariorum. Quod præclarè probari potest ex doctrina

Ari-

Ariſtotelis, vbi ipſe poſt enumerationem multorum animi affectuum, ſibi inuicem oppugnantium, ſic ait. Affectus igitur tam iſti, quàm illi ſuperius explicati pauliſper quidem conſiſtere in omnibus ſolent. Omnes enim aliquid illius materiæ, facultatiſque, ſibi in terminum proculdubio continent: ſed quibus altè, ampliterq. conſtiterint, ij iam morum qualitate quadam noteſcunt, & nominantur. Vt enim ſpecie inter ſe diſtant (ſcilicet homines) non quia faciem habent, ſed quia faciem talem, alij pulchram, alij turpem: & qui nihil ſuperuacui gerunt, ij ſtata ſunt forma: ſic etiam qui leuiter habitu illo conſtant, ij medium tenent; qui plenè, ij iam diſſimiles multitudini euadunt: hæc ille. Iuxta quæ dici poteſt omnibus quidem aliquid admixtum eſſe dementiæ, ſicut hebetudinis, perſpicacitatis, atque prudentiæ; denominari tamen fatuum omnino atque dementem, qui nimirum maximè tali qualitate tenetur, ſicut contra, prudentem, qui propenſius circa vtilia abſque errore verſatur. 30. ſect. probl. quæſt. 1.

Ex quibus omnibus patere poteſt reſponſio ad rationes in contrarium dubitandi ſuperius adductas; concedendo ſcilicet quod ex illis tanquam varijs experimentis, ac teſtimonijs probatur; nempe ſenſum interiorem ſola cerebri indiſpoſitione, aut alteratione ſæpiſſimè delirare, ac peruersè de rebus plurimis iudicare, vt in ebrietate, ſomno, pueritia, phrenitide, ac atræ bilis commotione: negando tamen quod ex hoc non detur habitus diſtinctus, ipſaq. in potentia receptus ad hoc, vel illo modo delirandum, aut circa hæc, vel illa obiecta potius quàm alia, ita vel aliter operandum; cum aliud ſit impedimentum organi ad rectè operandum circa ſenſibilia quæcumque, vt in omni ſenſus alligatione contingit, quæ paululum durat, ac facilè diſſoluitur: aliud verò ſit affectio, ac propenſio potentiæ ad determinatum modum peruersè operandi cum aliqua perſiſtentia; quod ſanè etiam abſque cerebri alteratione experitur; vt ſupra explicuimus. Quod ſi ex certa quadam temperie, humorumque combinatione videamus quandoque, & ingenia diuerſa creari, ac

deliria

deliria quamplura, vel insanias persistenter induci, vt ex Aristotele afferebatur; imò per contrarias dispositiones videamus ipsas insanias frequenter sanari: hoc non tollit ipsum habitum necessariò dari tanquam formam, seu qualitatem, qua sensus formaliter constituitur talis, ac tanquam proximum, & specificatiuum, seu determinatiuum principium ad sic, & non aliter operandum. Nam sensus cum ex se sit indifferens ad hanc, vel illam aptitudinem, ineptitudinem, aut insaniam; nec possit quoad suam propriam entitatem iuxta varias organi, seu subiecti dispositiones diuersificari; immutatur tantum quoad præfatas passiones, quibus proximè constituitur huius, vel illius habilitatis iuxta exuperantiam explicatam. Vnde præter causam dispositiuam in organo, dari debet aptitudo potentiæ ex eadem causa proueniens, qua immediatè determinatur, & inclinatur ad sic, & non aliter operandum. Quapropter cum Aristoteles loco in contrarium allegato, docet causam tam variæ potestatis sensus interioris, esse atram bilem, prout calida, & frigida esse potest &c. intelligendus est de causa dispositiua, quæ est in organo; non autem de causa formali, quæ est in ipsa potentia interius sensitiua. Quod ex eo quoque potest constare; nam cum dixisset, homines, qui ingenio claruerunt, malencholicos omnes fuisse, adijcit, adeo vt aliqui in insaniam proruperint, & alij in morbos varios inciderint, vel suapte natura in eos ipsos affectus perspicuè vergant. Quibus ostendit, aliud esse ipsum temperamentum corporis, vel organi; aliud verò affectionem potentiæ, quæ ex illa nascitur tanquam passio consequens dispositionem subiecti, in quo operatur potentia.

Vbi notandum etiam occurrit semper cum dispositione organi coniungi exercitationem potentiæ in eodem genere actuum, ad quos dicitur subiectum dispositum; quo fit, vt frequentatis actibus generetur habitus, ac propensio ad idem, ad quod aptatur potentia ex parte subiecti. Nam multi vitijs atræ bilis aliquando infestati, quibus tenebricosas veluti imagines cogebantur elicere, ac non nisi circa in-

con-

conuenientia versari cum sollicitudine, atque mœstitia; deinceps etiam si conualuerint, cessante illa infestatione, atque temperie, adhuc similes actus consueuerunt promere: contracto scilicet habitu ex actibus, ac frequentatione præterita. Quare multò magis qui in eadem organi, & corporis dispositione sunt nati, ac iugiter perseuerant, similes actus, ad quos organum coaptatur, elicient, crebrisq. actibus habitum generant, aut intendunt.

De somno, & Vigilia. *Cap. VI.*

IAM verò cum de passionibus sensus interioris in vniuersum hic sermonem instituerimus, videndum superest, num somnus, & vigilia sint pariter veræ, ac propriæ passiones eiusdem potentiæ, sicut superius explicatæ; an verò denominatione quadam solummodo tales dicantur. Ac primum planè asseruisse videtur Philosophus in proprio opusculo, quod de illis inscripsit, cum cap 1. somnum vocat passionem sensitiuæ particulæ, vinculum, & immobilitatem quandam: solutionem autem remissionemque, vigiliam. Et cap. 2. & 3. cùm somnum & vigiliam, passionem esse ait primi, ac principalis sensorij, siue quo animal sentit omnia. Porrò suaderi etiam potest ex eo; nam cum sensus interior ex se indifferens sit ad dormiendum, aut vigilandum, determinari debet peculiari aliqua proprietate pro conditione animalis, cuius constituitur facultas, ac pro temporum, ac vitæ illius opportunitate ad operandum cum opus fuerit, vel desistendum ab operatione, quam simul cum sensibus externis exercet. Vt vicissitudo somni, ac vigiliæ non extrinsecis tantum causis quasi fortuitò, sed intrinsecæ præsertim naturæ ipsius facultatis sensientis, seu proprietati cuidam illius meritò tribuatur. Quam rationem Auerroem tetigisse cōperimus, cum munus hoc vigilandi, ac dormiendi, quo vita animalis vicissim traducitur, ac tanti momenti esse 2. collect. 21.

perhi-

perhibetur, nequaquam extrinsecæ, & accidentariæ organi expeditioni, aut obumbrationi per exhalationem alimenti, sed certæ facultatis rectricis naturæ, seu proprietati demandari consentaneum esse, dicat. Id quod confirmari adhuc potest, quia constat non obstante ciborum exhalatione, aut membrorum lassitudine somnum alliciente, sæpe animalia, ac præsertim homines ob validam appræhensionem sensus interioris aliò diuertentem, ac dirigentem facultates animales, vigilare, & excubare: contra verò nulla causa dispositiua soporem conciliante pro arbitrio ad tuendam vitam ipsius animalis, aut solo silentio, in tenebris, somno locum dare. Ex quo arguitur, somnum, & vigiliam esse naturales, ac genuinas affectiones ipsius sensus interioris, naturam comitantes, ab eoque primò ac principaliter in actum prodeuntes, ac emanantes, siue media reuocatione, & effusione spirituum animalium, siue alio medio, de quo postea dicetur.

Accedit, quod in statu innocentiæ absque dubio homines quandoque ocium cæpissent, ac dormiuissent, vt affirmat S. Thomas: sed tunc somnus adscribi non potuisset animi, aut virium defectioni, nec sensorij communis alligationi, quæ omnia dicunt imperfectionem repugnantem illi statui fœlicissimo, in quo homines vitam traducerent: Ergo remanet vt somnus, sicut & vigilia, proprietates quædam sint consequentes naturam, & essentiam ipsius potentiæ interius sensitiuæ, quæ nata est modò cum sensibus externis, modo verò sine illis operari, & aliquando omnino quiescere.

In 2. dist. 19. q. 1. art. 3. & 1. p. q. 44. art. 4.

Sed vt planius, quid in hac re sentiendum sit, stabiliamus, præmittenda erunt aliqua de ipso somno, & vigilia magis nota, & communi iam omnium sententia recepta.

Primò igitur supponimus, in somno naturaliter quiescere, ac ligari sensus omnes externos ad vitæ animalis commoditatem, atque incolumitatem; sensum verò interiorem non necessariò ligari, nisi quoad illas operationes, quas vnà cum ipsis sensibus externis tenetur obire; licet in profundo, & graui

graui sopore, cæteræ quoque omnes eius sensationes, vel penitus, vel magna ex parte impediantur. Diximus autem huiusmodi ligationem esse à natura institutam ad vitæ animalis commoditatem, & incolumitatem, vt non quæcumque sensuum impotentia, vel ab operotione abdicatio, somnus diceretur, vt ea, quæ fit per apoplexiam, Caron, Læthargum, Comatem; aut morbum comitialem, siue etiam animi deliquium & defectionem, vt notat Aristoteles: sed ea dumtaxat, quæ natura sua est instituta ad recreationem spirituum animalium, reintegrationem virium, salutemque, & incolumitatem animalis. Vnde somnus à Cicerone perfugium omnium laborum, ac sollicitudinum vocatur. *Lib. 2. de diuinat. in fine.*

Secundo verò supponimus, ligationem huiusmodi, aut solutionem in eo consistere, vt queant, vel nequeant sensus operari ministerio spirituum animalium à cerebro ad externa sensoria discurrentium, ita vt ligatio, quæ fit in somno, sit veluti inhibitio quædam, nè spiritus animales è cerebro, tanquam à proprio fonte ad externa sensoria illabantur: solutio verò, quæ est in vigilia, sit permissio liberi transitus, ac immissionis eorundem spirituum. Fieri autem istiusmodi inhibitionem, primò per reuocationem spirituum animalium in commune sensorium, eorumque retentionem in illo; ita vt ipsa anima reuocet, colligatq. spiritus ipsos in cerebrum, ibique aliquantisper ad commodum vitæ, quietemq. animalis retineat, vt cum Auerroe etiam docet Auicenna. Quod ita intelligendum est, vt non omnes prorsus spiritus auocentur, ac reliqua sensoria ab illis omnimodo deserantur. Nam vt hactenus dictum est, semper nerui, ac musculi spiritus aliquos detinent, quorum ministerio etiam in somnis, licet subobscurè, nonnulli soni audiuntur, ac tactilia multa palpantur. Vnde demum expergiscitur animal cum sensibile quippiam inualuerit. Ideoque rationabile putat Galenus, exiguum virtutis à principio in singulos tum confluere sensus; & profundè quidem, ac non profundè dormire, ex quantitate influentis virtutis contingere, cum tantò minus eius influere sit credibile, quanto somnus est profundior. *Lib. 1. de sympt. caus. cap. 8.*

fundior. Deinde fieri pariter ſupponimus talem ſpirituum inhibitionem per obſtructionem meatuum, quibus ipſi in externa influunt ſenſoria, euaporatione ciborum, aut humorum è ventriculo ad cerebrum aſcendente, qua & immediatè opplentur ipſi meatus neruorum atque venarum, & ſpiritus ipſi craſſeſcunt, difficiliusq. propterea commeant. Addenſantur enim vapores ſurſum euecti, cerebro refrigerante; ac multiplicati, grauioresq. ipſa denſatione effecti, ſuo pondere rurſus ima petunt, velut aqua è ſublimi, vbi coierit, ac meatus omnes, per quos ſpiritus animales ad externas partes diffundendi erant, obſtrudunt. Quapropter alimenta omnia, quæ plurimum vaporem, ac humiditatem in ſe continent, ſomnum facile conciliant, taliaq. etiam ſunt omnia medicamenta, quæ ſomnifera dicuntur: contra verò ſicca peruigilium cauſant.

Tertio ſupponimus ſomnum, & vigiliam, viciſſim competere cunctis animantibus, hoc ipſo, quod interius, exteriusq. ſentiant, vt docet Ariſtoteles: nam vigilare (inquit) non eſt aliud, niſi eorum, quæ extrinſecus ſunt aliquid ſentire, aut eorum, qui in ipſo motuum aliquem; dormire verò eſt ab hac operatione ad inſtaurationem naturæ, aliquando ceſſare, paſſione quadam facta in communi ſenſorio; quia natura impoſſibile eſt, ſenſum ſemper ſentire. Quorumcumque enim eſt aliquod opus ſecundum naturam, ait Ariſtoteles, quando exceſſerint tempus, neceſſe eſt deficere. Additque: Si itaque alicuius eſt opus ſentire, & vtique excedat tempus quanto erat potens ſentire, continuò deficiet. Quapropter cuncta animantia videmus nonnunquam quieſcere, tam volatilia, quam terreſtria, & aquatilia, vt ibidem atque alibi obſeruat Ariſtoteles, & poſt illum Plinius, Plutarchus, & alij. Quamuis multa aquatilia non adeo in ſopore quieſcunt, quia ſaltem caudas placidè moueant, ſecus ac alia, quæ more quadrupedum ſe ſternunt in uadis, vel per maris alta, ſupina ſe deferri patiuntur ab aquis, vt Delphini, & id genus alia.

De ſomn. & vigil. c. 1. & 2.

Ibidem.

Lib. 4. de hiſtor. animal. cap. 10. Plin. lib. 10. natural. hiſt. c. 75. Plutar. lib. de ſolertia anim.

His poſitis, dicendum eſt, ſomnum, & vigiliam nullo

modo

modo esse veras, ac proprias passiones sensus interioris, sed extrinseca tantum relatione tales denominari. Probatur autem primò; nam si somnus, & vigilia sumantur formaliter pro actu dormiendi, ac vigilandi; somnus quidem erit priuatio vigiliæ, vt inquit Aristoteles; vigilia verò erit actus sentiendi, quæ sunt extrinsecus, vel quæ in ipso fiunt animali, vt idem subnectit. Vel, vt ait Galenus, Vigilia erit intensio animæ à principio ad corporis partes omnes atque particulas. Si autem somnus, & vigilia sumantur tanquam principia, seu tanquam formæ, per quas interior sensus dicatur vigilare, aut dormire; vigilia quippe non erit forma distincta, ac superaddita ipsi sensui ad vigilandum: Nam sicut vigilare non est diuersum ex natura rei ab ipso sentire, ita neque principium vigilandi à principio sentiendi. Somnus item neque erit quidpiam distinctum ab ipso sensu, eiq. tanquam forma vel passio inhærens: siquidem quidquid additur potentiæ operatiuæ præsertim tanquam passio illius, debet esse in ordine ad operandum; at vt possit dormire, non est ad operandum, sed quiescendum, ad quod non requiritur principium diuersum à principio operandi; cum eadem natura sit principium motus, & quietis. Ergo somnus, vt sic non est passio sensus ab illo distincta. *In finitionibus medicis longè ante med.*

Quod si dicatur, somnum ex parte potentiæ dicere principium reuocandi spiritus animales in cerebrum, ac cessandi ab operatione sensationis externæ per modum cuiusdam propensionis ad quiescendum, & ad refectionem naturæ, vt rursus animal melius valeat operari: occurrendum erit cum eo, quod licet spiritus animales distribuantur per totum corporis habitum, reuocenturque in cerebrum ad nutum, ac directionem sensus interioris; ipsa tamen emissio, ac reuocatio, immediatè non exercetur ab eodem sensu (qui hoc ipso, quòd potentia cognoscitiua est, non nisi cognitionem, nullamq. aliam operationem edere potest) sed exercetur à virtute expultrici, & attractrici, ac retentrici, quæ simul residet in cerebro, & pro opportunitate, cum sensus indicauerit, vel spiritus ipsos ad sensoria externa vulgataq. dispertit,

vel ad se iterum attrahit,reuocatq. introrsum. Eodē pacto, quo etiam in corde spiritus vitales, quos in membra diffundit, cum opus est, ad se colligit ac tantisper retinet; vt patere potest in vehementi timore cum pallor, ac tremor exoritur, extimos artus deserente spiritu vitali, ac proinde calore. Nec propensio ad quiescendum, refectionemque naturæ, conuenit sensui interiori per aliquam proprietatem, formamque distinctam; aut magis illi, quàm cæteris sensibus,potentijsq. operatiuis; cum ex principio tradito ab Aristotele, ac paulò ante à nobis relato, satis constet, virtutem omnem corpoream naturaliter quandoque ab operatione desistere,ac proinde essentialem includere ordinem ad quietem ex limitatione suæ naturæ defectibilis.

Secundo probatur, quia vinculum, seu ligatio, in qua constituitur somnus, non cadit supra sensum ipsum interiorem; sed supra sensorium eius commune,seu organum,quod ex parte impeditur; nempe in meatibus, per quos spiritus animales transmittendi essent ad priuata sensoria. Quamobrem nunquam Aristoteles dixit somnum esse ligationem sensus communis, vt falsò nonnulli interpretantur: sed tantum esse vinculum principalis, & communis sensorij, ad quod tendunt alia sensoria, vt vim sentiendi per spiritus inde tanquam ex fonte membratim recipiant. Quod patere potest ex verbis illius, & ex consequentibus,textuq. sermonis in fine capitis secundi præfati opusculi. Extrinsecè igitur se habet huiusmodi vinculum ad ipsam potentiam interius sensitiuam, quæ proinde nullo modo per ipsum vinculum in se afficitur, aut intrinsecè determinatur tanquam per formam inhærentem, ac propriam passionem. Quod si in somno multæ sensationes interiores impediantur, ac præsertim omnes,quæ vnà cum sensibus externis debent exerceri; hoc planè per accidens extrinsecum dicetur illi conuenire non secus ac oculo in caliginoso loco existente, multa non posse videre, quæ alias ex se perspicuè ac statim attingeret.

Adiecimus autem in conclusione, relatione quadam extrinseca, somnum, & vigiliam passiones sensus interioris denominari;

nominari; nam re vera cum per illa variè sensorium internum afficiatur, ipsum quoque sensum in eo existentem aliquid passionis censetur contrahere modo extrinseco iam explicato. Et hoc sensu Aristoteles,& alij communiter somnum, & vigiliam impropriè passiones huius potentiæ denominarunt.

Ad rationem igitur in principio suadentem ad oppositum respondetur, sensum interiorem natura sua esse determinatum ad vigilandum, hoc ipso, quod potentia sensitiua est; cum idem sit vigilare, ac extrinseca, & intrinseca sentire; eodemq. pacto esse determinatum ad dormiendum, cum quælibet potentia corporea, & operatiua, aliquando debeat ab operatione desistere: somnus autem non sit aliud, nisi sensationis externæ ad tempus priuatio ex causa prædicta, ad quam concurrere,vel non concurrere sensum interiorem, parum refert ad propositum.

Ad primam verò confirmationem respondetur, reuocationem spirituum, vt probatum est,non à sensu, sed ab alia virtute immediatè exerceri; propensionemq. ad hanc reuocationem, vt resarciatur, quod deperditum est per calorem & operationem, pertinere quasi transcendentaliter ad totam ipsam animalis naturam, non autem ad solum sensum interiorem, tanquam eius proprietatem.

Ad secundam denique confirmationem patet solutio ex eo,quod licet in statu innocentiæ nulla dabatur passio, quæ corpus à naturali hominis dispositione remoueret, vt virtutis debilitatio,animi deliquium, & similia, quæ ex morbis ingruunt: aliqua tamen fiebat humidi per actionem caloris deperditio, cui subueniendum erat per assumptionem cibi ac potus, vt docet S. Thomas. Quare cibus aderat homini 1. p q. 97. art. 3.
ne esuriret,ac potus ne sitiret, ait Augustinus. Siquidem Lib. 14. de Ci-
non minus instaurari, nutriri, & augeri debuissent corpora uit. Dei.c. 26.
humana illo in statu, quàm nunc de facto instaurantur, nutriuntur,& augentur. Nam ea, quæ sunt naturalia homini, vt ait idem S. Thomas, neque subtrahuntur, neque dantur Ibid. q. 98. ar. 2.
homini per peccatum. Igitur ad eundem effectum conue-

 niebat

niebat homini in illo etiam statu aliquando dormire. Quoniam opus suum facit nutritiua particula, ait Aristoteles, in dormiendo magis, quàm vigilando; nutriuntur autem, inquit, & augentur tunc magis, tanquam nihil egentia ad hæc sensu. Vel etiam dicamus, quia calore per somnum intus cum spiritibus vitalibus collecto, opus nutritionis exactius perfici valet. Patiebatur insuper à ventriculo leuem aliquam euaporationem cerebrum etiam in statu innocentiæ ad perfectionem totius naturæ per recreationem, seu refectionem suorum spirituum animalium modo, quo diximus, præsertim cum nullum sit inconueniens tale impedimentum euaporationis in organo admittere soporis tempore; cum simile aliud in vigilia admittat S. Thomas in pueris propter nimiam humiditatem cerebri, quam pariter in illo statu habuissent. Vnde colligit, eos perfectum vsum rationis habituros non fuisse, sicut postea adultos, atque in ætate prouecta. Quare non aliter philosophandum est de somno, & vigilia in statu innocentiæ, ac in præsenti, seclusis imperfectionibus, quæ in somno contingunt ex nimia euaporatione ciborum, aut superfluitate humorum, vi quadam preternaturali, meatus ac vias à cerebro ad alia sensoria obstruente.

De somn. & vigil. cap. 1.

Ibid. quæst. 101. art. 2.

TRACTATIO SEXTA
De habitibus acquisitis sensus interioris, eorumq. causis proximis, ac remotis.



OST passiones congenitas, explicandæ sunt illæ, quæ interiori sensui varijs ex causis, varijsq. modis obueniunt, vt sunt habitus acquisiti; nam his non minus perficitur, vel immutatur ipse sensus interior in sua accidentali constitutione, de qua hoc in libro agimus.

Præter

Præter habitus naturales dari etiam in interiori sensu plures habitus acquisitos . Cap. I.



ECENTIORES ,qui naturales habitus interiori sensui denegarunt , acquisitos pariter potiori iure negant , saltem in brutis . Et primò quia hæc omnia in suis actibus determinantur omnimodo ex vi obiectorum, prout eis repræsentantur: semper enim naturaliter appræhendunt, vel iudicant per phantasyam , iuxta modum , & qualitatem specierum , quibus eis proponuntur obiecta , siue in præsentia , siue in absentia ; ergo præter species ipsas , hoc vel illo modo , hæc aut illa obiecta repræsentantes, non datur habitus , quo inclinetur , ac determinetur potentia ad aliqua præsertim obiecta , vel ad peculiarem aliquem modum cognitionis de illis habendæ .

Secundo verò,nam consuetudo,& experientia in his animalibus tantum deseruiunt , vt species sic, vel sic repræsentantes, hoc, vel illud obiectum,firmius adhæreant tanquam sæpius repetitæ ; siquidem neque experientia , neque consuetudine determinari possunt belluæ ad aliud, quàm ad id , quod eis naturaliter cum suis circumstantijs repræsentatur ; proindeq. nullus concedendus est eis habitus, experientia , aut consuetudine comparatus .

Tertio, nam tota illa promptitudo, quam ad instar cuiusdam habilitatis obseruamus in brutis , quæ ad nonnullas actiones , more hominum assuescunt ; satis intelligitur in sola specierum efficacitate consistere. Nam species quarundam rerum adeo vehementer insident imaginationi eorum propter assiduam doctrinam , vt citius ab illis ipsarum imaginatio excitetur, quàm ab alijs; vnde præter illas nullus est habitus necessariò concedendus .

Quarto , nam etiamsi concedantur in interiori sensu non nulli habitus naturales , peculiaris adest ratio negandi ha-

bitus acquisitos. Hi namque maiorem supponunt indeterminationem potentiæ ad tales actus, ad quos inclinant, sicut è contra maior est determinatio potentiæ ad actus naturales. Quapropter vbi non datur dominium suorum actuum, nec videtur dari posse talis indifferentia, seu indeterminatio potentiæ, quæ compleatur, ac determinetur per habitum acquisitum ad hos potius, quàm ad illos actus.

Verum opposita sententia tenenda est, dicendumque præter habitus naturales, dari etiam in interiori sensu habitus quosdam vsu, & experientia comparatos; loquendo de habitibus iuxta acceptionem superius explicatam. Ita enim colligitur ex Aristotele non solum consequenter ad ea, quæ de habitibus naturalibus sunt allegata; sed etiam expresse dum docet, consuetudinem esse tanquam naturam, qua mouetur cogitatio nonnunquam aliter, atque aliter, & retrahitur; cum tamen ijs, quæ per consuetudinem sunt, natura nō similiter insit. Vndè consuetudine paulò ante dixerat consequi inter se plures motus imaginationis, fierique hunc post hunc; & inde pariter nasci, vt quæ sæpè intelligimus, citò reminiscamur. Quæ omnia diuersis vocibus, non nisi essentiam habitus, quem vsu, & exercitatione imaginationis adipiscimur, etiam aduersarij fatentur innuere. Quare idem Aristoteles supponit in quibusdam animantibus capacitatem disciplinæ, quæ certè non est nisi habitus quidam, ipsamque capacitatem distinguit à prudentia naturali, eo quod sint nonnulla animalia prudentia, quæ non discunt: Discunt autem (inquit) quæcumque vnà cum memoria auditus quoque sensum habent. Deinde cum dixisset, bruta etiam participare aliquā experientiam, addit, experientiam pene simile quid scientiæ, ac arti existere. Itaque apertè concedit in brutis habitum acquisitum. Eademq. doctrina colligitur ex Augustino dicēte. Videmus immanissimas bestias à maximis voluptatibus abstinere dolorum metu, quod cum in earum consuetudinem vertitur, domitæ, & mansuetæ vocantur. Consuetudo namque sic non differt ab habitu. Proindeque S. Thomas apertè docet, in interioribus viribus

Tract. præced. cap. 1.

Cap. 2. de mem. & remin.

1. metaph. c. 1.

Lib. 83. q. 39. tom. 4.

1. 2. q. 50. art. 3.

viribus sensitiuis appræhensiuis poni posse aliquos habitus; ac pro se citat, tùm præfatum locum Augustini, tum etiam illum Aristotelis vbi dicitur, quod consuetudo multum operatur ad bene memorandum. *De mem. & remin. cap. 3.* Addit tamen D. Thomas huiusmodi habitus deficere à propria ratione habitus, in quantum, prout sunt in brutis, non subduntur imperio voluntatis, quod, inquit, videtur ad rationem habitus pertinere; loquendo scilicet secundum illam acceptionem habitus in rigore, secundum quam definitur habitus ab Auerroe, vt supra explicuimus de habitibus naturalibus. Quod non tollit, D. Thomam concedere habitus acquisitos iuxta definitionem Aristotelis ibidem allatam tanquam qualitates superadditas ipsi interiori sensui ad facilius, ac promptius operandum. Quam etiam sententiam sequitur Scotus, *In 3. distin. 33. q. 1.* Ocamus, & Gabriel, cæteriq. nominales communiter.

Probatur autem conclusio in primis experimento nostrarum imaginationum, quibus diu, vel assiduè circa aliquid versando, promptiores ac expeditiores reddimur ad idipsum, vel simile in posterum concipiendum, aut effingendum. Vnde mechanicis disciplinis tanquam frequentibus, ac ordinatis actibus discendo, plures habilitates à nobis acquiruntur, quæ artes appellari consueuerunt, & non nisi interiori sensui principaliter insidere probantur. Deinde probatur simili experimento, quod obseruamus in brutis, quæ assidua exercitatione, & vsu multa facere discunt, ac facilius imaginatione circa illa mouentur, dirigendo simul alias potentias animales; vt quæ artificiosis saltibus incedere assuescunt, aut veluti humanas voces emittere, ac verba proferre demonstrant. Quorum in particulari nonnulla retulimus libro superiori, vt de illo Elephante, qui depræhensus est noctu sua sponte ad Lunam se in gyris, ac institutionibus, quas die appræhendebat, exercens. *Tract. 4. c. 12.*

A priori denique probatur; nam quotiescumque potentia est indifferens ad varios actus, imo etiam ad repugnantes, saltem quoad modum illos eliciendi; & ob sui imperfectionem non habet ex propria natura vim innatam, ac promptitudinem

ptitudinem sufficientem, vt singulos actus per se solam attingat,& ad illos se vario modo determinet;necessariò compleri debet per vim aliquam superadditam, seu qualitatem vsu, & exercitatione adeptam, qua ad tales actus potius quàm alios propendat, ac determinetur in suo modo operandi: & hanc qualitatem vocamus habitum acquisitum; quod inductione patere potest, tàm in intellectu, & voluntate, quàm ex communi sententia in ipso etiam appetitu sensitiuo: At potentia interius sensitiua, vt sæpè diximus, est huiusmodi, vt ex se non habeat sufficientem determinationem in modo operandi circa sua obiecta: Ergo denegan-da non est illi capacitas, vt vsu, & exercitatione acquirere possit habitum, qui veluti compleatur, ac determinetur ad varios actus specialiter, ac diuerso modo eliciendos.

Ad argumenta igitur in contrarium suadentia, responderi potest, ad primum, concedendo quidem bruta determinari ad hoc potius, quàm illud sentiendum in indiuiduo ex vi speciei excitatæ repræsentantis obiectum cum suis modis, ac circumstantijs, quæ se tenent ex parte eiusdem obiecti: negando tamen ex vi ipsius imaginis, vel obiecti determinari tanquam ex parte potentiæ ad hunc, vel illum modum sentiendi circa eadem obiecta in genere sumpta, abstrahendo ab indiuiduis, prout habitu, siue naturali, siue acquisito, sensum ipsum determinari, ac inclinari docuimus.


Ad secundum respondetur, consuetudinem, & exercitationem non solum efficere, vt species firmius adhæreant, sed vt potentia facilitatem, ac propensionem acquirat ad vsum earundem specierum, ac modum, quo illæ copulari debent, vel segregari. Vnde illa præsertim exercitatio, & consuetudo inducit habitum, quæ certo, & ordinato modo semper procedit, repetendo scilicet, & inculcando simul easdem imagines, eundemque vsum illarum. Quod cum non fiat absque voluntaria applicatione potentiæ; hinc est, vt in rigore non concedatur habitus, nisi in potentijs subditis imperio voluntatis, vt est sensus internus, & appetitus sensi-

sensitiuus in homine. Sed quia adhuc in brutis perfectis applicari, ac dirigi potest imaginatio circa nonnulla, iuxta voluntatem ac rationem hominis dirigentis, siue docentis, fit, vt licet minus propriè, & imperfectius; aliquo tamen modo etiam à brutis habitus acquirantur. Quia licet ab extrinseco principio, & non à se ipsis ordinatè moueantur; omnino tamen ex vniformitate motionis, atque exercitij, eadem, vel similis facilitas relinquitur in posterum operandi.

Quoad tertium, iam patet facilitatem, ac promptitudinem potentiæ ad hoc, vel illo modo operandum, non in efficacitate specierum, sed in habitu esse constituendam.

Ad quartum respondetur, potentiam per se sumptam tanquam præcisam ab omni habitu illi adiuncto, non magis esse indeterminatam ad modum operandi, quem sortitur per habitum acquisitum, quàm ad eum, quem sibi vendicat per habitum naturalem, atque innatum: nam æquè indiget qualitate superaddita ad alterutrum; atque adeo non magis requirit dominium suorum actuum per vnam, atque per alteram indifferentiam, cui non necessariò ipsum dominium competit, vt paulò ante explicuimus.

Quo pactò experientia, & exercitatione in interiori sensu habitus generentur, siue ab animalibus acquirantur. Cap. II.



ARISTOTELES ait multas eiusdem rei memorias vnius experientiæ vim efficere: per experientiam autem, artem, & scientiam in hominibus comparari. Statim verò, artem, ait, effici, cum è multis experimentalibus conceptibus, vna de similibus vniuersalis opinio fit. Ex quibus primò licet colligere experientiam formaliter consistere in pluribus memorijs, quæ de eadem, vel simili re habentur; eamq. propterea reperiri posse in interiori sensu etiam brutorum animantium, absque tamen collatione similium, 1.met.c.1.

prout videtur inuolui in experientia perfecta potentiæ rationalis, vt Aristoteles ibidem innuit, cum dixit: Opinari, quod Calliæ hoc morbo laboranti, hoc conducit, similiter, & Socrati, ac sigillatim alijs multis, esse opus experientiæ. Et quoniam bruta similitudinem formaliter per comparationem percipere nequeunt, idcirco illa parum experientiæ participare superius dixerat; quia scilicet non nisi materialiter similia apprehendunt, ac interiori sensu experiuntur. Deinde colligitur per ipsam experientiam in interiori sensu, nullum habitum produci posse, qui proprie artis, aut scientiæ rationem obtineat; siquidem nullam potest sensus abstrahere vniuersalem opinionem de singularibus ex his, quæ didicit experientia. Illud igitur videndum superest, quo pacto, & quemnam habitum gignere valeat ipsa experientia in huiusmodi potentia, etiam prout est in brutis animantibus.

Qua in re dicendum videtur, experientiam in interiori sensu efficere verum ac proprium habitum, quo facilius ac promptius circa eadem, & similia obiecta versetur; non aliter quam crebris ac repetitis actibus se magis ac magis ad idem inclinando, vt in omnibus habitibus intellectualibus acquisitis. Ratio est, quia non minus repetitæ memoriæ, ex quibus constat experientia, quàm repetitæ priores cognitiones vim habent producendi facilitatem ac promptitudinem quandam in potentia circa eadem, vel similia obiecta, quam promptitudinem vocamus habilitatem, seu habitum ad operandum.

Nec obstat, huiusmodi habitum in interiori sensu habere non posse rationem artis, aut scientiæ; nam etiam in intellectu plures dantur propensiones, & habitus acquisiti, qui nec artis, nec scientiæ rationem habeant; Et quamuis, vt infra dicemus, formalitas illa, sub qua conueniunt actus artificiosi, & scientifici, multum conferat ad productionem habitus; id tamen, quod formaliter tribuitur ab intellectu, materialiter impenditur ab interiori sensu, dum assuescit circa eadem, vel similia, sæpe versari.

Et con-

Et confirmatur, quia multa, quæ homines mera imaginatione interius moliuntur, vt appræhensiua efformatio corporum cœlestium iuxta varias orbium figuras, quæ visu minimè percipiuntur: Item vniuersæ cosmographiæ tractus: Nec non & geometricarum dimensionum, ac linearum machinamenta, & similia: difficile quidem in principio, & ante vsum huiusmodi appræhensionum effinguntur etiam præceptoris voce, & dilucidatione adiuuante: post vsum vero, ac frequentem exercitationem, facillimè hæc omnia ab ipso interiori sensu deinceps obiri constat. Quod certè indicium est, ipsa exercitatione, ac frequentatione actuum, habilitatem quandam circa illa de nouo acquiri; Nam &si intellectus sua directione, & applicatione multum adiuuet; negari tamen non potest, facilitatem, aut difficultatem, quæ circa mathematicas, aliasque plures disciplinas quotidie experitur, maiori ex parte in ipsa imaginatione consistere, quæ modo per non vsum huiusmodi habilitate caret, modò verò per exercitationem habitum adepta, promptius operatur.

Addendum tamen est, non per quamcumque exercitationem habitum generari, sed per illam tantum, quæ ordinem, & conformitatem cum assuetudine in suis actibus habet; nam plures, ac plures actus varij, ac disparati, nullum valent producere habitum, etiamsi assiduè repetantur: Contra verò, si conformes, aut ordinati sint, tendantq. ad vnum quasi obiectum totale, ac sæpius reiterentur, statim promptitudinem, ac facilitatem præstant deinceps ad operandum. Siquidem ordinata repetitio, ac vniformitas actuum vnit, ac maiorem eddit vim effectiuam, quæ in ipsis reperitur ad productionem habitus. Et hæc fortasse fuit ratio cur à D. Thoma, & alijs non concederentur habitus acquisiti in interiori sensu, nisi prout ille subiacet imperio rationis, quo applicatur, & mouetur ad ordinatè, ac vniformiter operandum circa nonnulla obiecta cum aliqua assiduitate. Quod in hominibus fit per coniunctionem, quam sensus habet cum intellectu; in belluis verò per applicationem coactam ex metu, vel exhibitam ab aliquo instinctu naturæ; itaut omnino

assue-

assuefactio illarum, ordinem, & vniformitatem sumat ab homine dirigente secundum propriam rationem; licet hæc directio sit omnino extrinseca, nisi sit mera, & casualis imitatio, vt in Psitacis, alijsq. auibus, ac Simijs, quæ multa ex se imitari consueuerunt; & consuetudo in habitum transit circa illas operationes.

Quo item pacto studium, doctrina, & Magistri dicantur concurrere ad productionem habitus. Cap. III.



EX proximè autem dictis colligi potest qua etiam ratione studium, & doctrina, item & magistri dicantur concurrere ad productionem habitus, tàm in intellectu, quàm in sensu interiori; nam studium supra exercitationem, de qua locuti sumus, addit peculiarem quandam attentionem, & applicationem animi circa illud, quod siue mens, siue sensus conatur appræhendere. Vnde Tullius (*1. de inuent.*) Studium, ait, est assidua, & vehemens animi ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio. Cumque attentio, & voluntaria, assiduaq. facultatis applicatio, efficaciores, ac perfectiores pariat cognitiones, ex quibus habitus generatur; sequitur etiam studium secundum suam formalitatem ad productionem habitus concurrere. Etenim assidua, ac vehementi applicatione circa eadem obiecta, non modo species illorum magis, ac magis radicantur, perfectiusq. adhærent, ac dilucidantur; verum etiam vsu ipsarum crebrescente, facultas quoque magis inclinatur ad eundem vsum, nouamque (vt diximus) acquirit habilitatem, ac promptitudinem ad repetitionem similium cognitionum. Vnde rectè colligit Aeneas Siluius (*Æne. Silu. de liberorum educat. cap. 2.*), quòd quamuis alium alius præstet ingenio, nemo tamen reperitur, qui nihil sit studio consequutus.

Rursus autem doctrina, seu artibus, ac disciplinis propter

pter ordinationem conceptuum, quam includunt, maximè constat, ingenia expoliri, ac erudiri; ita vt sensus interior mathematicis, verbi gratia, demonstrationibus, & conceptionibus assuetus, promptior, & expeditior, imò & veracior euadat in appræhensionibus figurarum, dimensionumque continui, aut enumeratione corporum discretorum, licet in his omnibus intellectus cooperatione dirigatur, & adiuuetur. Quapropter Plato magnopere laudat numerorum disciplinam, præsertim in pueritia: nam Somnolentos etiam, inquit, & natura rudes exuscitat, & dociles, memores, solertesque facit præter naturam suam diuina arte proficientes. Et Aristoteles: Virtus intellectiua, inquit, vt plurimum ex doctrina habet, & generationem, & incrementum. *Dialogo. 5. de legibus propè finem.* *2. Ethic. cap. 1.*

De magistris verò non absimilis est ratio; nam quod immediatè præstat doctrina à discente concepta, hoc idem doctor, voce mediante, præstare censetur. Siquidem species excitat quamplures in audiente; alias de nouo imprimit, & has, & illas conuenienter disponit, vt perfectam cognitionem pariant, quam postea sæpius reiterando, habitum sensus acquirit. Quamobrem Aristoteles dicere solebat, tria ad parandam sapientiam potissimum esse necessaria. Naturam, doctrinam, & exercitationem: inuita enim minerua frustra laboratur; rectè discitur à doctis, & exercitatio consumat eruditionem. Vnde magna habenda est delectio præceptorum; nam sicut ad directionem sensus, ac mentis, optimosq. habitus adipiscendos apprimè valet præceptoris, ac moderatoris vera, ac perspicua doctrina cum facilitate congruenter exhibita; ita ad peruersas imaginationes, & opiniones, prauosque habitus inducendos multum cooperatur Doctoris inscitia cum falsis dogmatibus, quibus semel imbutus animus, difficile amplius vera potest attingere. *In Apophtegmat. Pauli Manutij, lib. 7.*

Denique mirum est quanta efficacitate homo in hominem valeat conceptus imprimere, impressosq. ad alios eliciendos arte quadam siue naturali, siue acquisita dirigere. Ad hoc enim cuncta dialectica præcepta, ac logicales insti-

tutiones ex vetustissima obseruatione reperiuntur conflatæ. Etenim non secus, ac superior Angelus inferioris intellectum dicitur purgare, & illuminare iuxta communem Theologorum doctrinam cum Dionysio Areopagita, quæ illuminatio, aut purgatio, vt colligit Diuus Thomas ex eodem Areopagita, tota consistit in propositione, ac declaratione veritatis, quam superior Angelus inferiori proponit, ac distinguit in plures conceptus, vt illam accommodet eius capacitati, & intelligentiæ: ita similiter homo, alterius hominis dicitur intellectum, & imaginationem ab erroribus purgare, & expiare; ac vniuersales, & confusos conceptus in particulares aptè diuidendo, dirigere, & illuminare. Quare Sanctus Thomas eam ipsam illuminationem Angelorum explicans, exemplum adhibet Doctorum hominum, qui quod in summa capiunt, multipliciter distinguunt, prouidentes capacitati aliorum. Affertq. illud Areopagitæ. Vnaquæque substantia intellectualis, datam sibi à diuiniore vniformem intelligentiam, prouida virtute diuidit, & multiplicat ad inferioris sursum ductricem analogiam. Quod autem de huiusmodi illustratione, seu cooperatione doctorum diximus respectu cognitionum actualium, totum intelligendum est, postea refundi in ipsas cognitiones habituales, seu habilitates, quæ ex talibus cognitionibus oriuntur.

De cœlest. hierarch. cap. 3.
1. p. q. 106. ar. 1.
De cœlesti Hierarchia c. 15.

Qua

Qua ratione in interiori sensu per passiones appetitiuæ partis possint habitus generari. Cap. IV.

MIRA insuper obseruatur vis, & efficacia in voluntate rationali, atque etiam in appetitu sensitiuo, non modo ad attrahendam secum, & adhibendam subiectam sibi cognitionem hic, & nunc iuxta suam propensionem: sed etiam ad habitualiter immutandam ipsam quoque potentiam cognoscitiuam. Manifestum est enim, vt docet Sanctus Thomas, quòd passionem appetitus sensitiui sequatur imaginationis appræhensio, & iudicium extimatiuæ, sicut dispositionem linguæ sequitur iudicium gustus. Vnde, inquit, videmus quod homines in aliqua passione existentes, non facilè imaginationem auertunt ab his, circa quæ afficiuntur. Supra verò probatum est ex eodem D. Thoma, assiduitate imaginationis circa obiecta determinata, diuersos habitus generari, qui propterea sensum diuersimodè afficiunt iuxta diuersas affectiones appetitus. Quamobrem non solum curæ multæ, & anxietates, sollicitudo, ac mœstitia, & aliæ huiusmodi causæ morales iuxta doctrinam Galeni, plures morbos in cerebro solent efficere, eosque in animum transfundere, quorum immediata causa est calida, & sicca affectio ex adusto sanguine, nimia facultatum animalium applicatione, & alijs accidentibus orta: sed præcipuè constat hoc ex passionibus amoris, & odij; Etenim multi amore, vires ingenij excitare, mentemq. sibi expolire cæperunt. Alij verò frequentius insanescere consueuerunt, vt Philotæ inuictissimo militi Antigonæ amore capto contigisse narrat Plutarchus. Et multi dementes facti sunt propter vxores suas, vt dicitur in Esdra. Quare Nazianzenus agens de amore ex intemperantia, inquit, tantam vim habet, vt sapientes etiam alioqui viros mentis errore afficiat, dete-

p.2.q.77.art.1.

3. de locis affect.cap.7.

Lib.2. de fortuna, seu virtute Alexandri.

Lib.3. cap.4.

Orat.in laud. Cypriani.

deteriusq. sentire cogat, æquulei petulantis, & indomiti more, rationem secum abripiens. Talesq. propterea viri Phylocapti nominari solent à Phylos Græcè, quod est amor Latinè. Et dicitur is insanus amor hæreos, vel hæreosus; quia plus accidit Hærois. Omnino enim amare, & sapere, vix Deo conceditur, vt habetur in senario, qui Senecæ adscribitur.

Plerosque itidem nouimus in commotione iræ, multa fuisse assecutos, quæ aliàs ipsi non assequebantur iuxta illud Iuuenalis:

Si natura negat, facit indignatio versum.

In eliacis posterioribus, siue lib. 6.

Frequentius tamen alios constat ob iram insanescere, vt Cleomedi Astypalæensi eueniſſe narrat Pausanias. Is enim cum Iccum Eupidaurium interemisset, & eo crimine erepta sibi palma fuisset, quam ex victoria consecuturus erat in ludo Olympiaco, animi ægritudine, mentis impotens factus fuit. Item Carolus Sextus Francorum Rex ira vehementer commotus, penitus conuulsa mente, furoreq. percitus est, vt narrat Paulus Aemilius Veronensis.

Lib. 10. de gestis Francorum.

In Timæo non longe à fine.

Deinde Plato vtramque passionem videlicet amoris, & iræ compræhendens, sic ait: In eo igitur, qui concupiscentiæ, & ambitiosæ iracundiæ affectibus expleadis incumbit, necesse est, opiniones omnes mortales fieri, atque eum, quam maximè fieri potest, mortalem prorsus euadere, cum mortalem naturam pro viribus auxerit. At eum, qui totus discendæ veritatis cupiditate flagrauerit, atque omnem eius operam præcipuè in hoc vno impenderit; necesse est omnino, siquidem veritatem attingat, immortalia, & diuina compræhendere, & quatenus humana natura immortalitatem assequi potest, eatenus hunc penitus immortalem euadere: hæc ille. Quibus planè concludit naturam hominis augeri secundum illam partem, cuius affectus, ac propensiones cognitio sequitur; cumque natura in proposito augeri non possit secundum substantiam, aut secundum potentiam, quæ non suscipiunt magis, & minus; remanet, vt augeatur, ac immutetur secundum habitum, mortalia, vel

immor-

immortalia concupiscendo, ac meditando, maioremq. circa illa habilitatem, ac promptitudinem assequendo.

Fit autem, vt nimia passione appetitiuæ partis in animali, cognoscitiua etiam interius immutetur, tum quia rapit secum cupiditas cognitionem, moresq. illius assiduè, & vehementer exagitat, ac dum continuata applicatione intensissimæ, ac frequẽtes cognitiones eliciuntur; illæ ad productionem habitus, ac immutationem potentiæ plurimum valent: tum etiam quia ex vehementia, ac frequentatione phantasmatum, ipsum quoque organum immutatur, ac instrumenta omnia quasi ad illud dumtaxat deseruiunt, ad quod voluntariè destinantur. Siquidem species eædem iterum atq; iterum inculcantur, spiritus non nisi ad tales imagines conuocantur, cerebrum non nisi in his functionibus incalescit, ac denique omnia in vnum videntur conspirasse, in quod affectus vehementer procumbit. Vnde sensus ipse interius residens, crebris sensationibus actus, instrumentorumq. ad idem facilè deseruientibus, necessariò inclinatur ad ea ipsa propensius dignoscenda, quæ appetitus respuit, vel exoptat.

Diximus autem ex vtraque causa quandoque bonum, quandoque prauum habitum in ipsa potentia generari; nam primò ex parte operationum, frequẽtia, & efficacitas sensationum ex applicatione voluntatis, præsertim si naturalem modum non excedat, competentem vt plurimum habitum gignere consueuit, aptamq. promptitudinem ad operandum circa illa obiecta. Aliquando verò maximè si modum excedat, intensissimum habitũ generat circa eadem determinata obiecta; ex quo fit, vt sensus ipse impotens penè circa reliqua inueniatur propter impedimentũ subministrationis aliorum, & ratione limitationis potentiæ, vt hactenus explicuimus. Deinde similiter ex parte organi solet contingere; nam quandoque homo vires exercitio auget, exuperantem in cerebro humiditatem exsiccat, calorem excitat, aptioremq. sibi dispositionem comparat ad operandum. Interdum verò nimia facultatis applicatione aptam temperiem dissoluit, nimirum calorem accendit, subtiles humores resoluit, totamq.

fedem peruertit, indeq. prauum habitum ad operandum circa omnia contrahit. Ait enim Auicenna differens de ylifci, feu ægritudine, quam quis propter amorem incurrit, defiderium incitare cogitationem amantis tantò magis, quantò minus confequitur id quod cupit; & tunc fortius tàm appetitum, quàm cogitationem ardefcere. Quo fit, vt ficca vehementer temperies in organo imprimatur, vt ibidem notant expofitores Gentiles Fulginatis, & Iacobus de partibus. Et mirabile eft, concludit Auicenna, quomodo natura obediat meditationibus, cum fcilicet ad motionem mentis, virtutes corporis componantur, feu bene, ac malè difponantur. Eademq. ratio eft de odio, & ira; nam vt præclarè docuit Hippocrates, fi aquæ vis ab igne fuperetur, nempe fi corpus valde biliofum, iracundumq. fuerit, ad infaniam adigitur. Et rurfus alibi: Tumulentia, inquit, iræ, defipientiam parit.

Can. 3. tract. 4. cap. 23.

Lib. 1. de Dieta n. 37.

Lib. de flatibus. n. 20.

De neceſſitudine, ac familiaritate, qua diuerſi habitus acquiruntur. Cap. V.



VLTERIVS autem difcurrendo per fingulas caufas etiam remotas prædictorum habituum, minimè afpernenda eft illa, quam in hominum, fiue amicorum confuetudine, ac familiaritate Philofophi omnes, præfertim morales conftituunt. Affidua enim confortia, familiaresq. neceffitudines animum iugiter pulfant, & quafi inculcatas formulas, ac repetita exemplaria mores exhibent, transfunduntq. in proximum, quem propterea aut virtutibus ornant, aut vitijs deprauant. Vnde ait Caffiodorus, quantum proficimus cum rectis, tantùm deteriores nouimus effe cum peffimis.

De anima cap. 9. tom. 2.

Etenim quod ad cognitionē attinet, præftantium virorum neceffitudine, & quotidiano colloquio, quafi nouo femper lumine homo interius illuftratur, accenditur fenfus, menfq. flagrat exemplo, ac facili negotio alienis directionibus, ac

industrijs eruditur; magisq. etiam inter facetias, ac familiares sermocinationes, imprimuntur præcepta doctissimorum: ac dum quotidiana consuetudine illos imitando, in optimis ac præclaris imaginationibus, & opinionibus se exercet, optimum acquirit habitum interius sentiendi, & opinandi. Ideoque meritò Seneca affirmabat, non tàm valetudini prodesse vtilem regionem, & salubrius cœlum, quàm animis parum firmis in meliorum turba versari. Sicut è contra dixerat, malorum exempla, prauasq. consuetudines, veluti contagiones, imprudentium animos, mentesq. contaminare. Sumuntur enim, ait, à conuersantibus mores, & vt quædam ad contactus corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Et Plato loquendo de morbis animæ, qui propter ineptitudinem corporis obueniunt, inter quos connumerat hebetudinem, & obliuionem, adiungit: Sæpe etiam ad prauum hunc corporaturæ, & affectionis habitum, accedunt mores Ciuitatis iniqui, sermonesque, & priuati, & publici non parum omnino noxij. Lib. 3. de ira c. 8.

Cæterum, quæ de doctrina, & magistris superius dicta sunt, eadem de omni conuersantium assidua confabulatione dici possunt. Siquidem non minus amicorum dictis, & exemplis, quàm præceptorum dogmatibus suadentur homines ad sic, vel aliter sentiendum de rebus, quæ non nisi imaginatione, aut coniectura percipiuntur. Fidesq. humana orta ab extimatione, quæ habetur de veracitate testantis, plurimum valet ad imprimendas habituales opiniones de rebus, siue veras, siue falsas. Quare sicut ingeniosorum dicta præclara imaginationes, ac opiniones aliorum videntur disponere, ac rectificare, ita hebetum, ac insciorum ineptiæ eas confundere, & quasi distorquere censentur, præsertim in adolescentibus, ijsq. omnibus, qui aliorum dictis, & opinionibus naturali quadam propensione adhærent.

De statu, & professione, ubi etiam de legibus, & fortuna. Cap. VI.



EMVM ex eadem doctrina consequitur, status hominum, ac professiones magnoperè sensus interioris ingenijq. aptitudinem immutare, variosq. habitus frequenter inducere. Constat enim innumeros viros alioqui non multum sagaces, aut acutos, artibus, ac disciplinis, vel negotiationibus ac lucris ex voluntario instituto, aut ex necessitate semper intentos, perspicuum sibi ingenium comparare. Alios verò bonorum copia, curas omnes, ac studia paruipendentes, ac in delitijs constitutos, cum pinguiori fortuna pinguem sibi pariter mineruam efficere, hebetioresq. in dies euadere. Quandoquidem nimiæ delitiæ, voluptatumq. illecebræ, necnon & solum otium, robur exsoluit, acumen impinguat, mentemq. totam submittit. Vnde sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium dixit sapientissimus Iob. Quod & meri naturales intellexerunt. Nam Plato escam malorum appellat voluptatem. Seneca verò: nihil esse, ait, tam mortiferum ingenijs, quàm luxuriam. Et Plutarchus, corrumpunt, ait, blandæ voluptates omne robur animi, indolemq. virtutis, ingenium labefactant, consilium eripiunt. Sicut è contra, labor & assidua exercitatio in hîs, qui aduersa fortuna, ærumnis, & calamitatibus iactantur, mentem acuit, lumenq. ingerit; nam corpus pariter, & imaginationem exagitando, cerebrum à superfluitatibus purgat, sensum nouarum rerum imaginibus fœcundat, memoriam firmat, ampilioremque reddit capacitatem, & habilitatem ad operandum. Id quod in sacris paginis Isaias expressit, cum dixit: Vexatio dat intellectũ. Ex quo fortasse sumpsit illud Nazianzenus: Ingeniosus, & industrius esse solet quisquis diuexatur. Quamuis nonnunquam seruitute, aut legum multitudine animi pressi, & Hippocrates animaduertit, sæpe

Cap. 12. In Timæo circa medium. In proœm. lib. 1. controuers. In vita Annibal.

Cap. 28. Orat. in Laud. Cypriani. Lib. de aere, locis, & aquis c. 3

ſæpe robur, ac ſolertiam perdere, timoremq. potius, ac ſocordiam ſibi comparare conſueuerunt. Quod quidem Græcia vniuerſa inter prouincias, ingeniorum bonarumque artium, ac ſcientiarum inclyta mater, propria iactura comprobat manifeſtè: Nam cum iampridem orbem vniuerſum armis, ac litteris decoraret, nunc miſerabili Turcarum ſeruitute depreſſa, nec talia, vt olim, ingenia profert, nec genita nutrit. Secus ac aliæ Prouinciæ, vbi homines ſuo iure viuentes, ac litteras, armaq. profitentes, magnum cum honoribus cognitionis, ac ſolertiæ incrementum reportant.

Denique idem plena inductione diſcurrendo per ſingulos hominum ſtatus ſufficientiſſimè comprobatur, cum nemo ſit, qui ignoret, quàm egregium ac prudens ingenium ſibi tot Regum, ac Principum comparauerit multitudo, ſolo gubernandi vſu, & exercitio, rerumque maximarum experientia: Nec latet quemquam, quàm citò multorum ſapientiam, eminentemque prudentiam aduerſa fortuna deiecerit. Et vt paucis multa complectar, ſatis nota ſunt omnibus, Ducum in bello ſolertia, animiq. dexteritas ex muneris continuata exercitatione adepta: Procerum, ac nobilium humanitas, mugnitudoq. ánimi ex eorundem apta educatione cum ſanguine, naturali quodam iure, ac fœdere orta: Doctorum, & Philoſophorum perſpicacitas, ac ratiocinandi proprietas ex maturitate cognitionis proueniens: Pauperum, mercatorumq. induſtria, neceſſitatem, vel cupiditatem, vt plurimum conſequens: Patrumfamilias vigilans prouidentia; & aliæ aliorum ingeniorum proprietates, ac præſtantiæ ratione ſtatus, fortunæ, aut conditionis frequentius ortæ.

TRACTATIO SEPTIMA

De effectibus habitus, & operationes sensus interioris consequentibus.



ANDEM post'explicationem passionum, habituumq. huius potentiæ, cum de operationibus eiusdem in principio determinatum fuerit, vt eam per actus, & obiecta iuxta doctrinam Aristotelis specificaremus: nunc de effectibus agendum superest, qui ex ipsis passionibus, & operationibus in animalibus oriuntur, vt omnis de natura intimi sensus tam quoad essentialem, quàm quoad accidentalem constitutionem tractatio absoluatur.

De motione appetitus sensitiui. Cap. I.



ENSVM interiorem suis sensationibus appetitum sensitiuum mouere, atque assidua, & vniformi obiectorum propositione ex habitu in ipso sensu existente, habitualiter etiam appetitum ad illa perferri, nulli vnquam dubium fuit, aut certè esse potest cum aliquo fundamento. Etenim vt ait Aristoteles, loquendo de motu animalium in opusculo, quod de eo inscripsit: Instrumentarias partes, passiones aptè parant: appetitus autem passiones: appetitum autem imaginatio: hæc autem fit, aut per intellectionem, aut per sensum. Quare in fine capitis præcedentis dixerat, ad motum, & operationem animalia impelli, existente vltima quidem causa ipsius moueri appetitu: hoc autem facto, aut per sensum, aut per imaginationem, & intellectionem.

De motu animal. cap. 5.

Iuxta quæ S. Thomas docet appetitum sensitiuum in alijs quidem animalibus natum esse moueri ab extimatiua virtute

1. p. q. 81. art. 3.

virtute, loco autem æstimatiuæ virtutis esse in homine vim cogitatiuam. Et in responsione ad secundum rursus ait. Natus est enim moueri appetitus sensitiuus non solum ab æstimatiua in alijs animalibus, & cogitatiua in homine: sed etiam ab imaginatiua, & sensu. Et docet, quod sicut ex iudicio rationis voluntas mouetur ad aliquid secundum rationem, ita etiam ex appræhensione sensus, appetitus sensitiuus in aliquid inclinatur. *1.2.q.75.ar.2.*

Causa verò cur huiusmodi appetitus moueatur ab appræhensione sensus, explicari potest ex doctrina eiusdem Diui Thomæ. Nam hoc differt appetitus elicitus, nempe sensitiuus, aut rationalis, qui dicitur voluntas, ab appetitu naturali; quòd appetitus naturalis semper tendit, & inclinatur in bonum reale, seu in formam realiter in natura existentem, vt appetitus materiæ in formam substantialem, aut grauis ad tendendum deorsum: appetitus verò elicitus non tendit nisi in formam, aut bonum appræhensum: nam vt inquit S. Thomas loco citato, ad hoc quod voluntas in aliquid tendat, non requiritur, quod sit bonum in rei veritate; sed quod appræhendatur sub ratione boni, & propter hoc Philosophus docet, quòd finis est bonum, vel apparens bonum. Et in opusculo de motu animalium cap. 3. loquendo de fine, seu bono, cuius gratia mouentur ipsa animalia, ait: Oportet autem ponere, & apparens bonum, boni locum habere. Cum igitur omnis apparentia boni in animalibus, constituatur in repræsentatione, & appræhensione sensus interioris operantis, siue per solam imaginationem, aut memoriam, siue etiam cum sensu aliquo exteriori; hinc fit, vt appetitus sensitiuus moueatur ab appræhensione sensus interioris, tanquam à forma, in qua proprium obiectum elucet, siue in qua constituitur, & continetur proprium bonum apparens; Atque id intelligendum est fieri, non quidem per repræsentationem bonitatis formalis, vt suo loco dictum, ac probatum est; sed per solam repræsentationem materialis obiecti, quod talis naturæ est, ac dicitur bonum. Quandoquidem imaginatio, & intellectio, rerum habent virtu- *1.2.q.8.art.1.* *2. Phys.tex.31.* *Lib.1. Tract.2. cap.4.*

De motu animal. cap. 5. tem, ait Aristoteles: Vnde sicut bonum realiter mouet, & allicit appetitum naturalem per naturalem suam entitatem, ita bonum materialiter appræhensum, seu materialis appræhensio, & repræsentatio boni, quæ fit in sensu, mouet & allicit appetitum elicitum, ac sensitiuum absque repræsentatione formalis bonitatis illius, quæ percipi non potest nisi ab intellectu.

Quando verò hæc repræsentatio fit ex habitu existente in ipso sensu, diximus appetitum etiam habitualiter moueri ad eadem obiecta. Nam frequentatis actibus cognitionis, frequentantur etiam actus ipsius appetitus, qui cum vniformiter tendant ad eadem obiecta, habitum etiam gignunt in ipsa potentia appetente, quæ deinceps facilius, ac promptius nouos alios elicit actus, & appetitiones circa illa. Vnde multi habitus ab Aristotele ponuntur in potentia appetente consequentes habitus, qui sunt in potentia cognoscente; vt sunt habitus virtutum moralium, qui consequuntur habitum prudentiæ; adeo vt veteres Philosophi cum Socrate, omnes virtutes morales, prudentias esse dicerent, eo quòd non sine prudentia esse possent, vt explicat *6. Ethic. c. 13.* Aristoteles, qui per virtutes morales intelligit habitus, qui sunt in potentia appetente, vt patet ex lib. 1. Ethicorum cap. 13. in fine, & in princ. lib. 2.

Quo autem pacto fiat huiusmodi motio appetitus actiuè loquendo ex parte sensus, aut sensationis interioris, difficilius explicatur. Nam, quod agit in aliud aut mouet, per productionem alicuius formæ in illo, & non aliter agit, ac mouet; sensus autem internus nullam formam potest producere, aut imprimere in appetitum sensitiuum, sicut nec alia potentia cognoscitiua in appetentem. Nam hoc ipso, quòd potentia cognoscitiua est, non potest agere, nisi per actionem immanentem, quæ essentialiter est qualitas, & dicitur actio grammaticalis, per quam nihil distinctum producitur, ac multò minus in alienum subiectum.

Quapropter plures Doctores arbitrati sunt, potentiam cognoscitiuam per suammet cognitionem concurrere ad

motus

motus potentiæ appetitiuæ, ita vt appetitus elicitus procedat immediatè tàm à potentia appetente, quàm à cognitione, qua fertur in obiectum concupitum. Quam sententiam probant primò ex Aug. lib. 15. de Trinit. c. 13. circa princip. vbi afferit, Trinitatem in nobis esse, ex qua æterna illa Trinitas aliquatenus dignosci potest. Nam sicut in nobis est amor de notitia procedens, ita in illa sanctus Spiritus, qui amor est Patris, & Filij, ab vtroque procedit. Vbi sanctus Augustinus videtur supponere processionem amoris de notitia, esse in genere causæ efficientis, alioquin non teneret similitudo. Siquidem Verbum diuinum non concurrit ad productionem Spiritus sancti tanquam principium conditionale, neque tanquam principium materiale, aut formale; sed tanquam verum, ac proprium principium veluti effectiuum sicut concurrit Pater. Idemque videtur asserere sanctus Thomas quæst. 10. de verit. art. 7. in corp. cum ait: Mens cognoscens se ipsam, Verbum sui gignit, & ex vtroque procedit amor. Et consequenter ad hæc S. Augustinus tom. 4. quæst. 2. ad Simplic. parum ante medium, ait quod vocatio effectrix est bonæ voluntatis. Per vocationē autem intelligit sanctam cogitationem, de qua ipse sæpius disserit.

Deinde probant ratione; nam quotiescumque in effectu adest aliqua ratio formalis, quæ non correspondet principio, seu causæ ipsius effectus, signum est, ipsum principium non esse causam adæquatam illius, sed aliam cum illo causam concurrere ad productionem ipsius effectus, cui talis ratio respondeat; Vt patere potest in actibus supernaturalibus, in quibus supernaturalitas correspondet principio supernaturali, & non potentiæ, quæ eleuatur per principium illud supernaturale; & in actibus cognitionis, in quibus formalitas repræsentationis, ac similitudinis obiecti, non correspondet potentiæ cognoscitiuæ, sed speciei in illa impressæ; sicque in alijs, & alijs. Sed in actu appetitus sensitiui reperitur specificatio, qua constituitur appetitio talis, & non alterius obiecti, quæ ratio correspondere non potest soli potentiæ appetitiuæ, quæ de se non est determinata ad talem

lem speciem actus, seu ad tendendum in hoc, aut in illud obiectum; Ergo aliqua alia concausa dari debet ad constituendum integrum principium talis appetitionis: hæc autem esse debet cognitio, qua determinatur actus appetitus ad hoc potius, quàm ad aliud obiectum. Idem confirmatur, quia appræhensio specificat appetitionem; sed non specificat, vt terminus, quia appetitio terminatur ab obiectum; Ergo specificat effectiuè, vt patet in omnibus actionibus, quæ specificantur vel à termino, vel ab agente.

Sed hæc sententia meritò impugnatur. Nam testimonium Augustini, vbi loquitur de similitudine Trinitatis nostræ cum æterna illa Dei Trinitate, verificari non potest de processione amoris à Verbo tanquam ab intellectione. Siquidem Spiritus sanctus, qui est amor in diuinis procedens à Patre, & à Verbo, non procedit à Verbo, vt ab intellectione, sed tanquam à voluntate, quæ etiam reperitur in Verbo, ipsamque habet à Patre. Quare cum ait, in nobis amorem procedere de notitia, non intelligit tanquam à causa efficiente, ac specificatiua, sed tanquam à necessario coniuncto cum voluntate, à qua proprie amor effectiuè procedit: nam voluntas amorem efficere nequit absque actuali notitia, seu cognitione rei amatæ. Eodemque pacto intelligendus est S. Thomas loco citato de verit. Quando verò D. Augustinus ait, vocationem esse effectricem bonæ voluntatis, intelligendus est moraliter, non autem physice: eo pacto, quo nonnunquam homo dicitur comburere aliquid, aut refrigerare, per applicationem scilicet ignis, aut aquæ.

Argumentum deinde, quod affertur, non subsistit in minori propositione, vbi falsò assignatur ratio illa specificationis in appetitione, quæ correspondeat cognitioni tanquam concausæ; non autem potentiæ appetitiuæ. Siquidem actus cuiuscumque potentiæ specificantur per obiecta, vt docet Aristoteles; potentiæ verò specificantur per actus; vnde sicut cognitio specificatur per obiectum cognitum, ita etiam appetitio per obiectum volitum. Quod si cognitio

2. de anima tex. 33.

sit re-

sit repræsentatio, ac veluti approximatio obiecti voliti, hoc non arguit specificationem ex parte ipsius cognitionis; sicut præsentatio, aut approximatio, siue etiam præsentia formæ, non specificat effectum formalem illius, sed solum est conditio necessaria ad talem effectum. Si verò dicatur, cognitionem se tenere ex parte obiecti, tanquam illud continentem in se ipsa repræsentatum: (siquidem contingit quandoque à parte rei non esse obiectum, sed tantùm expressionem illius in cognitione) sic tantum arguitur, cognitionem concurrere ad appetitionem in genere causæ formalis extrinsecæ, quatenus terminat ipsam appetitionem, ac si esset obiectum. Vnde ex hoc non rectè infertur concursus in genere causæ efficientis respectu eiusdem appetitionis. Ex quibus patet solutio ad confirmationem, quæ falsò assumit specificationem appetitionis sumi debere ex cognitione, multoque minus concluditur procedere ab illa tanquam ab agente.

Dicendum igitur est, sensationem internam concurrere ad motus appetitus sensitiui, non quidem per peculiarem influxum in genere causæ efficientis, sed tanquam conditionem necessario requisitam.

Prior conclusionis pars probatur primò ex D. Thoma, qui cum 1. par. q. 82. art. 4. tum quæst. 22. de verit. ait, mouere per modum agentis esse voluntatis, & non intellectus: eadem autem ratio est de sensu interno respectu appetitus sensitiui, quæ est de intellectu respectu voluntatis.

Secundo probatur ratione, quia si cognitio efficienter concurreret ad actus appetitus; vel concurreret tanquam ratio agendi intrinseca, vel tanquam conprincipium omnino distinctum: at neutro modo potest concurrere; siquidem actus vnius potentiæ non potest esse ratio agendi alterius potentiæ distinctæ, multoque minus loquendo de actibus immanentibus potentiarum, quæ in distinctis, ac distantibus subiectis, & organis reperiuntur; cum ratio agendi simul esse debeat, ac intrinsecè inhærere subiecto illius potentiæ, cuius est ratio ad agendum. Nec potest concurrere

tanquam

tanquam conprincipium omnino distinctum, quia vel immediatè actus cognitionis attingeret actum appetitionis, vel mediante alia actione, seu via interiecta: sed primum dici non potest, quia cognitio tanquam actus immanens cum recipiatur in potentia cognoscente, quæ residet in cerebro, non potest migrare in alienum subiectum, vt est cor, vbi exercetur appetitio: secundum verò repugnat, quia non datur actio actionis, nec verbum mentis, seu imago expressa potest esse elicitiua alicuius vlterioris actus; tum quia esset vitalis, & non à potentia vitali: tum etiam nam talis imago ab omnibus ponitur in specie dispositionis non operatiuæ sub generalissimo qualitatis, vt pulchritudo, & similia. Imò per hoc distinguitur species expressa ab impressa; nam est instrumentaliter operatiua, & ideo ponitur sub genere habitus: illa verò, quia non est operatiua ponitur sub specie dispositionis propriè dictæ. Quod si habitus producantur ex actibus cognoscitiuis, non est nisi per simplicem resultantiam in eodem subiecto, in quo exercentur cognitiones.

Posterior verò pars conclusionis sequitur ex præcedenti; nam si cognitio ex vno capite necessariò prærequiritur ad actum appetitionis; ex alio verò non prærequiritur, vt causa partialis efficiens, vt vidimus, neque vt causa materialis, cum non sit subiectum illius, neque formalis intrinseca, cum non informet; solum remanet, vt prærequiratur tanquam conditio essentialiter necessaria ad productionem talis actus: vt ad eliciendam visionem, necessariò requiritur illuminatio colorum, ac perspicui intermedij. Nisi fortè dicamus prærequiri tanquam causam finalem, quæ allicit ad amorem, aut odium, eo modo, quo mouet ipsum obiectum, quod in cognitione repræsentatur, vt docet sanctus Thomas. Aut certè dicamus concurrere tanquam causam formalem extrinsecam, prout est conditio, qua obiectum terminat appetitionem in genere causæ formalis extrinsecæ, quod parum refert.

1.p.q.82.art.4.

Cæterum adhuc explicandum superest, quomodo posita

hujusmodi

huiusmodi conditione cognitionis in sensu, statim appetitus in obiectum feratur; cum sensus in cerebro, appetitus verò in corde locetur, nullaque inter ipsos efficientia intercedat, qua excitetur, aut impellatur appetitus, vel cognitio illum ad operandum lacesset.

Verum id facilè intelligitur procedere per solam radicationem, quam vtraque potentia habet in anima. Sufficit enim, vt potentia cognoscitiua, & appetitiua in eadem anima radicentur, eiusdemq. suppositi sint facultates subordinatæ, ad hoc vt ad motionem vnius, moueatur altera: vt commune est omnibus instrumentis subordinatis tam naturalibus, quàm artificialibus; licet ad inuicem non intercedat immediatus contactus, aut impulsus; quia scilicet satis est vniri vtriusque virtutem in causa principali, à qua ipsa instrumenta tanquam à principio communi dependent.

Dici etiam potest, quod sicut in rigore loquendo cum Aristotele, non sensus, nec appetitus, sed animal, vel suppositum sua facultate sensitiua sentit, & appetitiua appetit: *Lib. 1. de animæ tex. 63.* ita etiam non appetitus, sed animal, vel suppositum ad appræhensionem sensus mouetur ad prosequutionem, vel fugam obiecti ipso appetitu sensitiuo elicitam, siue eodem, siue diuersis organis vtatur ad exercitium harum potentiarum.

De directione potentiæ motiuæ. Cap. II.



X potissimis rationibus, quibus sensum interiorem in animalibus à natura constitutum fuisse comperimus, vna est, vt lib. 1. explicuimus, *Tract. 1. cap. 3.* Necessitas, quæ de illius directione habetur ad regimen, & gubernationem totius vitæ animalis; præsertim in motionibus voluntarijs, quibus vel totum ipsum animal mouetur de loco ad locum ad quærendum bonum, quod abest, aut subterfugiendum malum, quod imminet: vel saltem ad id instrumentalia tantum adhibet membra, vt ad sumendum cibum, & alias commoditates;

tates; aut ad vitanda contraria. Quandoquidem id præstare nequaquam posset absque sensitiua, & integra cognitione obiectorum, ac mediorum, quibus ad illa moueretur, aut ab illis auerteretur, vt ibi probatum est. Vnde Aristoteles 3. de anima postquam tex. 55. intelligendo de potentia motrice, quæ est in musculis, dixisset; Mouens instrumentaliter vbi principium, & finis, idem, vt commissura ossium: statim sequenti textu addit: Omnino igitur, sicut dictum est, in quantùm animal appetitiuum est, sic sui ipsius motiuum est; appetitiuum autem non sine imaginatione. Dixerat autem tex. 48. & 49. duo esse mouentia, scilicet principalia in animalibus, appetitum, & imaginationem, siue intellectum in hominibus. Quare in libello de motu animalium cap. 4. explicans principia, quibus animalia ad motum, & operationem impellantur, ait: Bibendum mihi concupiscentia dicit; hoc autem esse potabile sensus dixit, aut imaginatio, aut intellectus: mox bibit. Itaque huiuscemodi motus est ab appetitu tanquam per concupiscentiam imperante; à sensu, vel intellectu, tanquam per cognitionem dirigente; & à potentia motiua tanquam per instrumenta materialia immediatè, & vltimo exequente. In quo cum Aristotele loco citato conueniunt omnes Philosophi.

Explicandum tamen est, vtrum in singulis motionibus arbitrarijs, an in quibusdam tantummodo requiratur, & concurrat directio sensus. Videntur enim plures motiones locales ab animalibus exerceri absque aduertentia, seu cognitione, tam in vigilia, quam in somno: vt extensiones quædam membrorum, spontaneæ lassitudines, ac somnambulorum opera quamplura, de quibus hactenus dictum est. Insuper ad motus quosdam artificiosos, qui ex habitu ab hominibus exercentur, vt ad saltandum, pulsandam citharam, fidibus canendum, & similia, sufficere videtur quicumque habitus in ipsa potentia motiua impressus, absque actuali cognitione sensus, aut intellectus dirigentis; nam sæpe homines id agentes, aliud cogitant, nec animaduertunt.

Verum iuxta communem philosophantium, magisque receptam

receptam opinionem, dicendum est, omnes, ac singulas motiones voluntarias, seu spontaneas indigere actuali sensus directione. Quod facile ex eo potest constare; nam semper eadem militat necessitas naturalis, qua nec appetitus imperare, aut impellere, nec facultas executiua motus potest perficere, nisi præexistente cognitione, qua & cupiditas ad determinata obiecta rapitur, & potentia motiua diuersimodè inflectitur, ac dirigitur in suis operationibus. Quare licet nonnulli membrorum motus voluntarij absque libero influxu voluntatis, aut perfecta cognitione præexistente elici videantur, tam in vigilia, quàm in somnis; nunquam tamen deficit obscurum saltem, & imperfectum iudicium; sicut nec aliquale imperium, aut propensio appetitus ad cuius nutum tales motus eliciuntur à potentia executiua: vt patere potest in dormientibus, omnibusq. mente alienatis. Alioqui non essent motus voluntarij, seu arbitrarij, qui hoc solum distinguuntur à motibus naturalibus, vt pulsationes cordis, & arteriarum, oscitationes, ac risus; quòd hi absque voluntate, & cognitione, vel etiam reluctante quocumque imperio appetitus: illi verò non nisi eo imperante cum cognitione exequi valent, quamuis imperium non semper cum libertate exerceatur, vt cum non præit perfecta cognitio.

Nec motus artificiosi, vt pulsatio citharæ, motus penicilli, aut saltatio exercentur absque actuali cognitione, qua tales motus artificiosè dirigantur; Nam habitus, & artes, quæ ad tales motus inclinant, & virtute quarum ipsi motus exercentur, non sunt in potentia motiua digitorum, tibiarum, aliorumq. membrorum, vt videtur asseruisse Scotus, & Ocham; sed sunt in ipsa potentia directiua, quæ immediatè est sensus interior, mediatè verò potentia intellectiua. Siquidem potentia motiua non habet actiuam indifferentiam ad motus, quos potest elicere: sed quasi passiuam tantum, quatenus tanquam instrumentum actiuum variè, ac diuersis modis applicari potest à superiori potentia rectrice, seu ab imperantibus, ac dirigentibus, quibus despoticè obtem-

Scotus in 3. dist. 33. q. 1. §. ad primum in solut. 3.

Ocham in 3. q. 10. & 11. & quodlib. 2. q. 10.

obtemperant in suis operationibus: habitus verò non recipiuntur nisi in potentia, quæ actiuam habet indifferentiam, vt ex se, hoc vel illo modo operetur cum promptitudine ac facilitate. Vnde D. Thomas ait, in membris corporis non esse habitus, sed magis in viribus imperantibus motum ipsorum. Dixit autem in membris propter potentiam executiuam, quæ est in illis; alioqui certum erat in membris materialiter sumptis esse non posse habitus, qui tantum ponuntur in potentijs, quarum propriæ sunt dispositiones ad operandum; licet in externis membris alia quædam dispositio concedenda sit, vsu & exercitatione acquisita, quæ in laxatione quadam, vel contractione neruorum, ac musculorum, aut in attenuatione humorum, & remotione impedimenti constituitur. Quia negari non potest exercitatione, & consuetudine promptiora,& habiliora ipsa quoque membra quotidie reddi, vt cytharedorum, ac saltantium præter artem acquisitam in potentia dirigente; nam ars absque exercitatione non sufficit ad promptitudinem actionis, ac motus membrorum.

1.2. q.50.ar.3. ad 3.

Cæterum quo pacto huiusmodi directio potentiæ motiuæ ab interiori sensu procedat, cum nullus intercedat proprius influxus inter vtramque potentiam, difficile videtur omnino posse explicari. Nihilominus ab Aristotele magna ex parte declaratur, saltem quantum attinet ad motus naturaliter voluntarios, qui eliciuntur absque libertate, & reperiuntur etiam in brutis. Supponit namque primò in animali posse idem instrumentum, & maius, & minus fieri, & figuram eius permutari cum augentur particulæ propter caliditatem, & rursus contrahuntur propter frigiditatem. Deinde supponit instrumenta animalia, in quibus imaginationes, & appetitiones exercentur alterari his primis qualitatibus per imaginationem, aut intellectionem. Aliquo enim modo (inquit) forma intellecta calidi, aut frigidi, aut iucundi, aut terribilis; talis quidem est, qualis quidem & rerum vnaquæque: quapropter & horrent, & timent intelligentes solum.

Cap. 5. de motu animal.

Ex his

Ex his igitur fieri docet, vt dum instrumenta huiusmodi alterantur in corpore, hæc quidem maiora, illa autem minora fiant. Cumque parua permutatio, quæ fit in principio, magnas, & multas faciat differentias procul; non secus ac cum temone paululum quid transposito, multa proræ fit transpositio: hinc esse, vt iuxta alterationem factam per sensum, aut per imaginationem, aliæ quoque partes animalis moueantur secundum locum ad prosecutionem, vel fugam. Quod tandem confirmat ex passionibus audaciæ, timoris, spei, concubitus, ac memoriæ circa molesta, aut iucunda: quorum imagines, ac simulacra ferè omnia, caliditas aliqua, aut frigiditas, vel alia ex his orta qualitas comitatur. Quare concludit, rationabiliter constructa sunt, quæ intus, & quæ circa principia instrumentalium partium, vt prædicto modo permutent; licet valde lateat in paruis hoc eueniens. Et quia simul sunt actiua, & passiua; simul vt ita dicam, intelligit quòd ambulandum, & ambulat, nisi quid aliud impediat. Hæc sunt quasi ad verbum ex Aristotele desumpta, quæ vt diximus in solis motibus voluntarijs, qui naturaliter eliciuntur, locum habent. Nam de motibus voluntarijs liberis, vt artificialibus, & alijs, non possunt procedere: Quandoquidem voluntas libera non modo potest membra absque alteratione facta per sensum mouere; sed etiam contra impulsum, ac motionem ipsam sensitiuam; cum facultates omnes executiuæ despoticè obediant voluntati. Vnde ad motus artificiales, & alios, qui ab alteratione sensus nullo modo dependent, alia assignanda est via, qua ab intellectu, & imaginatione dirigantur.

Notandum igitur est, diuersitatem motionis voluntariæ, ad quam ordinatur directio cognitionis, totam ex eo immediatè procedere, quòd virtus motiua, quæ à cerebro per vniuersum corporis habitum diffunditur, modò in vna, modò in diuersa, ac determinata tantum parte, seu instrumento applicetur; ac versus determinatam quandam positionem iuxta situm, quò motus tendere debet

 dictante

dictante cognitione. Insuper quod diuersa quasi mensura impulsus vnicuique, prout opus fuerit, voluntas, seu appetitus impertiatur, ac tantum pro tempore, quo simul concurrerit, continuatè, aut discontinuatè. Cum enim virtus motiua pro arbitrio vna cum sensu à cerebro per neruos, ac musculos in tot corporis membra distribuatur; non aliunde prouenit, vt vnum membrum quiescentibus alijs, moueatur, nisi quòd sola virtus ibi residens applicetur per actuale imperium voluntatis; nec ex alio motus dextrorsum potius tendit, verbi gratia, quàm sinistrorsum, nisi quod in parte illuc versus spectante motrix potentia adhibeatur. Similiter, nec lentè, aut enixè, tardè, aut velociter, continuè, aut interpositè pars aliqua in animali pro arbitrio mouetur; nisi quia magis, aut minus, efficacius, aut remissius, assiduè, vel interpositè eadem potestas ad motum exequendum ab imperante applicatur. Vbi valde notanda est diuersitas non modo totalium instrumentorum, sed & particularum, quæ sicut ex tam varijs neruis, & arterijs, tendonibus, ac ligamentis, & musculis ex illis conflatis constituuntur; ita per variam virtutem in illis insidentem variè possunt moueri ad nutum appetitus, ac voluntatis.

His autem ita constitutis, in suscepta quæstione dicimus, directionem cognitionis respectu potentiæ motiuæ consistere in hoc, quod est esse causam varietatis ipsarum arbitrariarum motionum mediante appetitu, aut voluntate, quæ quidem sicut semper operatur ductu cognitionis, ita non applicat potentiam motiuam, nisi secundum illam partem, & modum, quo imaginatio, vel intellectus iudicauerit expedire. Ac propterea dicitur ab Aristotele, motum voluntarium separari non posse à cognitione; & sensum ab eadem parte esse animalibus, à qua motus; quia scilicet sicut non datur motus voluntarius sine voluntate, seu appetitu; ita non datur appetitus sine cognitione. Vnde rectè concludit Aristoteles, capite illo quinto de motu animalium sæpè citato, nempe instrumentarias

rias partes (scilicet cum potentia motrici) à passionibus parari, seu impelli; passiones autem procedere tanquam actus ab appetitu; appetitum verò moueri ab imaginatione.

De Variatione Fœtus. Cap. III.

PARENTVM validam, ac firmam imaginationem circa rem aliquam inter concipiendum oculis obiectam, eiusdem rei similitudinem quoad colorem, & figuram in fœtum inducere, quamuis extraneam, ac peregrinam; exploratum semper fuit omnibus Philosophis, ipsaque quotidiana experientia comprobatur. Proindeque Empedocles, referente Plutarcho de placitis Philosophorum: Visu, inquit, sub conceptum, infantem formari. Et Plato lib. 7. de legibus præcepit, sponsum, & sponsam in concubitu inuicem se attendere, vt eorum similitudo in filijs elucesceret, ne illi viderentur degenerasse. Aristoteles autem quærens, cur proles cæterorum animantium magis quàm hominis suis parentibus similem gerat naturam, ait, quòd homo vago, varioque plurimum animo in coitu est: prout autem pater, materque in conceptu affecti fuerint, ita partus euariant: Vbi Aristoteles non negat cæteris quoque animantibus nonnunquam idipsum contingere: sed tantum supponit hominibus id magis competere, ac frequentius accidere. Nam sicut Hippocrates lib. 2. cap. 19. ita Portus Paræus lib. 24. cap. 7. narrat, Principem quandam mulierem albam ex marito pariter albo, prolem æthiopis instar nigram suscepisse, quòd concubens, Aethiopis imaginem depictam oculis fortiter, & assiduè obseruantem animo compræhendisset. E è contra Heliodorus in principio suæ Aethiopicæ historiæ refert, Persinam Aethiopiæ Reginam ex Hydaspe marito pariter Aethiope, filiam Chareclæam albam genuisse,

10. sect. probl. q. 12.

nuisse, quòd sub meridiem æstiuo tempore concipiendo in oppositam pulchræ Andromalæ imaginem fixis oculis intentoque animo se conuertisset. Et Galenus lib. de Theriaca ad Pisonem, ait mulierem intuitu pulcherrimæ picturæ pulcherrimum infantem ex deformi parente concepisse: aliaque similia, & innumera exempla ex varijs Auctoribus possent afferri. Quod autem in cæteris quoque animantibus idipsum verificetur, patet primo: Ex sacra Historia vbi legimus, quòd cùm Iacob accepturus esset in mercedem à Laban fœtus varie catos, decorticatas virgas gregi proponebat, vt tales fœtus nascerentur. Deinde ex Diuo Augustino, qui lib. 18. de Ciuitate Dei. capit. 5. asserit, bouem Aegyptium, qui Apis dicitur, maculis albis fieri ob imaginem ei oblatam. Et quotidie experimur, albos pauones nasci ex parentibus non albis in dealbatis vndique domicilijs coeuntibus: equosque, & canes versicolores, ac maculoso tegmine vt guttatos, ac scutulatos, iuxta colores, ac figuras, quas ante oculos parentum in eodem actu conceptionis homines de industria ponunt.

Genes. cap. 30.

Verum quo pacto color, aut figura oculis exposita, & imaginatione concepta, similem figuram, aut colorem, valeat in prolem concipientis inducere, difficile admodum est explicatu, variasque proinde in sententias traxit Auctores.

Nonnulli enim opinantur, imaginationem formæ conceptæ per se posse qualitatem aliquam producere, & colorem, figuramque fœtus determinare. Idque probant primo auctoritate Diui Augustini 11. de Trinit. cap. 2. vbi sic ait. Voluntas circa imaginem sensui impressam, tantam vim habet, vt si admodum violenta sit, vbi non resistit durior, pigriorque materies, visibilem speciem, coloremque commutet. Quare idem Augustinus lib. 3. cap. 7. eiusdem operis, exponens quomodo oues Iacob ex contuitu virgarum, quibus cortices ademptæ fuerant, versicolores fœtus parerent, dixerat; Vt de varietate virgarum, pecorum

pecorum conceptorum color aliquid duceret, fecit hoc anima grauidæ pecudis per oculos affecta forinſecus, & interius ſecum pro modulo ſuo formandi regulam trahens. Hoc autem ſic fieri illi explicant, vt imago impreſſa in ſpiritibus cerebri, ac per ipſos ſpiritus ad conceptionis locum perlata, vim formatricem ſemini inhærentem, ita modificet, vt talem, ac ſimilem figuram in fœtu proferat, qualem illa imago repræſentat. Deinde probant; nam ſicut ſubſtantia interuentu accidentis ſubſtantiam gignit, ita anima per intentionale, & adumbratum eſſe rei, quale eſt ſpeciei impreſſæ quandoque in ſubiecto apto, vt eſt materia fœtus, poteſt verum, ac perfectum eſſe producere, nempe coloris, atque figuræ.

Contra tamen eſt, quia ſpecies intentionales, nec diffunduntur per totum corpus cum ſpiritibus, nec poſſent agere in ſemen tanquam inſtrumentum animæ immutando, ac determinando virtutem formatricem illius. Nam totum eſſe totaq. efficientia ſpeciei conſiſtit in repræſentatione; nimirum ſi ſit ſpecies expreſſa in repræſentatione formali, quæ extra cerebrum non exercetur; ſi verò impreſſa in principio quodam repræſentationis per modum habitus complentis potentiam; ſiue autem repræſentatio formalis, ſiue principium eiuſmodi illius, non eſt effectiuum rei ſimilis obiecto repræſentato, nec tanquam cauſa principalis, nec tanquam inſtrumentum, vt ſcilicet ſpecies coloris producat colorem, quia nullam habet proportionem ad talem effectum immediatè attingendum, ſicut habent nonnulla accidentia in productione formæ ſubſtantialis, quatenus ſunt diſpoſitiones materiæ primæ, & virtutes agentis ſubſtantialis.

Idcirco S. Thomas docet, imaginationem, nullam producere qualitatem, ſed eatenus alterare, quatenus humores ſpiritus, ac ſanguinem mouet, & ex vario illorum motu variæ qualitates in corpore efficiuntur. Ex quibus reſultat ſimilitudo prolis cum obiecto repræſentato. Sed hac ratione non videtur ſatis explicari quo pacto effigies illa terminata in prole cum tali colore ex tali alteratione parentum oriatur,

3. cont. gent. c. 103. Et in quæſt. diſputatis de malo q. 4. art. 8. ad 13.

oriatur. Nam eadem alteratio, & commotio ſpiritus, ac ſanguinis, quæ tunc fit in illis, prodire poteſt ex diuerſa imaginatione alterius obiecti. Quandoquidem eodem modo afficitur animal eiusq. ſpiritus alterantur per imaginationem vnius, atque alterius obiecti æquè conuenientis, aut diſconuenientis; licet abſimilis figuræ, aut coloris. Et ſic non eſſet maior ratio, cur talis alteratio talem figuram, aut colorem potius quam alium cauſaret. Imo eſto quodlibet obiectum variam efficiat motionem, variumque proinde temperamentum reddat in ſemine: nulla tamen affertur cauſa, cur ex tali varietate, vel temperamento inducto, talis figura, taliſque color reſultare debeat in fœtu, qualis in obiecto cognito reperitur.

Quod vt commodius, & exactius explicetur, notandum in primis eſt, quod licet ſemen genitale vndique ex diuerſis partibus corporis tanquam excrementum alimenti ſanguinei, quod vltimum in membra digeritur, ſecernatur; vt conſtat ex Ariſtotele: ſedes tamen cerebri maximè omnium locorum corporis ad excißionem, & iaculationem illius concurrit propter naturam geniture, quæ ſimilis cerebro eſſe debet, vt ait idem Ariſtoteles. Quia nimirum ſpirituoſiſſimam ſubſtantiam, quam obtinet, inde ſemen participare debet, vbi ſpiritus elaborantur. Quapropter, vt alibi docet, ſpadones multum cerebri obtinent, eo quod rem veneream non agunt: Semen quippe (ait) labi per ſpinam è cerebro videtur. Quo fit, vt maxima communicatio, & conſenſus inter cerebrum, ac teſtes; imo & vaſa ſpermatica intercedat; quæ propterea qualibet cogitatione venerea facillimè alterantur, titillationemque pariunt pudendorum. Et vt notat Ariſtoteles, hinc etiam fit, vt immodico vſu rei venereæ oculi apertè langueant, & ſubſedeant, eorumque ſedes manifeſtè immutetur: quòd ſcilicet ſpiritus conſuetos à cerebro participare nequeant, quos magna ex parte animal conſumpſit in coitu.

2. de gener. animal. c. 2. & 19.

Lib. 2. eiuſd. operis cap. 5.

Sect. 10. probl. q. 50.

Lib. 2. de gener. animal. cap. 5.

Deinde notandum eſt ex eodem Ariſtotele de motu animalium imaginationem, & intellectionem rerum habere virtutem;

Cap. 5.

virtutem; nam aliquo modo, inquit, forma intellecta calidi, aut frigidi, talis quidem est, qualis rerum vnaquæque; nempe quoad effectum, quem producit æquiuocè per caliditatem, aut frigiditatem, quam excitat. Quod inferius quasi declarans ait: Ex necessitate autem consequuntur intellectionem, & imaginationem caliditas, & frigiditas: hoc autem (subiungit) palam ex passionibus; audaciæ enim, & timores, & concubitus, & alia corporalia, molesta, & iucunda; hæc quidem secundum partem cum caliditate, aut frigiditate sunt; illa verò in vniuerso corpore. Itaque iuxta doctrinam Aristotelis, ac rei veritatem in quacumque imaginatione, præsertim vehementi, & cum aliqua passione; semper fit alteratio primarum qualitatum in organo, ac instrumentis ei subordinatis, vt sunt spiritus animales, qui tanquam subtilissimæ substantiæ, facillimè, ac citissimè alliciuntur, & permutantur.

Demum adnotare oportet, spiritus animales, qui in semine prolifico continentur, esse proprium, & immediatum subiectum virtutis formatricis, quæ in ipso semine operatur; eosq. multiplicari posse vsque ad effusionem, & eiectionem illius, per consensum, & communicationem aliarum partium in calore coitus, vt notant nonnulli Auctores.

His ergo positis in re tam ardua ac perobscura, principijs iam traditis inhærendo ex doctrina D. Thomæ, Dicendum videtur, ex vehementi imaginatione inter concipiendum cum spiritus omnes animales viuidiores, ac promptiores existant per consensum illius voluptatis, quam omnia ferè membra participant; magnam fieri primarum qualitatum alterationem in ipsis spiritibus, alijsq. partibus instrumentarijs cerebri, & consequenter in magna ferè parte sanguinis animalis, quem ad cor, & alias partes animalis scimus confugere etiam extra talem actum per solam imaginationem obiecti terribilis, aut valde dilecti, ac diu concupiti. Cumque sanguis vniuersus, ac præsertim arterialis, & qui per neruos defertur, diciturq. spiritus animalis, maximè concurrat ad seminis conflationem, & iaculatio-

nem, tanquam ad compositum ex eorum redundantijs, excrementitijsq. partibus, quæ supererant ex vtili alimento; hinc fit, vt tale, ipsum semen in expulsione sortiatur temperamentum, quale spiritus, ac sanguis tunc immediatè adeptus fuerat ex alteratione facta per vehementem imaginationem. Quoniam verò virtus formatiua semper consequitur temperamentum, ac secundæ omnes qualitates, vt color, & figura nascuntur ex primis; ex hoc vlterius fit, vt talis prodeat efformatio prolis, qualem temperamentum illud requirit, quod non nisi similem effigiem, & colorem potest exigere cum re, cuius imaginatio fuit principium motus: sicut ipsum temperamentum seminis tunc adeptum, simile est temperamento rei per vehementem illam imaginationem appræhensæ in articulo generationis. Quandoquidem proportionari debet cum temperamento spirituum, & hoc cum illo, quod est rei excogitatæ; quia scilicet talis est naturalis connexio inter primas, & secundas qualitates, vt ad vehementissimam imaginationem, verbi gratia, talis coloris, & figuræ, non aliæ quidem primæ qualitates in organo excitentur, nisi quales congruunt cum illo colore, & figura, & ex quibus nascitur talis color, & figura, cum cæteris concomitantibus. Et hoc est, quod notauimus ex Aristotele imaginationem, & intellectionem rerum habere virtutem, & formam intellectam, talem esse, qualis est res vnaquæque; nempe quoad effectum, quem causat in organo; nam imaginatio febris, febrem inducit. Et quoad hoc etiam potest verificari illud eiusdem Philosophi, Intelligentem fieri rem cognitam; etenim idolum intus efformando, se ipsam transformat natura cognoscentis, in quibus potest. Quod idem docet Auicenna dicens, spiritus alterari per imaginationem tanquam facilè susceptiuos, & species coloris esse vniuersaliter colore factiuas, sicut species rubedinis virtualiter rubefactiuas propter similem dispositionem, quam inducunt, ex qua nascitur talis color. Adepto igitur simili temperamento in spiritibus, hoc ipsum in semen transfunditur, & ex similitudine primarum qualitatum nascitur

Cap. vlt. de humor. fen. 1. primi doctr. 4.

scitur similitudo secundarum; & sic proles, excogitatæ rei in parentum congressu, colorem & imaginem refert.

Magis autem experitur hoc euentum per imaginationem fœminæ, quàm maris; nam mestruum, quod illa tanquam materiam præbet, facillimè afficitur alteratione spirituum, ac sanguinis, propter affinitatem, quam habent, & in maiori copia effunditur, quidquid sit de concursu seminis eiusdem fœminæ.

Atque ex ijs colligi etiam potest cur mulieres vterum gerentes, si vehementissimè aliquid cogitando cupiant, partemque sui corporis in illo articulo tangant, filios postea similem in partem maculis, varijsq. notis infectos pariant, quasi optatæ rei effigiem, aut imaginem gestantes. Quod Aristoteles obseruauit cum dixit: Esculentorum etiam, quæ mater comederit, sæpe gerulus venit in lucem. Etenim spiritus animales per illam imaginationem immutantur, similique temperamento afficiuntur, ac rei optatæ, & excogitatæ. Deinde ij quoque sanguinem mouent, eique permiscentur, similiterque afficiunt; atque simul ad vterum conuenientes, in mollissimam fœtus materiam, qui materno sanguine nutritur, idem temperamentum inducunt, ex quo talis color, & figura in illo resultat. Resultat autem in fœtu, & non in matre; nam talis alteratio vim non habet ad id præstandum in duriorem, & crassiorem substantiam, sicut in molliorem, ac tenuiorem, qualis est substantia fœtus; qui tamen vnus cum matre vtero appensus censetur mediantibus venis, & arterijs vmbilicalibus, per quas sanguine, ac spiritibus iam alteratis inficitur, dum formatur, nutritur, & crescit. Vnde Aristoteles ait, animalia vnicolora nunquam mutari, nisi rarò per affectum cum in generatione peruertuntur: facile enim (inquit) moueri, deprauariq. potest, quod paruum, tale autem, quod gignitur est.

7. de histor. animal. c. 4.

5. de gener. animal. cap. 6.

Signatur insuper fœtus in loco determinato, vbi mulier tetigit proprium corpus, dum auidè obiectum appeteret, nam pars illa mulieris tacta, & per spiritus, ac sanguinem confluentem alterata communicat parti fœtus eandem alterationem,

terationem, ac dispositionem, qua mediante, impressionem coloris, & figuræ, quam ob sui duritiem non potest recipere in ipsam similem partem fœtus analogia quadam transfundit. Siquidem pars parti communicat simili, quæ ab ipsa nascitur: Singulæ enim partes fœtus à singulis partibus parentum oriuntur, remotè scilicet, & in potentia. Vnde vt docet Aristoteles: semen manus, aut faciei, aut totius animalis, est manus indefinita, aut facies, aut animal totum indefinitum: & hinc colligit filios parentibus similes nasci; nam & cicatrices, & mutilationes, & gibositatem, & claudicationem, & similia videmus à parentibus, imo & auis, ac proauis in prolem transfundi, vt præclarè idem Philosophus prosequitur. Quod totum confirmari etiam potest ex Auicenna, qui hanc rem dissertissimè tractat. Contingit autem hoc fieri non solum ob ingentem appetitum rei non assecutæ: sed etiam nimium horrorem, & odium rei inuisæ, cum valdè illam respuit voluntas, ac fortiter, & fixè imaginatur. Nam similiter afficitur internè sanguis vi imaginatricis appetentis, ac odientis, & abhorrentis aliquam rem, vt signa illius fœtibus appareant infixa. Vnde mulierem quandam puerum ranina facie protulisse narrat Langius, eo quòd sæpe ranam, quam illi quandoque alligauerant, cum horrore intuita esset, ac postea mente reuolueret. Et aliam prægnantem audiuisse maritum in pectore fuisse vulneratum, ac postmodum similiter affecto pectusculo prolem genuisse. Et Ioannes Colle in suo eruditissimo Cosmitore narrat hac tempestate. Castroduranti accidisse, vt mulier grauida filium duorum annorum in gremio custodiens dum barbitonsor cucurbitulas scarificatas pu elli dorso affigebat; infantem in vtero hisinet incisionibus circa spatulas fuisse obsignatum, vt postea patuit, enixa parente.

1. de gener. animal. cap. 19.

7. de histor. animal. cap. 6.

Lib. 3. fen. 1. c. de vertig. et lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 2.

De

De productione specierum intelligibilium in homine. *Cap. IV.*

PRODVCTIONEM specierum intelligibilium, quibus intellectus humanus fœcundatur, & constituitur vltimò in actu primo ad intelligendum hoc, vel illud obiectum, naturaliter consequi operationem, seu actus, & cognitiones potentiæ interius sensitiuæ, quæ dicuntur phantasmata, nemo quidem rationabiliter potest negare. Etenim sicut tardioris ingenij esset, vt inquit Diuus Augustinus, de huiusmodi speciebus dubitare; ita negari non potest eas ex phantasmatibus aliquo pacto desumi: præsertim iuxta doctrinam Aristotelis, vbi ex eo colligit, quod qui non sentit aliquid, nihil vtique addiscet, nec intelliget: nam ipsa intelligibilia quantumuis abstracta, ac separata, in formis sensibilibus continentur, quas oportet intelligentem iugiter speculari. Quare phantasmata (subiungit) se habere ad intellectum sicut sensibile ad sensum. Itaque sicut ad præsentiam obiecti sensibilis consequitur emanatio ac productio specierum intentionalium, quæ recipiuntur in sensu; ita ad actualem positionem, seu existentiam sensationis internæ, quæ dicitur phantasma, consequitur productio specierum intelligibilium, quæ recipiuntur in intellectu ad fœcundationem, ac determinationem illius circa eadem, vel similia obiecta.

Lib. 11. de Trinit. cap. 2.

3. de anima textu 39.

Verùm quo pacto se habeat phantasma in huiusmodi productione, seu quo modo concurrat ad illam, non satis constat in scholis, in quibus iuxta varias doctrinas, variæ tradũtur opiniones. Nonnulli enim aiunt phantasmata tantùm concurrere per præsentiam extrinsecè, & formaliter, repræsentando obiecta, quorum species intelligibiles constituuntur similitudines impressæ, ita vt hæ totaliter, & effectiuè procedant à solo intellectu agente, præsentibus tamen,

men, & assistentibus phantasmatibus. Quæ sanè opinio non probatur, tum quia omnis repræsentatio phantasmatum est in sensu interiori, ideoque per solam præsentiam transfundi non potest in intellectum, nec produci similitudo aliqua illius absque effectiuo aliquo concursu eiusdem determinante ipsam similitudinem, quæ aliter determinari ac specificari non posset: tum etiam quia si sola præsentia phantasmatum sufficeret ad productionem speciei intelligibilis, eadem sola sufficeret ad productionem speciei expressæ, seu actus intellectionis, nulla adhibita specie impressa; imo vniuersaliter sola præsentia obiecti sufficeret ad productionem cuiuscumque cognitionis, nulla interueniente specie impressa intelligibili, aut intentionali: sed ad productionem speciei expressæ, seu actus cognitionis necessario requiritur concursus, & cooperatio speciei impressæ cum potentia, ad hoc vt actus intrinsecè determinetur, & constituatur repræsentatio talis obiecti, cuius illa est similitudo impressa: Ergo similiter ipsa similitudo impressa constitui non poterit similitudo talis sensationis, seu phantasmatis, nisi ipsum phantasma aliquo modo concurrat ad illam.

Propterea communiter, ac meritò alij putant, phantasmata effectiuè concurrere ad productionem specierum intelligibilium. Cum enim in specie intelligibili duplex reperiatur formalitas, seu ratio suæ entitatis; nempe altera immaterialitatis, altera verò similitudinis cum obiecto, ad cuius cognitionem ordinatur; licet secundum primam formalitatem species intelligibilis oriri debeat à parte spirituali, secundùm tamen posteriorem oriri non potest nisi à phantasmate, in quo obiectum ipsum elucet, & cui virtualiter debet assimilari. Et hoc profectò Aristoteles insinuat, cum ait, intellectum aliquid ab ipso intelligibile pati, & esse susceptiuum formarum. Rursumque cogitatiuæ animæ phantasmata, vt sensibilia esse, à quibus nimirum potentia cognoscitiua species desumit, ac propterea nunquam sine phantasmate animam intelligere; addens quod sicut externa sensibilia se habent ad sensum internum, immutando

3. de anima textu 3.

Textu 30.

prius medium, per emissionem scilicet specierum; vt visibile aerem, ac per aerem pupillam, deinde sensum communem, & sic reliqua sensibilia, quæ postea ab vno eodemq. sensu discernuntur interius; ita phantasmata se habere ad intellectum, ad quem tanquam ad vltimum terminum omnia referuntur. In quibus omnibus Aristoteles inuoluit ac supponit, phantasmata aliquid in intellectum operari, sicut sensibile in sensum; quod non est aliud, nisi ad formas quas ipse ait, concurrere, quasque communiter vocamus species intelligibiles.

Sed explicandum est, num phātasma in huiusmodi productione concurrat tanquam instrumentum, an vero tanquam causa partialis: quandoquidem cum ipsi in effectu producto nempe in specie intelligibili correspondeat peculiaris ratio similitudinis obiecti, quæ ratio est ei proportionata, cum ipsum quoque phantasma, seu species expressa sensus interioris sit similitudo repręsentatiua obiecti, propter hanc rationem videtur dicenda causa principalis partialis, non autem instrumentalis, nam vt sic de se est proportionata effectui, nullaq. indiget eleuatione superioris agentis. Quod vlterius potest confirmari; nam si phantasma concurreret tanquam instrumentum, species intelligibilis non attingeretur proximè à spirituali principio, quod poneretur tanquam causa principalis; essetq. contra exigentiam suæ naturæ, quæ cum spiritualis sit, ab aliquo principio spirituali immediatè debet procedere, vt patet in specie expressa, quæ postea ab intellectu immediatè producitur.

Opposita tamen sententia magis arridet, censeturq. probabilior atq ue communior; vt colligi potest ex modo loquendi Philosophorum, ac Theologorum, qui semper supponunt aliquam eleuationem in phantasmatibus concurrentibus ad huiusmodi productionem, licet præcisè ac distinctè quæstionem hanc non decernant. Probatur autem primò ex eo, nam quotiescumque causa attingit effectum se nobiliorem quoad substantiam, licet proportionetur illi secundùm aliquam rationem, semper tamen est causa instrumentalis

ſtrumentalis reſpectu illius, vt patere poteſt inductionē tam in inſtrumentis naturalibus, quā in artificialibus: nam calor ignē producens, licet proportionetur formæ ignis, prout virtualiter continet, ſimilemq. exigit calorem; nihilominus inſtrumentaliter tantum cenſetur ad illum cōcurrere, hoc ipſo quod ille tanquā ſubſtantia ſit nobilior calore, quod eſt accidens: Et in delineatione, aut ſcriptura, quamuis reperiatur tā ratio correſpondens delineatori, aut ſcriptori, vt eſt artificioſa figura, quam etiam ratio reſpondens calamo, aut penicillo, vt eſt ipſa obeſa, vel ſubtilis delineatio: omnino tamen calamus ſemper habet rationem inſtrumenti tanquam quid ignobilius figura, ac ſignificatione producta. Sic igitur eſtò in ſpecie intelligibili reperiatur peculiaris quædam ratio reſpondens phantaſmati, cuius concurſu ipſa producitur; hoc tamen non obſtat quin ſimpliciter ex ſe ſit nobilior ſpecies intelligibilis quocumque phantaſmate, proindeque hoc non niſi inſtrumentaliter concurrat ad illam.

Deinde idem probatur: nam vbi cauſæ in productione alicuius effectus neceſſariò ſunt ſubalternatæ, ita vt vna per alteram eleuetur; abſque dubio illa, quæ eleuatur, habet rationem inſtrumenti reſpectu alterius. Sed phantaſma concurrens ad productionem ſpeciei intelligibilis non poteſt non ſubalternari principio ſpirituali, cum effectus ipſe ſit ſpiritualis etiam ſecundum rationem illam ſimilitudinis obiecti, quæ correſpondet phantaſmati: (Alioqui phantaſma, corporeum cum ſit, per propriam virtutem, quamuis imperfectam, & inadæquatè attingeret, ac produceret effectum ſpiritualem.) Ergo verè ipſum phantaſma in tali productione eleuatur tanquā inſtrumentū à principio ſpirituali.

Quodnam verò ſit huiuſmodi principium ſpirituale à quo phantaſma in huiuſmodi productione eleuatur, non facile ab omnibus explicatur. Communior enim ſententia eſt, hoc principium, aliud non eſſe quàm intellectum, quem vocant agentem, quemque alij realiter diſtinguunt ab intellectu patiente, ſeu poſſibili, in quo perficitur intellectio; alij verò non niſi per noſtram conſiderationem.

Imò non ex alio constituunt in homine huiusmodi intellectū agentem, nisi ad hoc vt simul cum phantasmatibus producat species intelligibiles, vt videre est apud ipsos auctores. Probantq. ex Aristotele 3. de anima textu 18. dicente, Quidquid est in potentia, indigere aliquo, à quo ad actum deducatur; cumque intellectus humanus ex eodem Aristotele textu 14. sit in potentia tanquam tabula rasa, in qua nihil est scriptum actu ad omnes formas suscipiendas, nec vllas habeat species congenitas à natura, aut principium extrinsecum, à quo reduci possit in huiusmodi actum; nam phantasmata quæ maximè id præstare deberent, sunt valde inferioris naturæ: Sequitur concedendum esse in eadem parte intellectiua hominis, principium aliquod à quo tanquam à principali animæ instrumento huiusmodi species à phantasmatibus desumantur; reducaturq. ipse intellectus possibilis in actum primum intellectionis.

Verum si ab interpretatione tantorum virorum aliquando ad maiorem veritatis dilucidationem discedere licet; nec præfatum argumentum omnino concludere dixerim, nec Aristotelem talia intendisse. Quandoquidem quidquid sit de sensu illius propositionis, cum dicitur, in omni natura dandum esse aliquid tanquam materia, quod sit in potentia, aliquid verò tanquam agens, à quo illud reducatur ad actum: Omninò tamē idipsum verificari potest in proposito, absque eo quod dicatur, species intelligibiles produci ab intellectu agente, vt in progressu patebit. Vnde in applicatione huius assumpti Philosophus tantum docet, simile quippiam in anima contingere; non quidem simpliciter, vt notat Simplicius, sed proportionaliter; & explicans se Aristoteles ait; quia est quidem talis intellectus, quia omnia fit, talis verò quia omnia facit. Textu verò 38. & 39. inquirens quomodo anima fiat omnia, scientia quidem scibilia, sensus autem sensibilia; docet hoc esse intelligendum secundum formam, intellectum autem esse formam formarum, & sensum formam sensibilium: At hæc forma de qua loquitur Aristoteles, est similitudo expressa, quæ consistit in

ipso

ipso actu scientifico, qui dicitur scientia, vel in ipso actu sensationis, aut phantasiæ, qui dicitur phantasma. Ergo de mente Aristotelis idem est se facere, vel fieri omnia, ac producere in se talem similitudinem expressam, ac illam recipere tanquam actum immanentem. Proindeq. tota agentia, siue efficientia intellectus in eo constituitur à Philosopho, quod in se efformare valeat veluti omnia entia, dum similitudines eorum in se valet exprimere. Itaque per intellectum agentem non intelligit Aristoteles aliam potentiam, quàm ipsam, quæ actum promit intellectionis, ita vt eadem potentia intellectiua quatenus efficienter promit ac elicit ipsam intellectionem; dicatur agens; quatenus verò eandem in se recipit, dicatur patiens, cum vtrumque ad intellectionem requiratur, nempe agere & pati, vt diximus etiam de sensatione. Alioqui si Aristoteles productionem specierum intelligibilium intellectui agenti demandasset, cur id in explicatione munerum illius non posuisset, vbi tantum docet, huiusmodi intellectum facere omnia, vt habitus quidam; quale est lumen, quod facit potentia existentes colores, actu colores. Quo in exemplo magis oppositum videtur insinuari; quia videlicet sicut non dicuntur actu colores qui actu non videntur, vt in tenebris, micant verò statim atque illuminantur; ita obiecta per eorum simulacra potentia existentia in intellectu non cognoscuntur, quousque intellectus tanquam lumen, radium suæ intellectionis emittat, qua ipsa obiecta actu exprimuntur, ac repræsentantur. Quod si illustratio intellectus agentis esset productio specierum intelligibilium, iam per talem productionem obiecta actu repræsentarentur, sicut colores actu micantes, de quibus loquitur Aristoteles, quod est falsum.

Deinde cum Aristoteles intellectum agentem tantopere extollat textu 20. dicens, hunc solum esse separabilem, immixtum, & impassibilem, immortalem, & perpetuum; vtique si illum discerneret ab intellectu patiente, intellectus patiens talis non esset, nempè separabilis, immixtus, &c. Proindeq. potentia formaliter intellectiua, vt est ipse intel-

lectus

lectûs possibilis, non esset incorporea, & spiritualis. Rursumq. nobilius quid esset imprimere species intelligibiles, quam intelligere; ac per consequens emissio specierum alicuius coloris nobilior esset ipsa visione coloris, quod eò absurdius est, quò magis Aristoteli imponendum sequeretur. Vlterius verò daretur in sententia Aristotelis intellectus non intellectiuus; siquidem intellectus agens, nihil posset intelligere. Et intellectus patiens non tantum esset agens, inquantum efficienter promeret actum intellectionis, vt aliàs ex Aristotele probauimus; sed etiam quia ipse quoque species intelligibiles quam plures produceret, vt species generum, cæterorumq. vniuersalium, vt conceditur ab eisdem aduersarijs: quod est inuertere totam ac veram philosophiam, remq. ex se expeditam ac facilem, vltrò confundere, ac innumeris pene difficultatibus inuoluere. Quare Durandus primo sentent. dist. 3. quæst. 5. cum alijs, quos refert M. Albert. in summa de homine quæst. de intellectu agente, iure omnino negat dari huiusmodi intellectum agentem.

In sententia vero eorum qui non distinguunt realiter intellectum agentem à patiente, sequeretur non modo idem esse agens & patiens respectu eiusdem per actionem distinctam, qualis esset huiusmodi productio specierum intelligibilium; sed eundem intellectum qui ponitur ab Aristotele textu 14. tanquam tabula rasa, imagines præseferre, ac fœcundare, & excitare seipsum, esseq. primum motorem sui ipsius in tali productione nullo in se accepto, aut præexistente semine, ac tribuendo phantasmatibus virtutem, quam ipse non habet ad hoc efficiendum.

Postremò intellectus agens, siue distinctus à possibili, siue indistinctus non posset excitare, & eleuare phantasmata, siue illustrare, vt aiunt, ad producendas species intelligibiles, nisi sua virtute aliquo modo illa attingeret, ac roboraret: sed nullo modo potest attingere, quia nec potest illa informare, nec recipere; nec potest aliquid in illis producere. Ergo nullo modo posset intellectus phantasmata eleuare.

Dicendum itaque potius videtur, principium ſpirituale à quo eleuatur phantaſma in productione ſpeciei intelligibilis, eſſe ipſam ſubſtantiam animæ intellectiuæ.

Probatur autem primò. Nam hæc eſt natura ſubſtantiæ viuentis, vt in formis ſubordinatis quas habet, ac ſe inuicem attingere nequeunt, ipſa tanquam communis radix eas copulet, ac per vnam agat in aliam, vt diximus de motione cognitionis reſpectu appetitus ſenſitiui. Quapropter cum ex vno capite conſtet, intellectum aliquid quodammodo à phantaſmatibus pati, & ex alio, nec illa de ſe poſſe agere in intellectum, nec intellectum illa ad hoc poſſe eleuare; optimè ſequitur huiuſmodi eleuationem fieri ab ipſa anima, quæ mediante ſenſu interiori eleuat eadem ipſa eius phantaſmata ad producendas in intellectu ſpecies intelligibiles. Quemadmodum eleuat viſionem, cæteraſq. ſenſationes externas ad producendas ſpecies intentionales altioris ordinis, vt quæ intus transfunduntur ad vſum ſenſus interioris.

Cap. 1. huius Tract.

Secundo probatur, nam anima rationalis immediatè, ac ſimul cum interiori ſenſu concurrit ad ſuas ſenſationes, tribuendo illis vitalitatem, vt ſuo loco planum omnino fecimus ex Ariſtotele, & Caietano. Igitur phantaſma, quod eſt ipſa ſenſatio interna, eodem modo, quo immediatè procedit ab anima, ab eadem etiam immediatè intelligitur eleuari in productione ſpeciei intelligibilis, quæ naturaliter ipſum phantaſma conſequitur; Præſertim cum talis productio potius dicenda ſit emanatio per modum ſimplicis reſultantiæ; & qui dat antecedens, dat etiam conſequens neceſſario coniunctum, aut reſultans ab illo. Quomodo autem anima in hoc conſtituatur immediatè operatiua, cum ſit ſubſtantia, cui ex genere ſuo omnis immediata operatio interdicitur; optimè explicatur à pluribus de ſubſtantia rerum non viuentium, ac de operationibus ad extra, quæ non pertinent ad perfectionem ſuæ naturæ intrinſecæ.

Lib. 1. Tract. 4. cap 3. Et Tract. 5. c. 1. & 2.

Quod verò obijcitur, nullam cauſam materialem poſſe eſſe totale, aut præcipuum inſtrumentum effectus ſpiritualis,

lis, vtpotè multo altioris ordinis ac naturæ, proindeque phantasma non posse producere speciem intelligibilem per immediatam eleuationem animæ rationalis, quia constitueretur eius instrumentum totale, ac principale. Hoc inquam axioma vniuersaliter loquendo gratis assumitur: Deus enim per solam aquam tanquam instrumentum producit, & confert gratiam in Sacramento Baptismatis; ac per solum ignem cruciantur animæ in Inferno, ac Purgatorio, vt est plurium Theologorum sententia. Quare nihil obstat quin phantasma possit esse totale instrumentum animæ ad producendam speciem intelligibilem. Denique addi etiam potest sensum ipsum interiorem pariter concurrere in tali productione tanquam subiectum in quo ipsa phantasmata recipiuntur, ac substentantur.

Atque hæc dicta sint de effectibus consequentibus operationes huius potentiæ ad cuius naturam cum suis proprietatibus amplius explicandam non parum proderunt tum quæstiones, quæ in sequenti libro more problematico expedientur; tum quæ de appetitu sensitiuo alio in volumine tradituri sumus Diuino numine adiuuante; cuius est, homines ab omni ignorationis labe purgare, rectumq. sensum de interiori sensu, sicut de re qualibet sua bonitate præstare.



DE INTERIORI SENSV LIBER TERTIVS.

In quo variæ Quæſtiones problematicæ ad illum pertinentes diſcutiuntur.

PRAEFATIO.



OST vniuerſalem conſiderationem de Interiori ſenſu ſuperioribus libris expoſitam, ac in ſuas tractationes methodo doctrinæ digeſtam; nonnulla ſupererant interrupta ſerie, diſcutienda, quæ ſeruato ordine, attentaque ſermonis diſpoſitione, vix, aut leuiter ibi attingi potuiſſent. Cumque ipſa circa varias experimentorum obſeruationes potiſſimum verſentur: in quæſtiones aliquot ſeorſum placuit diſtribuere, ac problematico more in hoc libro diſcutere, tandemque propoſita dubitandi ratione iuxta ſuperiora principia ſoluere.

QVAESTIO PRIMA.


VO pacto fieri poteſt, vt pollentes ingenio, quæſtionem diſcutiendam aliquando ſuſcipiant, vel mentis conceptum oratione aliqua exprimere ſtatuant; deinde nullo ex induſtria adhibito ſtudio, poſt quietem, vel tempus, ſi Quæſtionem, aut Orationem expedire contendant, non ſecus, ac ſi alius ipſis ſolutionem dediſſet, aut verba ſuppeditaſſet, fœliciter omnia pangunt? Etenim ſicut ardua, & incognita adinuenire, aut inuenta diſponere nemo valet abſque præcedenti, aptoque diſcurſu; ita abſque mentis iugi applicatione nemo poteſt circa illa aptè diſcurrere; Quid enim prodeſt, quod non pauci dicunt, tempore ſimulacra rerum, ſeu ſpecies maturari, ſomno vires augeri, aptumq. magis in corpore ſe intellectum præbere? Nonnè tempus delet potius, quàm perficit inuſtas Imagines? Nonnè aſcendentium vaporum in ſomno, diuerſarumque rerum ſe obijcientium multitudo, conceptus turbat, ſpecies obuoluit, ſedemq. totam non ſecus ac nubes obumbrat? Qua ergo ratione poſt tempus, & quietem, tam facile quæſtio exagitatur, fluit oratio, & quod latebat in mente, palam oſtenditur, diſtinctaque exhibitione communicatur?

Reſpondetur. Cum optima adeſt conſtitutio, ac diſpoſitio organorum, quæ motui à natura intento obſequatur potius quàm obſiſtat, ſemel applicato intellectu cum potentia imaginatiua circa aliquid inquirendum, aut exponendum; etiamſi ſomnus, vel actualis intentionis deſitio ſubſequatur, non ſecus ac in rotam adacto impulſu, vel in iactum lapidem incuſſo impetu, ex ſe deinceps vtramque potentiam moueri, mouereq. ſimulacra omnia ad id pertinentia; quoniam aptus natura eſt hic motus fieri poſt hunc, ait Ariſtoteles, inferius ſubiungens: Et ſicut iaculantibus non amplius in ipſis eſt ſiſtere, ſic inueſtiganti, quia ſemper cor- *De memor. & reminiſc. cap. 3. & 4.*

poreum aliquid mouetur, virtute suæ applicationis. Quare potentia, vel in somno ipso adipiscitur intentam cognitionem, vel motum talem præparat in quiete, vt illum in Vigilia reassumere, ac perficere facillimè queat. Nam quemadmodum in somnis præparatus existit motus à diurnis inchoationibus (inquit Philosophus) sic rursus necessarium est, eos, qui in somno sunt motus, frequenter principium esse diurnorum actuum, eo quod præparata sit retro, & horum cogitatio in phantasmatibus nocturnis. Contingit autem rectè huiusmodi motionem procedere absque plena, & continuata intellectus directione cum aduertentia; quia phantasmata se mutuò subsequuntur, & ex se naturaliter coordinantur propter affinitatem, & cohærentiam obiectorum. Ad rectitudinem enim operationis intentæ, plus valet connaturalis, & successiua phantasmatum ordinatio, quàm impigra mentis inquisitio, multaque discussio. Vnde qui nimis festinanter, & impatienter inquirunt; vel tardius assequuntur, vel penitus ab instituto aberrant. Quandoquidem non statim aptè, & connaturaliter motio illa potest coordinari, aut ad finem pertingere, quousque veluti circulus compleatur per oblationem imaginis post imaginem, deducta serie à principio, vnde discursus cœpit exordium, vsque ad conclusionem, quæ quasi redeundo cum illo connectitur. Oportet enim existimare (inquit Aristoteles) vt modicas vertigines, quæ in fluminibus feruntur, sic motum vnumquemque fieri continuè in phantasmatibus. Plurimum tamen valet in principio efficax animi applicatio, cum quæstio discutienda, vel oratio exornanda suscipitur, nam ipso conatu potentiæ semel cum vigore adhibito, non modò non expellitur talis motus ab alio motu, vt cum vna cogitatio ab alia dissipatur (ait Philosophus) sed omnino agit inuestigando, operaturq; circa propositum, quod inquirit, etiam si postea actualis voluntas amplius non insistat. Vnde est illud Terentij. Num ille somniat ea, quæ vigilans voluit? Et Aristoteles: Conseruatus, inquit, sensorum motus, narrata facit somnia. Quod si tunc intenta cognitio non

De diuinat. c. 1.

Cap. 3. de somnijs.

Teren. in Andria.

De somnijs c. 3.

omnino

omnino ex tenebris eruatur, aut exprimatur oratio, præparantur tamen quæ latebant imagines, nonnullaque excitantur phantasmata, quibus postea intellectus in vigilia ex industria recogitando, ac intermissum opus reassumendo, facilè omnia discutit, ordinatq. prout voluntas decreuerat.

QVAESTIO II.



VID causæ est, vt præclaro ingenio viri, litterarumq. amatores multa quandoque perscrutentur in somnis, nouaq. tum difficilia excogitare præualeant, quæ vigilando vix vnquam post diuturnam speculationem attingere potuissent? Nonnè quamuis apta temperie semper cerebrum in illis reperiatur dispositum, solutum tamen magis existit ab infestationibus vaporum in vigilia, quàm in somno, magisq. idoneum, vt pro animi sententia, & prout opus fuerit, in eo excitentur, ac dirigantur phantasmata? An otium, quod capiunt sensus externi, plus conducit ad perfectionem sensationis internæ, quam ipsa mentis directio, liberaq. potentiarum administratio?

Respondetur, ad assequendas nonnullas rerum cognitiones in ijs, qui recta sunt organizatione, aptoque cerebri temperamento dispositi, maxime iuuare quietem in somno; Primo, quia nulla tunc naturalibus phantasmatum motibus, & ordinationibus incutitur violentia, sed sua veluti sponte simulacra mouentur, ac minimè impediuntur quominus pro naturali connexione, aut simul concurrant, aut apte valeant iuxta opportunitatem secerni. Nam quemadmodum in humido, inquit Aristoteles, si vehementer quis moueat, quandoque nullum apparet simulacrum, quandoque vero distortum; quod si quieuerit, pura & manifesta: sic & in dormiendo phantasmata, & reliqui motus, qui proueniunt à sensibus. Secundo, quia vt idem Aristoteles semel atque iterum adnotauit, plures sunt per quam tenues intelligentiæ circa rerum subtilitates versando, quæ dum

De somnijs c. 3. *De somnijs. c. 3.* *De diuinat. c. 2.*

operantur, ſenſus externi, facile euaneſcunt, quemadmodum iuxta magnum ignem minor; Et dolores, & voluptates paruæ ſecus magnas: Dum verò illi quieſcunt, ſupernatant hæ quantumuis paruæ. Nam (inquit) propter vacationem particularium ſenſuum, & impotentiam agendi, ab exterioribus ad id, quod intrinſecus eſt, fit caloris refluxus, ad principium ſenſus deferuntur, & fiunt manifeſti, cum ſedatur turbatio. Et omnino, inquit, quod paruos motus phantaſmatum ſentiunt dormientes magis, quam vigilantes. Cum igitur ſpeculabilium, ac difficilium exacta perceptio, contemplationiſq. acumen præcipuè attendatur ex ſubtili obſeruatione differentiarum, quibus obiecta omnimodo, & abſolutiſſimè diſcernuntur; ipſæque vltimæ differentiæ non niſi leniter, ac perexiguis motibus, tenuioribuſq; imaginibus repræſententur, vt ex illis formentur abſtracta, comparationes, & illationes; mirum non eſt ſi multa excogitari, & explicari contingat in ſomnis, quæ nullo modo, vel confuſè in vigilia tenebantur. Imò niſi error in circumſtantijs, & conditionibus, quæ ab obiectorum præſentia pendent, plerumque intercederet, vix vnquam in vigilia tam exactè, & accuratè intellectus obiecta ipſa perciperet. Quod ſanè optimam ſupponit cerebri temperiem, inſtrumentorumq. naturalium diſpoſitionem. Nam ad motiones prædictas connaturaliter exercendas, & vt minora cerebrum in ſomno patiatur aduerſa, puriorem ſuſtineat exhalationem, leuioremq. animi iactationem, maximus requiritur conſenſus partium, maximaque primarum qualitatum moderatio. Nec non interdum bonarum artium quoque ſupponitur exercitatio, qua intellectus phantaſmata dirigere aſſueſcat. Vnde qui inſtructi virtutibus ſunt, meliora ſomnia vident, ait Ariſtoteles, eo quod & vigilantes, meliora animaduertant. Alioquin qui turbida cerebri diſpoſitione aguntur, prauoq. habitu ſunt affecti, nec noua, nec ſubtilia in ſomnis obſeruant, cum raro ordinatè, vt par eſt, phantaſmata eorum procedant, ſed motu plurimo, vel diſconuenienti agitentur, diſtorqueantur, ac circa materialiora

Cap. 2. de diuinat.

Sect. 30. probl. quæſt. 13.

valde

valde versentur. Quamobrem sicut in vigilia ad opiniones falsas, ac vitia huiusmodi homines facilè prolabuntur, ita & multò magis dormiendo cum deficiente aduertentia rationis, & exuperante fumosa, crassaq. caligine per amplos meatus ad cerebrum ascendente; ad absurda, ac disconuenientia crebrius, ac facilius inclinantur. De quibus propterea intelligendum est illud Ciceronis, quòd si natura paratum esset, vt ea dormientes agerent, quæ somniarent, alligandi essent omnes, qui cubitum irent. 2. de diuin.

QVAESTIO III.



VI fieri potest, vt quandoque interrogatus homo de causa alicuius effectus quam nunquam excogitauit, statim se scire, & exponere illam promittat, licet actu, nec verbum de ipsa proferre queat. Idemque contingat cum rationem aliquam ab alio prolatam audierit, & statim videtur improbare, nesciens tamen cur illa non rectè concludat? Gratis enim homo se scire, aut declarare præsumit, quod hactenus non percepit, nec intra se ipsum de facto potest exponere; pariterq. vt alterius valeat improbare discursũ, nulla cognita causa defectus, aut patente contrarietate. Nũ quæ quis nouit, ea quæ non nouit, esse putat, vt falsa opinetur quæ nouit, ait Plato, aut per ea, quæ quis non nouit, putat nota posse probari? Etenim nec appræhensio commensurari potest discursui, nec sibi conscia mens tanquam assecutura promittere, quod ignorat. In Theæteto.

Respondetur, audita quæstione, mox quidem intellectum circa illam discurrere, sed quandoque veram causam effectus, nec primo statim occursu distinctè percipere, nec inter varia phantasmatum inuolucra latitantem omnino deperdere; sed quasi inter nebulas conglobatis vaporibus, rerumque imaginibus circumfusam; ac disquisitionis agitatione, veluti ventorum impetu penè magis fugatam, à longe & confusè inspicere. Sicut quæ in nubibus similia sunt homi-

De somniis c. 3. hominibus & Centauris, ait Philosophus, quæ tam citò per aerá feruntur ac permutantur, vt perspicuè obtutibus subiacere, minime possint.

Vera igitur causæ similitudo, secundum quidpiam tenetur; & si palam tunc repræsentari minus commodè possit; proindeq. adest quasi pignus, quo postea cū adæquata suæ virtutis applicatione, causam ipsam requisitam exponere, iure sibi intellectus promittat. Et hoc est, habere anticipationem quandam seu anteceptam animo rei informationem; quam Epicurus πρόληψιν appellat, & sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari potest, vt ait Cicero. *1. de natura Deorum.* Eique non absimilis est, virtualis illa reminiscentia, qua homo nonnunquam oblita se hactenus sciuisse meminit, ac rursus ipsi videtur posse recolere. Nam quod in reminiscentia præstant reliquiæ præteritarum cognitionum; hoc in proposito præstant rei antecepta illa informatio. Quæ licet in principio rem ipsam expeditè, ac satis exprimere nequeat; exagitatione tamen, & connexorum comparatione discussa, magisq. efformata, paulatim quod vlterius desiderabatur, referre iam præualet. Porrò talis est naturalis connexio obiectorum quandoque inter se, vt causarum, effectuū, ac circunstantiarum; similiter & cognitionum in habitibus scientiarum circa idem obiectum totale; vt in vno veluti virtute lateat alterum, exprimaturq. per distinctam cognitionem, si discursus vlterius protrahatur. Quo etiam fit, vt facilius se homo scire promittat, quæ ad suam artem, scientiam, aut professionem aliquo modo spectare conspexerit, quam quæ nihil omnino; licet æqualiter de præsenti vtraque nesciat.

QVAE-

QVAESTIO IV.



VAM ob causam sæpe sæpius ineptis & insipientibus accidit, vt integris, & applicatis sensibus, non rectè multa videant, vel audiant, sed perperam discernant, confundantq. similia, vel inuerso ordine, quæ rite objiciuntur percipiant?

Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem? aiebat sapientissimus Iob. An forte iudicium mentis dat sensibus, vera propriaq. dignoscere, quorum notitiam ipsa tunc mutuatur ab illis? Mentis enim aptitudo & si plurimum ad correctionem sensus præualeat, circa illa quæ à Philosophis dicuntur sensibilia per accidens aut communia; non tamen ei tribuit circa sensibilia propria melius aut distinctius operari. Imò belluæ quàm plures etiam si mente sint omnino expertes, acumine visus, auditus subtilitate, alijsq. nonnullis huiusmodi perfectionibus homines vniuersos longe superant, vt Aristoteles, Plinius, ac Plutarcus obseruant. Non ergo rudes ingenio si non minus exterioribus sensibus polleant, frequentius errare deberent; verba aliter quam pronunciata sunt audiendo, sermones sursum deorsum vertendo, sapores & colores imperfectius discernendo, aliaq. multa distortè ac imbecillius percipiendo.

Iob cap.12.

Arist. 2. de anima tex. 94. Et de Hist. animal. lib. 8. c. 1. Plinius naturalis hist. lib. 10. cap. 69. Plutarch. de solertia animalium.

Respondetur, aptitudinem, vel ineptitudinem intellectus quoad operationes, quas naturaliter exercere debet in corpore cum ex diuersa variaq. phantasmatum subministratione, ac interioris organi dispositione oriatur; non parum ex parte causæ cum diuersis cuiusque sensus exterioris operationibus cohærere: Nam idem sensus interior, eademque cerebri dispositio, spirituumq. animalium promptitudo, vel tarditas, quæ intellectui bene, aut male obseruiunt in efformatione, ac subministratione phantasmatum, sensui exteriori diuersimodè vim tribuunt operandi. Porrò si ad functiones sensuum externorum præsto sit, & competens spirituum

tuum animalium subministratio, ipsiq. spiritus puri, ac perlucidi sint, vtpote ex optima ac temperata cerebri substantia promanantes, & per expeditos neruos deducti, recta pariter, & acuta sensatio elicietur in externo sensorio alias bene disposito, vt in præsenti supponimus. Si vero langueat sensus interior in huiusmodi administratione ex cerebri intemperie, aut obstructione aliqua circa ortum neruorum, & exiguus admodum spiritus ad exteriora descendat sensoria, vt in quodam vitio oculorum contingere, docet Galenus. Vel è contra si ferueat cerebrum, & imaginatio impatienter vires distribuat, vt in amentibus ex phrenitide, aut ebrietate, & in his, qui vel similem à natura sortiti sunt cerebri temperiem. Tunc profecto quantumuis apta sit ex se ac disposita sedis externæ constitutio, persæpe necesse est sensum ipsum sentiendo eludi, etiam circa propria sensibilia, vltimas eorum differentias minimè aut distortè, ac deprauatè percipiendo, ad instar eorum, qui commutatis calceis aberrant, (vt aiebat Plato,) & similia patiuntur ijs, quæ in speculis transuerso resultant, cum aspectus dextera in sinistra commutat. Atque omnino, vt paulo post idem subiecit, qui cerebri substantiam obtinent minus rectè dispositam, non modo ad opiniones, & imaginationes falsas proni redduntur, sed cum quid vident, aut audiunt, aut cogitant, quia singula singulis mox reddere nequeunt, tardi sunt, præuaricanturq. ita vt peruersè videant plurima, audiantque, & aliud sæpe pro alio cogitando decepti concipiant.

4. de locis affect. cap. 2.

In Theæteto post medium.

Item ex eadem cerebri temperatura nascitur difficilis, vel inconstans mentis attentio, sine qua nec multæ circumstantiæ, ac differentiæ sensibilium percipiuntur; imò nec ferè absolutè videre, aut audire homines dicuntur; scilicet, quia affectio aurium, aut oculorum sensum nullum indat intelligentia absente, vt ait Plutarchus afferens illud Cleomenis Regis qui, cum in conuiuio laudaretur quoddam carmen: interrogatus an sibi videretur esse præclarum: Vos (dixit) isthuc videritis, mihi animus erat in Peloponneso.

De solertia animal. non longe à principio.

Accedit

Accedit, quia non semper sensus exterior cunctas differentias, vel partes obiecti propositi, quas attingere posset, per se solum de facto attingit; sed plerumque suppletur defectus illius imaginatione aliqua, vel argumentatione, quod reliquum erat interius proponente. Vt cum multa, quæ mutilata externis sensibus imprimuntur, tanquam integra interius concipiuntur, & ex vngue leonis oculis oblata, totus leo intus repræsentatur; aut ex Verbo, quod nobis ad aures accidit, oratio videtur intus completè sonare. Vnde Galenus putauit, neque magnitudinem, neque figuram, neque motum, neque numerum ab aliquo solo sensu percipi posse absq; ratiocinatione, & memoria. Quoniam vero huiusmodi res, quæ ex parte supplentur interius, non semper ita se habent quemadmodum dictat imaginatio, vel ratiocinatio; sed magis, minusue compræhenduntur, aut deperduntur iuxta capacitatem, & aptitudinem cognoscentis; hinc est, vt qui minus rectè imaginantur, & ratiocinantur, frequentius errent: Quare, vt Aristoteles obseruat, festini ministri, qui prius quàm omnia, quæ dicuntur audierint, excurrunt, ab actione, & mandato sæpe aberrant. Quia nimirum hebetes, vt plurimum sunt, ingenioq. rudes; quibus nec diuinare conceditur, nec multum coniectura deseruit, vt rectè suppleatur interius, quod sensum aufugit exterius. Perspicaces verò, & qui meliorem adepti imaginationem, faciliùs (vt vulgo dicitur) partem ex littera argumentantur, minus decipiuntur, pleniusq. propterea rerum cognitiones assequuntur, ac perfectius videre, & audire, iure putantur.

Lib. 7. de placitis Hippocr. & Plat. cap. 14. Et lib. de demonstratione.

7. Ethic. cap. 6.

Itaque iudicium sensus exterioris, non modò pendet ab intrinseca dispositione, & concursu sensus interioris, sed perficitur quandoque, suppleturq. omnino per illum ad exactam, completamq. cognitionem animalis; cum alioquin, externis sensibus nunquam negetur suo modo circa propria sensibilia iudicare, vt facer textus assumpsit: Nam & Aristoteles inquit, visu nos diiudicare tenebras & lumen, sentireq. tũ colorem, tum subiectũ illius, quod fusius alibi explicuimus.

2. de anima tex. 138.

Lib. 1. tract. 4. cap. 11.

QVAE-

QVAESTIO V.



VID causæ est, vt in arte oratoria, aut in prælegendis,& explicandis lectionibus exercitati, cæteris paribus, faciliùs memoriæ mandare, ac retinere præualeant, quam qui nulla exercitatione memoriam defatigare consueuerunt? Etenim huiusmodi exercitatio plures, recentesq. quotidie impressiones imaginum supponit in organo; Multitudo autem præsertim eorum, quæ gregatim obueniunt, nouaq. serie perpetuo irruunt, confundit quippe magis potentiam, sensim organum labefactat, viresq. paulatim exoluit. Potius igitur exercitationis, ac defatigationis carentia, veterumque simulacrorum paucitas, memoriam iuuabit, vt non secus ac in pueris, vigens, ac munda, noua suscipiat, firmiter teneat, proferatq. cum opus fuerit promptius, atque vberius.

Respondetur influentium simulacrorum copiam, quæ tempore, & exercitatione in dies augetur, nullo modo potentiam, vel organum deprimere, aut grauare; nec operationes potentiæ vnquam confundere. Nam rerum imagines sibi in cerebro occursantium, cum omni mole, & contrarietate careant; nec locum occupant, nec se mutuo impediunt, aut à subiecto conantur extrudere. Quandoquidem innumerabilium pene rerum similitudines vno ictu constat oculis illabi, exiguamque pupillam tantam congeriem, nulla grauedine, aut perturbatione capere; sed maiorem semper expetere; vt propterea sapiens dixerit, non satiari oculum visu, nec aurem auditu impleri: Vnde Cassiodorus loquendo de memoria: Vestiaria nostra (inquit) cum fuerint plena, nihil capiunt; hoc autem thesaurarium non grauatur oneratum, sed cum multa condiderit, sciendi desiderio plus requirit. Rationem verò attulit Augustinus; quia imagines, quæ ibi sunt non se interponunt, neque interrumpunt, cum thesaurus alius pertractatur. Cum igitur ex

Ecclesiastes.c.1.

Lib. de anima cap.12.

Lib. 10. Confession. cap.8.

vno

vno capite multitudo specierum non obstet; ex alio vero, exercitatio vires omnes accrescat, vt rectè probat Hippocrates; mirum non est, si iugiter exercitati faciliùs memoriæ mandare præualeant. Porrò ex frequentatis actibus fit habitus; habitus autem disponit potentiam, iuuatq. illam ad facilius operandum. Et sicut cera quò frequentius contrectatur, eò mollior ac lenior euadit, aptiusq. impressiones omnes valet excipere: Ita cerebrum frequenti reuolutione phantasmatum, nouaq. semper impressione specierum, ac reflexionibus intellectus exagitatum, melius ac facilius inustas verborum imagines recipit, receptasq. potentia suggerit cum easdem opus fuerit retractare. Quod si pueri absque tali exercitatione imaginumq. impressionibus tam crebris, facilè res cunctas memoriæ commendare præualeant; hoc certè non ex carentia defatigationis, & exercitationis, aut paucitate, imaginum procedere censendum est; sed ex organo magis disposito, & carentia passionum multarum ac sollicitudinum distrahentium, vt hactenus explicuimus. Proindeq. in principio supposuimus, rem ita se habere, cæteris paribus.

QVAESTIO VI.



VID est, quod nonnulli si cum præpotentibus viris, maximaque auctoritate præditis loquantur, aut cum summo amore dilectis personis postquam diu concupierint; statim turbantur, & quò melius verba facere conantur, eò deterius inuersa serie loquuntur, aut conceptus & verba non suppetunt, quæ proferantur? Vbi enim reuerentia timorem excitat, vel gaudium exhibitionem amoris; ibi vires colliguntur in vnum, naturaque fortius agit; cui cum res & modus illarum semper proportionaliter obsequantur, quæ parata erant interius, exterius pronuncianda, aptius, vberiusq. potius prosilire, quàm confundi aut impediri in huiusmodi actibus viderentur.

Respon-

Respondetur moderatum calorem collectum interius ex reuerentiali timore, aut ex gaudio, & fruitione amoris cum spiritus omnes confluunt ad sua principia, nempe vitales ad cor, animales vero ad cerebrum; excitare quidem magis virtutem sentiendi interius, promptioremque illam reddere, vt iuxta opportunitatem intellectui subministret. Et sic non defuere, nec desunt qui nunquam tam copiose, & ordinate loquuntur, quàm cum Magnatibus, ac viris celeberrimis agunt; Etiam nulla facta præuentione conceptuum, aut industria prius adhibita. Magis enim animus nititur extimationem sibi comparare ab ijs, quos magnopere vere-
2. Rethoricorum cap. 2. tur, vt patet ex Aristotele. Et tunc maxime cum libenter se audiri cognouerit, vt Eschini Cotocididi apud Philippum
Lib. 2. de varia histor. Macedonem legationem agenti contigisse narrat Elianus. Immoderatum tamen calorem, vt qui ex vehementi passione timoris, aut amoris circa cor, ac cerebrum insolito spirituum accursu ac discursu excitatur, turbare, & impedire absque dubio vnà cum phantasmatibus cunctas operationes cognoscitiuas. Nam ex corde ad cerebrum fit caloris refluxus: cerebrum autem sua dispositione frigidum, ac in suis operationibus naturaliter sedatum, male patitur exuberantem, & impatientem calorem, frequentiamque nimiam spirituum irruentium, qui vel amore, & immodica lætitia dispertiuntur, vel timore constipantur, ac suffocantur. Quare sensationes internas tunc ibi elicitas circa verborum prolationem, interrupta serie prodire necesse est, aliasque ab alijs impediri, non secus ac plurimos magna vi ab hostio simul exire conantes. Ex quo fortasse accidit Demosthenem coram eodem Philippo Rege multa, & ornatè, vt solebat, proferentem, quandoque voce ac sensu defecisse, sicut, & Theophrastũ Eresium Athenis in Areopago, vt idem Elianus, ac Plinius referunt. Omnino enim, vt si-
Lib. 10. Confess. cap. 8. mulacra interius, quemadmodum aiebat D. Augustinus, faciliter, atque imperturbata serie sicut poscuntur, suggerantur, & cedant præcedentia consequentibus, & cedendo condantur, iterum cum voluerimus processura; magna requiritur

quiritur subiecti, spirituumq. animalium sedatio, quæ cum nimia passione lætitiæ, vel timoris, nullo modo potest consistere. Vnde nimia appetitione animus inflammatus si quando adeptus est id, quod ei fuerat concupitum, tum fertur alacritate, ait Cicero, vt nihil ipsi constet quod agat. *Tusculan. quæstion lib. 4. circa med.*

Conueniunt autem huiusmodi passiones in causatione prædicta, quatenus ab vtraque nascitur vehemens sensus interioris & intellectus applicatio, cerebri, operationumq. turbatio: discrepant verò, quatenus reuerentia, ac timor spiritus omnes constipat, & constipando, per vnionem interiora instrumenta ex parte calefacit, imaginesq. in cerebro asseruatas exagitat: Ex parte verò eosdem spiritus suffocat, ac restringuit, non secus ac operculum lumen candelæ. Sic vt ex copia, inopia aliquando procedat. Exultans autem, gestiensq. lætitia, tanquam effusio animi, spiritus ipsos dispertit, viresq. cunctas inordinatè dissoluit; ita vt omnia simul dicere, ac proferre quis velit: sicque conceptus cateruatim se proruunt, vt dum aliud petitur & quæritur, aliud prosiliat in medium, nec suggeratur, aut exprimatur quod conuenit: Vnde Virgilius de Didone amante cecinit. *4. Aeneidos.*

Incipit affari mediaq. in voce resistit.

Et Seneca tragicus. *In Hippolyto.*

Sed ora cœptis transitum verbis negant.

Item Ouidius in persona Phœdræ. *Epist. 4.*

Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit
Lingua, ter in primo destitit ore sonus.

QVAESTIO VII.



VR adolescentes patriam relinquentes, & finitimas penè Ciuitates incolentes, vbi sermone parum dissimili communiter vtuntur; facilius natiuam loquelam obliuiscuntur, quàm qui ad alienas prouincias, & remotiora loca se conferunt, vbi diuerso omnino idiomate loquuntur. Quo enim formæ inter se magis dif-

ferunt, eò magis sibi aduersantur, ac mutuo se solent expellere: potius igitur simulacra verborum in adolescente, qui verbi gratia, Romæ natus fuerit, deleri & obliterari deberent per impressionem aliorum omnino discrepantium, vt Græcorum, vel Theutonicorum, quàm per impressionem parum dissidentium, vt alterius Ciuitatis Italæ; & tamen contrarium experimur.

Respondetur, simulacra verborum, siue similium, siue dissimilium, & omnino discrepantium, nullatenus inter se pugnare, nec vicissim se à subiecto extrudere, cum nulla dari possit in illis vera ac propria contrarietas: sed tempore duntaxat, ac dissuetudine aboleri, vel certè cum alijs confusè recondi. Vnde multi sunt, qui plures, ac distantissimas linguas, idiomataque callentes, ac in singulis exercitati, nunquam patrium sermonem obliuiscuntur; vt de Mithridate fertur, qui duabus, & viginti linguis loquebatur, iuxta numerum nationum, quibus imperitabat, propriæ non oblitus: ac de Themistocle Atheniensi, qui bene loquebatur patriè, melius autem Persicè: & Crasso, qui in Asiam profectus, quinque ibi linguas didicit, non oblitus Romanæ; & sic de alijs: fieri tamen quandoque, vt vna loquela in alteram permutetur, ob totalem dissuetudinem vnius, & consuetudinem alterius diuturnam. Id quod animaduertens Ouidius longo exilio detentus de se ait:

Plin. lib. 7. c. 24.

Tristium lib. 5. Elegia 7.

Ne tamen Ausoniæ perdam commercia linguæ
Et fiat patrio vox mea tuta sono,
Ipse loquor mecum, desuetaq. verba retracto,
Et repeto studij signa sinistra mei.

Verum tunc facilius, ac citius hæc permutatio experitur, cum loquutiones ipsæ, affinitate quadam coniunctæ, non nisi circa inflexiones quasdam verborum, accentus, aut raram syllabarum, litterarumque transpositionem, additionem, aut detractionem inter se dissident. Quoniam à simili in simile facilior est transitus; & sicut paruæ differentiæ difficilius discernuntur, ita facilius è memoria dilabuntur; secus ac maiora discrimina, quæ euidentius percipiun-

tur,

tur, ac diutius retinentur; vt patet in vultu hominum, ac situ locorum; quorum imagines si quid singulare contineant, facilius memoriæ tenentur, vel à pictoribus exprimuntur. Cumque tam consuetudo ad imprimendas nouas imagines, quàm dissuetudo ad veteres dirimendas, & obliterandas, in ijs maximè valeat, qui molliorem adepti sunt cerebri substantiam; hinc est, vt præsertim in pueris, & adolescentibus communiter ita dispositis, hoc experiri diximus; vt scilicet facilius patrium sermonem conuertant in similem. Alioquin satis est notum quàm difficulter adulti propriam linguam, pronunciationemque etiam ex industria ac sponte demittant, cum persimilem aliam adipisci conantur. Nam & Theophrastus Lesbius cum Athenis ageret, optimeque Atticè loqueretur, ab anicula illa in foro quidpiam vendente, tanquam aduena ex loquela depræhensus, hospes fuit appellatus. Et Ephratheus ille, qui vt Galaadites euaderet, Ephratheum se esse negabat, interrogatus ab illis, vt Scibboleth pronunciaret, quod interpretatur spica; respondit Sibboleth, eadem littera spicam exprimere non valens: ac statim propterea iugulatus perijt in ipso Iordanis transitu, vt refert Sacra historia. Quod enim pronunciandum erat per litteram ש, Scin, pronunciauit per ס, Samech.

Cicero de Oratoris Orat. circa med.

Iudicum 12.

QVAESTIO VIII.



QVO pacto contingere potest, vt lectitantes, aut pleraque memoriter ad verbum recitantes, sicut & fidibus artificiosissimè pulsantes simul, & canentes; idipsum quandoque quod agunt, non omninò attendant; sed aliud longè diuersum cogitent, ac circa illud toto animo versentur? Non enim alterum absque sensus interioris, & intellectus cooperatione valet obiri, nec simul vtrumque sensus ipse, aut intellectus potest complecti; cum omnes voces cantantium, aut verba proferentium, omnesq; nerui in fidibus ita sonent,

vt à motu animæ per propria instrumenta pulsantur, præuia sensus, & intellectus directione. Nullaque creata cognitio ad plura simul, vt plura sunt, se possit extendere; quemadmodum est doctrina D. Thomæ, & colligi videtur ex Aristotele, qui plane: Contingit, inquit, plura sciri; non autem cogitari: Semper enim, vt alibi ait, maior motus minorem depellit: propter quod delata sub oculis non sentiunt qui fuerint vehementer in aliquid intendentes, vel timentes, vel audientes multum sonum: hæc ille. Pluribus ergo, ac inter se disparatis, simul, & non omnimodo intentis, quomodo erit ad singula sensus?

S.Tho. 1. par. q. 58. art. 2. Arist. 2. Topic. cap. 4. De sensu, & sensili c. 8.

Respondetur neque intellectum humanum, neque angelicum posse simul plura per modum plurium; & absque aliquo ordine inter se plenè, ac perfectè attendere, sicut cum singula per se seorsum, aut sub communi aliqua formalitate intellectus ipse considerat; idque ex propria limitatione creatæ potentiæ: posse tamen intellectum humanum in vnum quidem omnino, ac perspicuè aciem figere; in alia verò saltem ex parte, ac veluti obscurè intendere, & ad omnia simul interiorem sensum ministrare phantasmata. Constat enim quidpiam nobis quandoque determinatè cogitantibus, plura ac valde diuersa simul in mentem venire, ac etiam nolentes eorum cognitione ad motus quosdam naturales appetitus impelli. Nam plura contingit simul phantasmata excitari, cum multa ex diuersis sensibus vno ictu quandoque soleant intus confluere, ac eodem modo postea in memoriam reuocari. Omnino enim quemadmodum in rebus ipsis, ait Aristoteles, plures formæ simul reperiuntur in eodem subiecto, idemque & vnum numero est album, & dulce; ita & in anima, quæ propterea plura sentiet simul, eodem & vno, scilicet sensu communi. Nihil enim prohibet sensum interiorem, vel intellectum diuersis conceptibus formalibus, seu imaginibus expressis eodem tempore informari, cum non sint formæ contrariæ inter se, nec excedant vires potentiæ sensitiuæ, quę sicut diuersorum species impressas simul valet

De sensu, & sensili cap. 8. in fin.

recipere

recipere, & conseruare, ita expressas simul valet elicere, vnaq. ab ipsis informari; quod est plura agere posse, sicut & pati. Quare sic potest intellectus post applicationem, ac primam directionem naturalium instrumentorum cum phantasia, alia diuersa omnimodo meditari, vt simul ad eandem directionem continuatione quadam habitualis virtutis concurrat. Nam aptus natura est hic motus fieri post hunc, inquit Aristoteles: & ea, quæ ex habitu acquisito eliciuntur phantasmata, vel simulacra, facilè & ordinatè mouentur, quamuis vel minima adhibita mentis attentione, aut reflexione. Et quia operatio, cui minus intenditur, remissior valde procedit; hinc est vt obscurę admodum, ac tenues promantur imaginationes, per quas naturalia instrumenta suo etiam adiuuante habitu diriguntur: ac propterea, vel facile mentem prætereant, vel rarò percipiantur: (quamuis animus aliud intendens, se præpediri sentiat saltem in confuso, cum alia ex habitu facere, aut proferre contingit) ita vt formaliter mens ipsa ijs tantum videatur incumbere, quibus præcipuè per maiorem conatum intendit. Quò spectat illud Lucretij: Cap. 3. de mem. & remin.

Cur igitur mirum est animus si cætera perdit,
Præterquam quibus est in rebus deditus ipse?

Dixerat enim paulò superius,

Nonne vides, oculos etiam cum tenuia, quæ sunt
Cernere cæperunt, contendere se, atque parare:
Nec sine eo fieri posse, vt cernamus acutè?

Multa itaque sensu siue memoria obscurè leuiterque dictante, lingua profert: multaque artificiosa manus, intellectus, ac phantasiæ directione ex habitu concurrente mouet, quibus nec mens, nec phantasia circa diuersa efficacius occupata videtur attendere. Nec aliud sensit Aristoteles in doctrina allegata; nam solum ait, non contingere ita nos cogitare plura, sicut contingit scire; nam tam multa, ac varia scimus, vt nullo modo simul valeamus cogitare. Scire enim denotat habitum; cogitare verò actum cognitionis. Quod autem rursus ex Aristotele affertur, verissimum est, sed 2. topicorũ c. 4. De sensu, & sensili cap. 8.

ſed non ſemper ita contingit, quia non ſemper eſt tam vehemens applicatio mentis ad vnum, vt alterius motum omnino poſſit depellere. Vnde in fine eiuſdem cap. concedit, plura poſſe ſimul ſentiri. Quod abſolutè nemo poteſt negare, ſicut nec plures res determinatas ſimul poſſe intelligi cum aliqua imperfectione, vt diximus, ſi diſparatæ ſint; vel certè ſimpliciter ſi ſint connexæ, vt plures termini, ac propoſitiones obiectiuæ, quæ ſimul ab omnibus admittuntur formaliter concurrere ad conſtituendum ſyllogiſmum in intellectu. Et hoc ſenſu explicari etiam poteſt doctrina S. Thomæ. Nam & de Cæſare Auguſto traditur, quod legere ſimul, & ſcribere, & audire, & dictare ſolitus erat, & epiſtolas de rebus maximis quaternas alijs dictando, ipſe manu propria quintam ſcribebat, aut ſi nihil aliud ageret, ſemptenas dictabat. Quamuis hæc magna ex parte, non tam ſimultaneæ cognitioni, & attentioni, quàm velocitati, ac volubilitati promptiſſimi ingenij, & ampliſſimæ, firmiſſimæq. memoriæ mereantur adſcribi.

Plinius lib. 7. natural. Hiſtor. cap. 25.

QVAESTIO IX.



CVR ſæpe memoria, quæ olim multo tempore prius recondidit, modò facilius reddit, quàm quæ poſtea nuper appræhendit? Nonne vetuſtiora potius idola, ſeu ſpectra conſueuerunt excidere, ceduntq. priora ſubſequentibus iuxta temporis differentiam, ac decurſum ætatis, quo tandem omnia euaneſcunt? Quare igitur contra accidit? Quod certè de propria memoria Annæus Seneca obſeruauit. Nam (inquit, quæcumque apud illam, aut puer, aut iuuenis depoſui, quaſi recentia, & modo audita, ſine cunctatione profert. At ſi qua illi intra proximos annos commiſi, ſic perdidit, & ammiſit, vt etiam ſi ſæpius ingerantur toties tanquam noua audiam.

Lib. 1. controu. in proœmio.

Reſpondetur, non tam vetuſtatem, aut nouitatem imaginum iuxta temporum differentias, quibus illæ fuerunt impreſſæ,

pressæ, quàm efficaciam impressionis illarum in retentione, vel dilapsu memorabilium esse considerandam. Nam quæ quis siue puer, siue senex leuiter appræhendit, omnis parua vetustas obruet, facileque delebit obliuio. Contra verò cum insignes, ac profundæ; non autem superficiariæ impressiones fiunt in cerebro, omnia tanquam noua, ac recenter ingesta seruantur, nec vnquam suscipiunt vetustatem; vt eisdem ferè verbis docet Plato in Theæteto: fiunt autem huiusmodi impressiones insignes, vel tenues; tum ob diuersam cerebri temperiem, magis minusuè aptam in vno, quàm in alio tempore, vel ætate; tum ob tranquillitatem, vel perturbationem animi. Siquidem volubilitate cogitationum, varijsq. discursionibus phantasmatum ita quandoque iactatur animus ex vehementi aliquo affectu, cura, vel anxietate, vt etiam si nonnullas diuersas imagines tunc in cerebro recipiat, parum tamen, aut leuiter obiectis attendat; sed per modum transeuntis, ac superficie tenus, quasi in aliud properans, illa percipiat; quæ propterea ocyus euanescunt, non secus ac in decurrente flumine varijs verticibus fluctuante, vel in humido, si quis vehementer moueat, cum incidunt simulacra, vt inquit Aristoteles. Contra verò cum animus sua tranquillitate potitur, ac naturali sistitur quiete, vt docet idem Philosophus, vel si cum voluptate attendit, tunc sensus, & intelligentia hominis proprio fungitur officio, & insignes impressiones simulacrorum admittit, ac diuturnam consequenter firmat memoriam.

Longè post med.

De somnijs c. 3.

Sect. 30. probl. q. 13.

Vnde est illud Critias, qui de se olim puero apud Platonem in Timæo multa enarrans, ait: Cum voluptate, & ioco audiebam cum senex ille me doceret. Quapropter quasi quædam litterarum inustæ indelebiliter notæ, ea mihi omnia infixa memoriæ permanserunt.

Non longe ab initio.

QVAESTIO X.


VR ex ingeniosissimis viris, plurimi experiantur in humana consuetudine parum prudentes, & frequentius, qui in speculabilibus multum proficiunt, in moralibus, & agilibus magna ex parte deficiunt? Postulatne sensus diuersas dispositiones in cerebro ad capessendas imagines rerum moralium, ac iudicandum de illis, quàm postulet ad attingendas obiectorum veritates in vniuersum, in quibus agibilia, & speculabilia includuntur? An ex sola ordinatione cognitionis ad praxim aliquid refunditur in obiectum, ac ratione illius constituitur diuersa capacitas cognoscentis? Vtrarumque enim intellectiuarum partium, opus (nimirum actiuæ, & speculatiuæ)
4. ethic. c. 2. veritas est, ait Aristoteles, solaq. ordinatio veritatis ad praxim non addit, nisi tendentiam appetitus in illud, cuius causa ipsa cognitio veritatis elicitur, ac talis denominatur,
Ibidem. nempe practica, aut actiua, vt ex eodem Philosopho id apertè colligitur.

Respondetur, intellectum actiuum non nisi fine à specu-
Lib. 3. de anima tex. 49. latiuo differre, vt docet Aristoteles, ac proinde in omnibus quidem obiectis veritatem inquirere, siue speculabilia tantùm illa sint, siue etiam agibilia: verum non eodem pacto veritatem ipsam in cunctis attingere, aut eodem modo erga alterutrum genus obiectorum versari. Nam circa merè speculabilia, per abstractionem vniuersalium, ac demonstrationes ferè semper procedit; id quod paucioribus indiget imaginibus, vt passim propositiones æternæ veritatis efficiat, scientiamque de illis obtineat. Circa verò agibilia, licet nonnullas rationes formales præscindat; frequentius tamen non nisi experientiam obseruando, rationes particulares considerat, vel vniuersales cum singularibus circumstantijs, & conditionibus confert, in quibus penè tota posita sunt, quæ sub actionem cadunt: pluribusq. propterea

indiget

indiget singularium contingentium imaginibus, ac phantasmatibus, vt omnibus perspectis, quæ agenda sunt, aptè diiudicet, atque disponat. Vnde Aristoteles, causam reddens cur experti magis id quod intendunt, consequi valeant, quàm illi, qui rationem absque experientia tenent; ait quòd experientia, singularium; ars autem, vniuersalium cognitio est. Ideoque hactenus prudentiam, dixit non esse vniuersalium tantum, sed opus esse, vt singula etiam cognoscat, cum sit actiua, actioque circa particularia versetur. Et consequenter adiecit, quòd ille, qui in demonstrationibus versatur, immobilium terminorum, & primorum; alter qui in actiuis consistit, vltimi, & eius, quod euenire aliter, atque aliter potest. Quo fit, vt cum de singularibus non detur scientia, nec determinata veritas de contingentibus; intellectus opinione, aut coniectura, magis quàm demonstratione, aut scientia; ac proinde minori certitudine, quantum est ex natura sua circa moralia, & agitabilia ducatur. Quamuis, vt rectè admonet idem Philosophus; Peritorum hominum, & seniorum, seu prudentum pronunciationibus, & opinionibus absque demonstratione, non minus quàm demonstrationibus attendendum sit; quia nimirum ex ipsa experientia visum habent, ac principia intuentur. Qui igitur ex vno capite propter agilitatem, & aptitudinem sensus, perfectionemq. phantasmatum, in quibus obiecta ipsa secundum distinctas rationes elucent; ita sunt natura, & habitu instituti, vt facilè per abstractionem, ac demonstrationem circa obiecta versentur, scientiamque sibi valeant ex principijs certis, & euidentibus comparare: Et ex alio capite parum habent experientiæ, & obseruationis circa agibilia, & moralia, vt ad consequenda multa bona humana, augendam rem familiarem, moliendas negotiationes, instituendos mores, & similia: ij quidem partim despiciunt ipsamet commoda, & vtilia multum indagare, vel ab alijs discere ob incertitudinem coniuncturæ, vel cognitionis opinatiuæ; nam cum natura perfectiora semper intendat, intellectus magis ad scientiam, quàm ad opinionem

1. meth. cap. 1.

6. ethic cap. 7.

Cap. 11.

6. Ethic. c. 11.

nem inclinatur. Partim verò etiamsi attendant, facilè errant in consultatione, ac perscrutatione mediorum, vt media sunt ad finem, quod est præcipuum opus prudentiæ. Nam ex defectu experientiæ, & obseruationis differentiarum indiuiduantium, respectuum, ac circumstantiarum, in quibus tota penè fundatur mediorum aptitudo, & congruentia, multa ignorant vtilia, seu media, vt media ad finem proportionata; vel saltem, quæ vtiliora, & aptiora sunt, non satis in consultatione discernunt. Bona enim consultatio secundum vtilitatem, id quod oportet, & sicut, &
6. Ethic. cap. 9. quando, rectè debet inspicere, ait Aristoteles. Quamobrem Anaxagoras, ac Thales, alijq. huiusmodi magni nominis viri, assiduis speculationibus dediti, cum circa vtilia, & agibilia multa ignorarent, quamuis difficilia admiranda, ac diuina cognoscerent, non prudentes, sed sapientes dicti
Ibidem cap. 7. sunt, vt animaduertit idem Philosophus. Et Anaxippus
Lib. 13. in fine. Comicus apud Athenæum dixit Philosophos verbis tantùm sapere, gerendis autem rebus se dementes esse perspice-
Ibidem cap. 8. re. Et iuuenes (inquit Aristoteles,) licet Geometrici, & Mathematici, atque in eiusmodi rebus sapientes euadant, prudentes tamen euadere non videntur, cum prudentia sit particularium, quæ experientia nobis innotescunt: iuuenes autem experti non sint, eo quòd experientiam temporis afferat longitudo.

Quibus addendum est, quòd cum maior voluptas capiatur ex his, quæ vnicuique magis innotescunt; & quæ cum delectatione fiunt, perfectius exerceantur; mirum non est, si disciplinæ mathematicæ libentius, ac perfectius, quàm morales ab adolescentibus adipiscantur, propter euidentiam, quam illæ, & non istæ in se continent.

Accedit etiam, quod passio voluntatis, vel appetitus sensitiui facilius, ac frequentius circa agibilia, quàm circa speculabilia cognitionem hominum, sensumque peruertit. Vt patet in pluribus, qui locupletissima rerum cognitione præditi, ac veracissimè circa speculabilia versando: vitijs tamen mancipati imprudenter sua, aliorumq.

per-

pertractant, prauèq. vitam instituunt, vel traducunt.

Præterea, qui circa speculabilia, ac realitatem obiectorum, natura duce, magnopere vehitur, aut ex habitu veritatem semper attendit; sicut vera iugiter contemplatur, ita vera iugiter profert, veraciterq. in omnibus agit. Quo sæpe fit, vt maxima simplicitate ex se ipso cæteros iudicando, facile credat, fidemq. omnibus adhibendo decipiatur. Cum è contra prudentia, multa quidem præcipiat vera detegere, alia occultare, ac dissimulare, sagaciterque cuncta discernere, vt non semper, nec omnibus fides adhibeatur, nec omnibus omnia patefiant; nam in ore fatuorum cor illorum, ait Sapiens. Eccl̃esiast. c. 21.

Denique ex parte quoque subiecti, seu organi eiusdem discriminis causam inuestigando, obseruandum videtur, quòd qui circa speculabilia maxima naturæ propensione, ac facilitate versantur: ij certè cum debita primarum qualitatum temperie tenuiores, ac subtiliores partes cerebri sunt adepti, spiritumq. magis aereum, quàm sanguinis euaporatione crassatum, ac densitate aliqua materiæ consistentem. Ideoque debiliores plerumque in retentione specierum inueniuntur, paucioribus imaginibus delectantur, & omnia ad vnitatem quandam referre conantur. Quo fit, vt plures differentias singulares, conditiones, ac circumstantias simul retinere non valeant, prout opus esset ad praxim; proindeque imperfectè circa moralia, & agibilia consultando versentur, ac libentius ad meram speculationem inclinentur, quàm ad iudicium agendorum. Secus ac alij, qui crassiorem adepti cerebri substantiam, spiritumque animalem euaporatione sanguinis, ac viscositate quadam magis consistentem, ad retinendas imagines circumstantiarum, firmiores redduntur, & ad cognitionem singulorum sagaciores, ac procliuiores, eo quod circa vniuersalia minus occupentur. Quod planè ita intelligendum est, vt non desit media quædam dispositio, qua ad vtrumque munus obeundum sensus facile phantasmata subministret. Vt constare potest in pluribus, qui cum in eminentissima rerum naturalium contemplatione,

platione; tum in morum, actionumq. humanarum institutione, ac Reiplublicæ administratione ab immortalitate, sua nomina vendicarunt. Vt Lucullus, amplissimus Imperator simul & Philosophus; Dionysius Siracusanus non minus physicis principijs, quàm politicis, licet iniquis præceptionibus eruditus, & alij quamplures.

QVAESTIO XI.



VI fieri potest, vt vni à natura detur memoria rerum, alteri verò memoria verborum præstare, ita vt sæpe is qui rerum gestarum, aut permanentium haustas imagines firmius ac diutius retinet, sententiarum aut verborum facilius obliuiscatur. Et è contra qui lecta vel prolata olim verba, siue audita nomina cuncta valet promptè referre, minus possit quas expertus vel contemplatus est res, cum opus fuerit in memoriam reuocare? Nonnè verba in ipsa rerum vniuersitate includuntur, sicut & voces, & soni, & motus alij non significatiui? Cur igitur hæc vna rerum species, quæ verba continet, à cæteris omnibus in recolitione memoriæ quasi genere toto disiungitur?

Respondentur inter eos, qui præclaram ac diuturnam obtinent rerum memoriam, nullum esse qui tam verborum, quàm sensus illorum facile obliuiscatur; Esse tamen aliquem qui verborum quidem nequeat sæpius meminisse, sensum eorum firmiter aliàs retinendo. Idque illi duplici ex causa contingere; Tum scilicet propter subtilitatem & acumen ingenij, quo facilius cuncta, quæ sensibus hauriuntur ad compendiosam quandam impressionem interius reducuntur, vt paucioribus similitudinibus res exactius capiantur, vnitatem conceptuum quoad eius fieri potest, natura semper optante. Non enim alia ex causa superiores intelligentiæ paucioribus vtuntur speciebus, & quæ in inferioribus dispersa sunt, in superioribus colliguntur, vt probat D. Thomas & colligitur ex doctrina Areopagitæ. Tum etiam propter imbe-

1.p.q.55 art.3. De cœlesti Hierar. c 12. & c. vlt. ante mediũ.

imbecillitatem quandam partium cerebri quod in ijs qui tenuiorem sunt adepti substantiam, nequit tam plura simulacra prout ingeruntur, simul retinere; sed demissis quæ minus ad rem facere videntur, vt simulacra verborum, quæ ex vbertate ad ornamentum potius quàm ad expressionem conceptus proferuntur; ea tantum custodit, quæ ad substantiam pertinent, sensumq. precisè in mentem conficiunt. Vnde propria, & explicatiua quædam verba facile mentibus hærent, ac ferè nunquam è memoria dilabuntur, secus ac si plura & ad pompam, respectu quorum quos diximus viri, in retentione deficiunt.

Vniuersalis autem ratio cur verba potius, quàm res aliæ è memoria videantur excidere, ea fortasse probatur. Nam verba cum sint ad placitum, multaq. idem ac diuersa significent, non habent necessariam connexionem, & ordinationem inter se, vel cum rebus, quemadmodum res ipsæ per illa significatæ; vt causæ, & effectus, forma & subiectum, & similia: Quæ autem ordinationem, & connexionem non habent, difficilius memoria tenentur, vt patet ex Aristotele. *De mem. & reminisc. cap. 3.*

Rursus, quia si non essent plura verba, quam res significatæ per verba, non minus fortasse verborum quam rerum recordaremur. Quoniam verò eadem res per plura verba significari potest, quorum alia sunt synonima, alia propria, alia translata, vel æquiuoca, alia communia, alia particularia, alia determinata, alia vaga: hinc est vt non tam facilè eorum sonus aut imagines distinctè, sicuti rerum in cerebro perseuerent. Et sicut alia intelligendi, alia dicendi disciplina constituitur, & ab alijs rerum, ab alijs verborum doctrina exquiritur, vt scribit Cicero: Ita alia ad res, alia ad verba in mente retinenda experitur habilitas, & aptitudo. Nam licet verba substituantur loco conceptuum, vt ait Aristoteles. Et per conceptus res ipsas teneamus in mente: conceptus tamen simpliciores, ac pauciores sunt, & necessario cum rebus, quas exprimunt connexi. Verba vero plura sunt, & ad placitum significatiua, vel substituta. Ideoque

De perfecto Oratore ad Brutũ.

Primo Periherm. cap. 1.

quę ſicut iuxta placitum, & inſtitutum hominum variè ſunt diſponenda, ita peculiarem habent aptitudinem ad talem varietatem ſimul cum eiſdem rebus in cerebro retinendam. Qui autem verba potius, quàm ſenſum, aut res more Pſittacorum tenaciter ſeruant, ij quidem minus iudicio, & ingenio pollent, ineptioremq. adepti ſunt cerebri temperiem. Sicut omnes, qui ſeria ac ſcitu digna minimè capientes, nenia attendunt ac meditantur, quæ proinde apprimè diſcernunt, ac recolunt.

Omnino autem, qui debitam obtinent cerebri temperiem, præſtantiſſimamq. ſubſtantiam, cum inſigniores cunctorum ſuſcipiant impreſſiones imaginum, tam in retentione rerum, quam verborum, ſicut & paruarum omnium differentiarum firmi experiuntur ac diuturni. Vt de Auguſto Cæſare, Annæo Seneca, Quinto Fabio Maximo, & alijs narrant hiſtoriæ. Quibus ingens quædam fuit notitia vetuſtatis, & ad memoriter proferendum, quæ legerant, vel audierant, admirabilis promptitudo.

Tandem ex his etiam intelligitur, cur numeri non ſecus ac verba difficilius memoriæ teneantur. Numerus enim quilibet per ſe determinatam requirit imaginem, quæ cum non habeat neceſſariam connexionem cum reliquis, non ita facile cum illis in memoriam ſubit, nec per reminiſcentiam, quæ ex connexis procedit, tam facile reuocatur.

QVAESTIO XII.



VA ratione interrogatus quis de re aliqua graui ad ius, aut quælibet moralia pertinente, non ſtatim reſpondere, vt plurimum poteſt, vel debet, quantumuis eximiè doctus ac iuris peritus exiſtat: Si vero cæteris paribus de naturali aliqua difficultate interrogetur Philoſophus, mox ſuam ſententiam aperire tenetur ac præualet? Etenim ſi ad ius dicendum ac dilucidandum plura ſunt ex legibus ac factis, inò ex Doctorum opi-

opinionibus, quibus ius regitur, & exponitur, in memoriam reuocanda: permulta quoque rationum momenta perpendenda sunt ad rectè philosophandum: Nec minus tempus ad eruenda abstrusissima argumenta circa res difficiles, quàm ad textus, & auctoritates in proposito cumulandas insumitur.

Respondetur: Diutius quidem intellectum circa moralia, præsertim legalia, quàm circa naturalia perscrutando immorari: tum quia intellectus non tam cito acquiescit veritati probabili, quæ de illis haberi potest, quàm veritati demõstratiuæ, quæ de naturalibus frequentius obtinetur, & cui necessario quoad specificationem adhæret: tum etiam quia veritas ipsa, ac certitudo probabilis, ex natura rei difficilius in moralibus innotescit, cum ex pluribus ac sæpe disparatis euentibus, opinionibus, statutis, ac distantissimis circumstantijs coalescat. Quæ omnia, vt singillatim in mentem occurrant, ac recto iudicio perpendantur, plura proportionaliter ac distantiora excitanda, & copulanda sunt simulacra, varijs in locis ac temporibus, varijsq. in propositis hausta; quæ sanè tam cito sese offerre nequeunt, sicut quæ physicam connexionem habent, paucioribusq. conceptibus continentur. Nam omnis motus fit in tempore, eoque tardior, quò remotiora ac plura successiuè per modum plurium debent moueri: quapropter in moralibus ex re, & ex tempore capiendum esse consilium scribit Tullius ad Atticum, quia nimirum vel non omnia quæ nosse decet, statim suppeditantur, vel quietis cogitationibus splendidiora videntur post tempus offerri consilia.

Qua ex obseruatione sumpsere prudentes, vt licet multa repente, aut citius decernere valeant; nolint tamen tunc respondere aut propalare sententiam, nè præceps censeantur dare consilium, antequam secum eadem maturius voluta-uerint. Vnde aiunt (inquit Arist.) cito agenda esse, quæ consultaueris, tardè vero ac diu consultandum. *6. ethic cap. 9.*

QVAESTIO XIII.



VR studiosis viris, ac iugiter speculationibus deditis, vescendo sæpissimè egregia, & eximia sese offerunt argumenta, aut excogitata præclara, quæ si tunc paululum protrahantur, statim euanescunt, & somnum, vel confusionem mentis inducunt? Vtrumque enim non leuem videtur præseferre difficultatem: Nam cum spiritus per commestionem incalescunt ac multiplicantur, facilius mens distrahitur à sensibus, & exhilaratur animus, nec fixe vnum perscrutando potest attendere: Quod si nouum quidpiam in ebullitione ipsorum inuenerit, amplius circa illud non laborat, sed potius super adepta cognitione gaudet, & vlterius contemplando, facile videtur posse proficere.

Respondetur, Debitam & assiduam animi applicationem ad excogitandum acutè, non multum quippe sensuum oblectationibus distrahi in his, qui mentem libentius quàm ventrem diù consueuerunt crebris meditationibus pascere; Excitationemq. spirituũ intellectui non minus, quàm sensibus deseruire, iuxta propensionem potentiæ applicantis. Nam sumpto alimento, vires omnes corporis instaurantur, producuntur noui spiritus, veteres fouentur, incalescit euaporatione cerebrum, multaq. veluti obruta simulacra caloris agitatione, ac spirituum illustratione quasi è latibulis, ac de tenebris eruuntur, quibus tandem recentia, ac perfectiora formantur phantasmata, in eisq. illa præcipue intellectus attendit, quæ hactenus non apparuere, vel ad rem aliquam concupitam facere maxime videntur: Et sic corpus quandoque reficiendo, plura contingit hominem excogitare, quibus mens simul expletur, & satiatur cupiditas perscrutantis. Vnde S. Thomas cum apud Francorum Regem die quadam commederet, ac silens in cibo capiendo solum videretur incumbere, repente; conclusum est (inquit) contra Manichæos

chæos, meliori pastus pabulo mentis. Quoniam vero crebrescentibus vaporibus cibi, auctoque calore, multis reuolutionibus ac nebulis cerebrum infestatur, nequeunt eadem simulacra diù consistere, ac sensui ad elicienda eiusdem generis phantasmata amplius deseruire, donec enubiletur sedes vbi oportet illa cum cæteris imaginibus, ac vaporibus commisceri. Ac propterea subtilia tunc excogitata, statim videntur quodammodo auolare: Quod si ad ea retinenda ac discutienda vim faciat potentia applicatiua, maiori exagitatione, maiorem obuolutionem parit, somnumque perinde magis conciliat; aut capitis dolorem inducit, mentisq. languorem.

QVAESTIO XIV.



CVR quæ memoriæ tenentur, & recitari quotidie consueuerunt, deterius à nonnullis pronunciantur? Quo enim sæpius memoriæ mandata proferuntur, eò firmius ac perfectius adhærere deberent, distinctiusque proinde suggeri, cum pronunciantur; lingua verò circa assueta, quæ pro opportunitate expeditè suppeditantur, minus potius, quàm magis hæsitare, aut balbutire in reliquis videtur.

Respondetur, quotidianis crebrisq. recitationibus celerem, promptamq. omnino reddi memoriam, ex ipsaq. eius promptitudine, ac celeritate quandoque fieri, vt instrumenta vocis ac locutionis minus apta, ac proportionata reperiantur ad expressionem conceptuum prouentium, eo quod proprios motus æquè properè perficere nequeant, prout opus esset ad sequendam memoriæ suggestionem: ac dum sequi conantur, facile syllabam, aut litteram prætermittant, quod est balbutire, aut certè alteram alteri syllabam iungere properè non possint, quod est hæsitare, vt docet Aristoteles. *11. sectione problematũ q. 30.*

Atque omnino ſimilis hæc paſſio eſt ei, qua melancholici nonnulli ex habitu afficiuntur, cum ad exprimendos proprios conceptus, lingua imaginationem ſequi conantur, & hæſitare proculdubio coguntur, vt aduertit idem Philoſophus: Impetus namque dicendi, ait, præruit, anteceditque facultatem eorum, vtpote, cum animus viſa ſequatur. Quod idem Balbis etiam accidere inquit, cum hos omnes membra voci accommodata tardiora habere certum ſit; nec ſemper lingua ſubminiſtrare intelligentiæ poſſit.

Quæſt. 32. eiuſdem ſectionis problematum.

QVAESTIO XV.



CVR validiore imaginatione, magnoque acumine præditis, præſertim circa nonnulla vehementer applicatis, vt celeberrimis Aſtrologis, Poetis, atque Pictoribus frequentius contingit aliquid eſſe admixtum dementiæ? Etenim ſicut non niſi defectu imaginationis adminiſtrationisq. internarum ſenſationum deſipit intellectus; ita quælibet perfectio imaginatiuæ, ſenſuſque interioris in perfectionem vſus intellectus refunditur, cui natura ſua ille ſubordinatur. Nec applicatione intellectus quantumuis nimia, & aſſidua, vſus rationis vnquam minuitur, niſi minuatur prius integritas, & adminiſtratio ſenſus, quæ ex interioribus inſtrumentis, ac diſpoſitionibus pendet. In quibus igitur, tum ſenſus vigorem, tum applicationem ſupponimus, intellectus quoque ſeu rationis pariter vſum vigere fatendum videtur iuxta ſuam perfectionem.

Reſpondetur flexibilitatem ingenij, imaginationisq. volubilitatem ac vigorem, vnde omnis aptitudo naſcitur ad effingenda, ac indaganda tam plura, vel etiam metro, aut pennicillo rappræſentanda, quæ picturis, aut carminibus exprimuntur; non niſi ex optima ac delicata organorum compoſitione oriri, qua fit vt ſimulacra rerum aut verborum

facile

facilè imprimantur, præstoque sint in opportunitatibus, vt variè copulentur, vel secernantur; & vt spiritus animales tanquam tenuiores, expeditiores, & agiliores sint ad id munus perficiendum. Quare Poetas nasci, habet prouerbium; quia nimirum fieri nequit, vt sola peritia quis excellat in arte poetica, nisi tali nascatur compositione organorum ac temperie præditus. Quoniam vero optima ac delicata organi constitutio facilè alteratur, ac læditur, vt loquendo de præstantissima oculorum compositione pronunciauit Plato: hinc est vt huiusmodi homines pluribus cerebri læsionibus, vel alterationibus sint obnoxij, faciliusque propterea in quibusdam deficiant, vbi totus non adhibetur conatus; & sic in errores nonnullos, ac falsas opiniones prolabantur, verificeturq. illud Isocratis, nullum esse magnum ingenium sine mixtura dementiæ. Accedit, quod ipsamet vehemens applicatio sensus, & intellectus ad vnum, assiduitate operationis instrumenta calefacit, & exiccat, spiritumque magis, ac magis attenuat simul ac minuit; Isque ferè totus in eodem genere cognitionis, seu operationis insumitur: Vnde validæ fiunt impressiones imaginum earum rerum, de quibus assiduè agitur; debiles vero aliarum, quæ hactenus non nisi per modum transeuntis obueniunt. Ex quo fit, vt illis apprimè cognitis, & inculcantis, reliqua penè tanquam despecta excidant, & ignorentur, vel non satis, nisi in ordine ad institutum, & per modum illius attendantur, ac proferantur, quasi nec loqui, nec excogitare daretur nisi de vno: Quapropter de se deditissimus Poeticæ Publius Ouidius ait:

Tristium lib. 4. Elegia 10.

Scribere conabar verba soluta modis;
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos;
Et quod tentabam scribere, versus erat.

Hinc ergo patet excellentiam imaginationis, acuminisque applicatam ad vnum, frequenter cum insipientia circa reliqua copulari: Imo ipsum in reliquis desipere per carentiam attentionis, & applicationis ad alia, ex-

cellentiam circa vnum iuuare. Et sic missis, quæ de furore poetico retulit Plato cum omnes Poetas insignes, diuino afflatu, mente captos præclara poemata canere ait: de Marco ciue Syracusano apud Aristotelem legimus, quod dum mente alienaretur, Poeta etiam præstantior erat: Et Lucretius, vt patet ex Petro Crinito, per interualla temporum ad carmen solebat accedere, non sine animi quodam furore, quo tandem percitus tantus vir obijt. Et vt plurimum licet tam Poetæ, quàm Philosophi, ac Mathematici studijs nimium incumbentes, tanquam stolidi in reliquis habeantur, eo quod à communium rerum notitia remoti, & à populari opinione vulgaribusque institutis alieni, nec patriæ, nec suis, nec sibi ipsis vsui esse valent in ijs, quæ ad hanc vitam transigendam necessaria indicantur: Nihilominus specialiter poetis, atque pictoribus tribuitur aliqua dementia, cum ij circa rappræsentationem tantum, vel præcipuè versando, totum intellectum videantur in imaginationem transfundere, quam ferè solam in suis muneribus adhibent.

In Io. ante med.

Sect. 30. probl. q. 1.

In vita Lucretij.

QVAESTIO XVI.



VO pacto fieri potest, vt eximio ingenio, summaque prudentia viri in rebus maximis occupati, libenter in facetijs detineantur, dictaque passim proferant tam ridicula, & acuta, ac si nihil aliud excogitarent? Qui enim circa seria versantur, & ad maiora, & grauiora capessenda reperiuntur natura ac sensu expediti, vtpotè digniora, ac intellectui adæquatiora adipiscendo, paruipendere potius, quam attendere, ac sectari viderentur nenia, ac futilia, quæ in facetijs, vt plurimum continentur. Siquidem vbi sensus hebetudo, aut incapacitas non obsistit, non

tam

tam iocus verborum, quàm dignitas obiectorum oblectat: Et quod iocis ac dicterijs impenditur, subtrahitur dignitati; quia non sine dignioris applicationis intermissione, ac subtili animaduersione excogitantur, & coaptantur verba, quæ mouere solent ad risum.

Respondetur huiusmodi dicteria, siue ridicula apophtegmata si considerentur moraliter, & in ordine ad praxim, nihil certe graue, nihil vtile ad honestatem continere, nisi fortè quid spectans ad Eutropeliæ virtutem, de qua agit Aristoteles, prout ludicra verba quandoque ad remissionem animi, & vrbanitatem conducunt: Si vero considerentur speculatiuè, maximam continere præstantiam, tum proprietatis verborum quibus conceptus explicantur, tum metaphorici sensus sub quo dicta procedunt per abstractionem, & applicationem quorundam æquiuocorum, collationis, & contrapositionis plurium, quæ sensum, & intellectum demulcendo eludunt. Et hac ratione huiusmodi genus iocandi non profusum, nec immodestum, sed elegans, ingeniosum, vrbanum ac facetum, vt Tullius præcipiebat, semper maximam habuit extimationem; Eoque non modo frequentissimè vsus est Cæsar Augustus, alijq. tum Græci, tum Latini magni consilij Imperatores, ac Reges, vt videre est apud Plutarchum; sed & Plautus, & Atticorum permulti; Eodemq. Philosophorum Socraticorum, & aliorum libri referti sunt; multaq. multorum facetè dicta quæque ἀποφθέγματα vocantur, à Sene Catone fuerunt collecta, vt idem Cicero ibidem testatur. Et quidem non modo, quæ in negotijs, & perturbationibus, ac vtraque fortuna emittuntur dicta atque responsa, vt ad Traianum scribit Plutarchus de Apophtegmatibus Regum, & Imperatorũ; sed quæ dum requiem capit animus, ad iocum repente prosiliunt, tanquam in speculis vniuscuiusque mentem perspicuè exhibent contemplandam; ita vt in ipso ioco semper aliquod probi ingenij lumen eluceat. Et quia in humana consuetudine frequentius accidit circa leuia, aut familiaria præsertim iocosa, quàm circa seria, & grauiora versari, magnoq. ingenio viri

4. Ethic. cap. 8. Et S. Thom. 2. 2. q. 72. ar. 2. & q. 108. art. 2.

Lib. 1. de offic. post medium.

propter agilitatem specierum, promptitudinemq. spirituũm ad omnia se præbent parati: hinc est vt sæpius ab illis liberaliter, ac facetè agentibus, acuta & iocosa dicta proferantur, vbertatemq. ingenij ac subtilitatem conceptuum, potius in illis, quàm in alijs elucere videatur, ac si studiosè, & ex professo illi, quod occurrit intendant.

QVAESTIO XVII.



QVAM ob causam homines statim fatentur se oblitos fuisse eorum, quæ memoria exciderunt, non autem se ignorare, quod non capiunt, aut non perceperunt? Vna enim, & eadem ratio videtur fatendi vtramque veritatem ex eodem etiam principio petita; nempe ex defectu organi, ac specierum, quæ vel tempore, aut in temperie abierunt, vel non satis adhuc eiusdem sedis ineptitudine disponuntur, & coaptantur ad formalem, ac totalem repræsentationem eius, quod obijcitur percipiendum.

Respondetur; Propriæ hominis excellentiæ hoc esse, vt in his, quæ illi prout homo est conueniunt, minus deficere fateatur, quam in his, quæ illi, vt animal competunt. Siquidem minus est in minoribus, quàm in maioribus à naturali perfectione discedere. Licet itaque tam defectus retentionis, quàm defectus perceptionis ab intemperie, ac praua dispositione organi oriatur: Nihilominus; quia intellectus defectum perceptionis magis, quam memoriæ tenetur supplere; eo quod non existentiam, sed vsum specierum tantum potest corrigere, phantasmata illustrãdo, ac dirigendo, sensusq. tenebras sua luce discutiendo: hinc est, vt quando aliquid ignoratur, secus ac in obliuione, defectus non tam sensui ac parti animali, quam intellectui, ac parti rationali communiter tribuatur; proindeque ignorans, difficilius incapacitatem, aut ignorantiam fateatur. Rursus vero facilius conuincitur homo se oblitum esse eorum, quæ referre,

aut

aut proferre minimè potest, quam se ignorare quæ re vera omnino non capit. Porro quas iam amisit imagines, aut sepeliuit obliuio, illæ neque apparere valent, neque mouere phantasmata quibus suadeatur homo se tenere quod excidit. At vero licet quandoque quis rectè non capiat id quod illi indagandum proponitur: potest tamen aliqua ex parte id ipsum pertingere, ita vt videatur illi totum capere, quod vix attingit; Et sic difficilius cognoscit se ignorare, quod non omnino intelligit. Imò ex hoc attenditur maior intellectus præstantia, vt cum ita in se ipsum potest reflecti, vt satis cognoscat in quibus deficiat. Cuiusmodi fuit Socratis, qui idcirco omnium sapientissimus habebatur, quod illi, quæ nesciunt, scire se putant, ipse se nihil scire arbitraretur; vt videre est apud Tullium. Vnde Seneca de tranquillitate animi: Puto (inquit) multos ad sapientiam potuisse peruenire, nisi putassent se peruenisse.

Lib. 1. Academic. quæstionum ad Marcũ Terentium Varronem paulo ante med.

QVAESTIO XVIII.



QVA ratione idem pulchrum, non omnibus pulchrum, sed aliter alijs videtur siue apparet? Pulchritudo namque corporis (ait Cicero) apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat, hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt. Porro eadem proportio, seu consensus partium, & adæquatio obiecti cum potentia, in omnibus eundem sortiri debet effectum formalem. Cur igitur, id quod vnius visui per talem proportionem adæquatur, eandem proportionem retinens, cæterorum visibus non congruit, proindeque nec pulchrum apparet?

Lib. 1. de offic. circa med.

Respondetur. Proportionem, seu correspondentiam partium in quibus pulchritudo formaliter constituitur, non tam à visu, quam ab interiori sensu dignosci, atque discerni, cuius est iudicare de singulis, ac ordinem materialem, & & absolutum formaliter magis percipere. Siquidem cunctas

ipsas partes obiecti simul tenet, ac potest inspicere cum ordine saltem materiali quoad inuicem disponuntur, nec cogitur successiuè in vnam post aliam obtutum figere sicut visus, eo quod non valeat simul; Quare magis ad cognitionem pulchritudinis formalis, prout est intellectus, interior sensus videtur accedere. At cum sensus interior hoc ipso, quod ad plura se extendit, maiorem in diuersis indiuiduis patiatur suæ conditionis varietatem, quam quilibet sensus exterior: & id quod concipitur, non nisi ad modum concipientis repræsentetur; hinc est, vt diuersimode idem pulchrum iuxta varias hominum phantasias à diuersis hominibus concipiatur; & sic vni magis, quam alteri pulchrum videatur, aut non videatur. Quamobrem licet pulchrum prout cadit sub visum, æquè ab hominibus, ac brutis percipiatur; nullum tamen inditium in belluis obseruamus, quo se illæ ad pulchrum ferri, aut pulchrum aliquid videantur sicut homines extimare, quamuis multa de Vnicornio, ac de Simijs circumferantur. Imò nec pueri pulchritudinem extimant sicut viri. Eidemque homini multa videntur pulchra adulta iam ætate, quæ dum erat paruulus pulchra minimè videbantur, vel non vt talia concipiebantur. Nec esset maior ratio, cur eadem pulchritudo eundem oculum nunc potius, quam olim oblectaret, nisi verum esset, pulchritudinem non tam oculo adæquari, quàm phantasiæ, quæ in diuersis ætatibus, aut indiuiduis ratione organi diuersam obtinet perfectionem; nec semper adiunctum habet intellectum cum vsu rationis, qua pulchritudo vltimò discernitur ac formaliter æstimatur: Iuxta quod Tullius cum asseruisset, omnem sensum hominum antecellere sensibus bestiarum: Primum enim (inquit) oculi in ijs artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fictis, cælatisq. formis, in corporum etiam motione atque gestu, multa cernunt subtilius, colorum etiam, & figurarum, tum venustatem atque ordinem, & vt ita dicam, decentiam oculi iudicant, atque etiam alia maiora: Nam & virtutes & vitia cognoscunt, iratum, propitium, lætantem, dolentem, fortem, ignauum,

Lib. 2. de natura Deorum.

ignauum, audacem, timidumque cognoscunt. In quibus omnibus proculdubio cooperationem, & adiumentum rationis inuoluit. Nam vt docet Augustinus, aliter animo imagines corporum figuramus, aut per corpus corpora videmus; aliter autem rationes artemq. ineffabiliter pulchram talium figurarum super aciem mentis, simplici intelligentia capimus: sicut aliud dixerat esse quod imaginarium conspectum facit, cum pulchrum aliquid, quod vidimus animo reuoluimus: aliud vero mente conspicere secundum quod opus illud placet. Quoniam vero licet ratio sit vna, vnaq. proportio secundum quam pulchra rationabiliter placent; non tamen vsus rationis omnibus æque conceditur; Nec eadem est vniuscuiusque perfectio phantasiæ aliarumq. potentiarum affectio: hinc est, vt siue sensus delusione, siue naturali quadam hominum propensione, sympathia, aut antepathia, multa perperam iudicentur, & appræhendantur interdum pulchra pro turpibus, vel turpia ac deformia pro pulchris; vel non ita, aut tantum, prout sunt à parte rei. Nam vt docet Aristoteles, quod per se tale est, non propterea sic esse videbitur; Vnde nec omnibus (dixerat) res eadem voluptati est, nec pulchrum idem lætitiæ, sed quod ad vsum aliquem suauius est, pulchrum videtur, quoniam rei, quam cupimus aspectus quoque delectat. Quo spectat illud Ciceronis de Quinto Catulo, qui Roscij pulchritudinem extollens ait.

9. de Trinit. c. 6

Sect. 10. probl. quæst. 51.

Lib. 1. de natura Deorum post med.

Pace mihi liceat cælestes dicere vestra:
Mortalis visus pulchrior esse Deo

Et tamen erat peruersissimis oculis; quia hoc ipsum (inquit.) Salsum, & venustum illi videbatur, & paulo ante retulerat illud:

Naeuus in articulo pueri delectat Alcæum.

addens: At est corporis macula næuus, illi tamen hoc lumen videbatur; ac plerumque in adolescentulis etiam vitia iucunda esse docuerat. Accedit nam sæpe pulchritudo confunditur cum venustate, cum sint valde diuersa. Nam sicut pulchritudo constituitur in membrorum apta con-

gruentia tanquam in proportione partium rei permanentis ita venustas, seu lepos constituitur in consensu ac proportione partium motus, qui successiuè in gestibus, in saltibus, in incessu, in nutibus, ac similibus attenditur, ac non minus delectat, vt cum quis leporem quendam, & salem in iocando, aut quomodolibet loquendo, vel gestiendo est consequutus.

QVAESTIO XIX.



VO pacto fieri potest, vt naturalis pulchritudo non modo visum, sed simul alios quandoque sensus commoueat, alliciatq. appetitum præ omnibus perfectionibus obiectorum? Etenim pulchritudine homines quauis epistola magis commendari dixit Aristoteles, nec apparet qua via pulchritudo tam efficaciter affectum demulceat aut alliciat. Nam iucunditas, quam affert oculis, percipi non potest ab alio sensu; cum nihil percipiatur à potentia extra latitudinem sui obiecti adæquati. Quo igitur pacto, vt ait Plato, sensus omnes formosus delectant?

Diogen. Laert. in vita Arist.

Respondetur, summas obiectorum sensibilium perfectiones hoc peculiare includere, vt quamuis ad sensus diuersos ipsæ pertineant; per communem tamen radicem quam sensus omnes habent in cerebro, singulæ proprium sensum afficiendo, reliquos etiam vel aliquos ex illis cõmoueant. Quod non modo verificatur in excitatione gustus, & appetitus per solam visionem pulchri commestibilis; vt cum diuino eloquio attestante, vidisset mulier quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuq. delectabile, & tulit de fructu illius & comedit: sed præcipue experitur in tactu, qui, vt docet Aristoteles, è sensibus homini exquisitissimus datur, ac visum æmulatur & sequitur. Tanta est enim quandoque oblectatio sensus interioris per species haustas ab aliquo sensu exteriori, tantaq. fruitio appetitus per adæquationem

Genes. cap. 3.

1. de Hist. animal. cap. 15. Et sect. 31. probl. quæst. 18.

tionem quam vtraque potentia consequitur cum obiecto, vt veluti liquescat ac diffundatur animus, & dilatetur cor, spiritus per vniuersum corporis habitum, cunctaq. membra dispertiendo. Quo fit vt potissimum sensoria cætera, vel saltem aliqua ex reliquis commoueantur; ab vnoq. vnius sensus obiecto, alij pariter ad iucunditatem per species connexas pulsantes animum excitentur. Quamobrem audita tantum concinna ac sonora aliqua voce acutissimè ac suauiter modulantis, tanta voluptate perfunditur animus, tantaq. commotione spiritus subleuantur, vt totus homo in gestientem lætitiam rapiatur. Ideoque Cyprianus de cantu mulieris differens, & ad animi noxam, quam nimia suauitate infert, alludens, ait: Cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. Quod si tanta vis conceditur voci, quæ imperfectioris valde sensus (nempe aurium) constituitur obiectum; quanta erit efficacitas venustatis ac pulchritudinis, quæ summa est perfectio obiecti, perfectissimi omnium sensus visus seu oculorum? Is enim sensus, ait Augustinus, maxime excellit, & est visioni mentis pro sui generis diuersitate vicinior; eumq. præ omnibus alijs, inquit Aristoteles, vt ita dicam eligimus. Vnde non tanta alacritate animum afficere possunt simul omnia oblectamenta sensuum reliquorum, sicut solus aspectus pulchri atque decori. Nec aliud sic horrere facit animum, quemadmodum turpe valde, seu informe ac monstruosum, vt patere potest in visis nocturnis, alijsq. insolitis deformitatibus, quæ obijciuntur. Quia nimirum nihil externa ad internum, ac intimum sensum & appetitum sic ducere valet, quemadmodum visus. Tum propter nobiliorem, & efficaciorem modum quo sua repræsentat obiecta, nempe per defecatiores ac puriores imagines, nulla interposita mora in quacumque distantia, nullaq. obsistente ipsorum obiectorum multitudine, aut molis vastitate. Tum quod sensuum hic, vel maximè nos cognoscere quicquam facit, multasq. differentias manifestat (inquit Aristoteles) nimirum vt colores tam varios, lumen luminisq. reflexiones, magnitudines, dimensiones, numeros, ordines, figuras, motus,

Cypr. de singularitate clericorum, quod opus adscribitur potius Origeni.

Aug. lib. 11. de Trinit. cap. 1.

Primo met. c. 1.

Primo met. c. 1.

tus, & actiones, distantiam & propinquitatem, proportionem denique partium, quæ pulchritudinem facit; Ita vt quod attentè aspicimus, totum per solos oculos videamur ebibere, cum animus tot simul differentias per illos combibat; secus ac per vnumquemque sensuum reliquorum. Vnde amore captis (vt Aristoteles obseruat) inspicere, est amabilissimum, magisq. illi hunc sensum, quam cæteros eligunt. Ac propterea Quintilianus: Vitijs nostris (inquit) in animum per oculos via est, cum scilicet corporum pulchritudine per oculos inuecta, ad concupiscentiam animus propensius inclinetur; ac iuxta illud: Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ; proindeque maxime custodire debet oculos quisque vt coerceat appetitum, ne in illicita prolabatur.

6. Ethic. c. 12.

Declamatione prima.

Thren. 3.

QVAESTIO XX.



QVO pacto sæpissime accidit, vt ex rebus in memoriæ thesauro actu asseruatis, quæ poscuntur non statim suggerantur, alia vero etiam nobis nolentibus in medium semper prosiliant & importunè occurrant? Nonne simulacra rerum æquè mobilia sunt, ac pro arbitrio suppeditantur, iuxta applicationem potentiæ sentientis? An hinc falso concludit Lucretius cum ait.

Lib. 4. post med.

Propterea fit vti quouis in tempore quæque
Præsto sint simulacra locis in queisq. parata.
Tanta est mobilitas, & rerum copia tanta.

Respondetur, Cunctationem memoriæ cum non statim suggeruntur quæ postulantur, duplici ex causa posse procedere. Primo ob tenuitatem impressionis imaginum, qua fit, vt facile cum alijs confundantur aut prætereantur, nisi maior adhibeatur attentio, & conatus potentiæ secernentis aut inquirentis, iuxta illud eiusdem Lucretij de ipsismet simulacris.

Et quia

Et quia tenuia sunt, nisi quæ contendit acutè.
Cernere non potis est animus; proinde omnia quæ sunt.
Præterea pereunt, nisi sic sese ipse parauit.

Maior autem attentio cum inquisitione, aut secretione ipsarum imaginum, maiorem patitur moram, quàm simplex perceptio per spontaneam veluti oblationem illarum. Secundo vero idipsum videtur procedere ex alteratione aliqua facta in ea cerebri parte, in qua species requisitæ conduntur. Siquidem nec omnes imagines per cerebrum vniuersum necessario diffundũtur, nec omnes cerebri partes eodem iugiter sunt temperamento dispositæ; ac nisi conuenienti temperatione humorumq. extrusione totum ipsum cerebrum disponatur, nullatenus pro sua naturali agilitate sensui famulari poterunt omnia simulacra; sed quædam (vtpotè in expedita ac purgata cerebri parte, & insigniter impressa) protinus sese offerent cum libuerit; imo pertinaciter animum pulsando in medium passim prosilient; quædam vero non nisi post inquisitionem, qua non modo ab alijs tanquam tenuia secernuntur, sed etiam quasi confricatione cerebrum incalescit, ac vt par est disponitur ad patiendum requisitum motum imaginum. Recte igitur talia de sua memoria prolocutus obseruat Augustinus cum ait: Ibi quando sum, posco vt proferatur quidquid volo, & quædam statim prodeunt, quædam requiruntur diutius, & tanquam de astrusioribus quibusdam receptaculis eruuntur: quædam cateruatim se proruunt, & dum aliud petitur & quæritur, prosiliunt in medium, quasi dicentia, ne forte nos sumus? & abigo ea manu cordis à facie recordationis meę donec enubiletur illud, quod volo atque in conspectum prodeat ex abditis. *Lib. 10. confess. cap. 8.*

QVAESTIO XXI.

Apud Plutarch. orat. 1. de Esu carniũ non longe à fine.



VR viuidiore, & acriore ingenio præditi, minus Ieiunium ferunt? Nonne Bœotij stolidi habiti sunt, quia edaces? aut quid magis menti potest conferre, quàm ab infestationibus vacare vaporum, qui è ventriculo cibis referto ad cerebrum solent ascendere? Vnde post digestionem promptius quisque discurrit, paruoque alimento contenti sunt, qui se speculationibus dediderunt, vtpotè spiritibus ad cerebrum euocatis, proindeque calore quo fouebatur ventriculus valde remisso. Quapropter non modo abstinentiam, sed & ieiunium frequenter ijdem sectantur, vt in apicem contemplationis facilius eleuentur; Adeoque ieiunium interiorem sensum erigere ac mentem ipsam attollere creditur, vt etiam belluæ videantur supra se ipsas propria cognitione, & aptitudine eleuari; Quod iocandi locum præbuit Iuuenali, cum dixit.

Graculus esuriens, si in Cælum iusseris, ibit

Item Persio quærenti.

Quis expediuit psitaco suum Chere
Coruos quis olim suum concauum salutare,
Picasque docuit nostra verba conari?

Siquidem respondit

Magister artis, ingenijq. largitor
Venter negatas artifex sequi voces.

Respondetur, Acre, ac viuidum ingenium, exiguas tenuesq. supponere partes homogeneas totius substantiæ corporis, ac præcipuè cerebri, vberemque spiritum, tam vitalem, quam animalem cum competenti calore. Neque enim promptitudo, neque celeritas, neque volubilitas in interiori sensu dignosceretur, quibus ingenium constituitur, exagitans, atque versatile, seu acre, ac viuidum; nisi tenuis, ac exilis esset substantia cerebri; sicut & caro, & sanguis corporis vniuersi mediocri suffulta calore natiuo influente, magnaque

que spirituum animalium copia & affluentia. Cum autem huiusmodi partes ac spiritus, quò subtiliores ac puriores sunt, eò facilius per calorem, & exagitationem, ac perennem motum iugiter deperdantur; maiorem postulant substantiæ reparationem, maiusque incrementum per assiduam generationem nouarum semper partium sibi succedentium, quæ materiam sumunt ex alimento. Quapropter Hippocrates loquendo de ijs, qui ieiunium, maximè, aut minimè ferunt, ait, minimè omnium pueros ferre ieiunium, præsertim, qui acriore, & viuidiore ingenio sunt præditi, vtpotè, qui propter ætatem, & complexionem ex partibus tenuioribus, ac resolubilioribus constant, maioremque propterea indigentiam contrahunt, vt quod calore & actione resoluitur, alimento assidue sarciatur. Quod si cum Ingenio, ac naturali aptitudine copuletur etiam studium, & applicatio circa speculabilia, noua pariter aderit causa huiusmodi indigentiæ. Quandoquidem per studium ac speculationem assiduam, non modo plures spiritus insumuntur, in quorum locum, alij recentesque debent substitui ac procreari; verùm non parum præassantur,& exiccantur humores calorq. ventriculi remittitur ac imminuitur, spiritu ad functiones cerebri euocato; quibus omnibus malencholica inducitur dispositio, quam semper concomitatur maior ciborum exigentia. Hinc autem non infertur, homines sic à natura institutos, edaces esse ac cibi nimium amatores; nam sicut longa inedia, sic ampla refectio illis quammaximè aduersatur, neutraque propterea ab ipsa illorum natura admittitur. Imò si diù absque nouo alimento eorum corpora in suo robore possent persistere, sufficientesque spiritus ad sensationis munia subministrare, nulli dubium est, fore vt melius se haberent ieiuni, quam cibis vel modicum grauati. Quoniam vero tota moles animalium, vt ait Galenus in perpetuo fluore est, ni similis altera substantia pro ea, quæ defluxit per alimoniam restitueretur, non modò sensationis munia nullo pacto possent obiri, sed & vniuersum corpus euaporaretur, ac dissiparetur. Itaque iuxta defluxum, & non aliter expetunt alimentum, quod

1. Aphor. 13.

Lib. 1. de sanit. tuen. cap. 2.

nimirum

nimirum vires reparet, non quod corpus prægrauet, ſenſumque obtundat, vel, vt ait Seneca, cuius copia ſubtilitas animi impediatur. *Lib. 2. epiſt. 15.*

Belluæ autem multa melius diſcunt ieiunio, non tanquam aptiorem diſpoſitionem adeptæ per illud, ſed tanquam ſtimulo vrgente ad attendendum id, quod præcipitur, ac ſine quo cibum non conſequerentur.

QVAESTIO XXII.



VID eſt, quod cæcos intellectu pollere, frequentius experiamur? Carentia enim viſus nihil in intellectum poteſt refundere. Imo dum anima eſt in corpore, intellectus à viſu plurium differentiarum cognitionem ſortitur, quàm ab alijs ſenſibus; Cur igitur ipſo deficiente potius quam olfactu, vel auditu, intellectum vigere magnopere, vt plurimum contingit; ita vt ad hoc nonnulli etiam oculos vltro ſibi eruerint, vt fama eſt de Democrito, alijsq. imitatoribus illius. *Petrarca de remedijs vtriuſque fortunæ lib. 2. Dialog. 96.*

Reſpondetur, per ſe quidem ſenſus omnes vulgatos, ac præcipuè viſum, ordinatos eſſe ad ſubminiſtrandum intus cognitionem ſenſibilium, tam phantaſiæ, quam intellectui, illa mediante, ideoque omnes intellectui deſeruire. Per accidens vero, quemlibet ſenſum externum, & internum, ac proinde intellectum in ſuis operationibus duplici ex capite poſſe impedire; cum ſcilicet per diſtractionem conatus animi, ac nimiam applicationem circa ſenſibilia præſentia, quæ non ſinunt intus ſufficienter attendere, atque abſtractiuo modo cognoſcere: tum etiam per diuerſionem ſpirituum animalium, qui cum ſingulis ſenſibus deſeruiant, tanquam communia ſentiendi inſtrumenta, quò magis ad externa ſenſoria feruntur, magisq. ſuæ ſubſtantiæ impenditur in illis; eò minus poſſunt intus ad interiora munera obeunda ſupplere. Quoniam vero hæc ambo maximè verificantur in viſu, quo plus, ac ſæpius longe, quàm alijs ſenſibus

diſtra-

abstrahitur animus, tanquam ad plures, ac nobiliores obiectorum differentias euocatus; & cuius sensorium, magnam ex cerebro assiduè recipit spirituum copiam per neruos opticos, ideo crassiores, & corpulentiores cæteris à natura constitutos; hinc fit, vt sicut qui alterum oculum amiserunt, altero acutius vident, ita qui vtrumque perdidit, acutissimè intus videat, collectis viribus, ac restricto conatu, necnon, & affluente spirituum lumine, quod prius ad oculos confugiebat. Vnde est illud Tiresiæ cæci Vatis:

Obruit ora Deus, totamq. in pectora lucem

Detulit;

Id quod in cæteris sensibus non ita contingit, cum præter tactum, & minus distrahant, minoremque postulent spirituum copiam; tactus vero nunquam deficiat. Quod si deficiente visu, deficiat internæ cognitioni subministratio plurium differentiarum obiectorum præsentium, hoc non tollit cognitionem abstractiuam penes quam attenditur discursus, atque imaginatio. Vnde idem Tiresias non modo Philosophiæ simul, ac fidibus, sed & Geometricis quoque descriptionibus operam dabat, & alienis manibus lineas protrahi iubens, suo de illis ingenio disserebat, vt narrat Petrarcha. Etenim licet de lumine, aut coloribus, qui cæci nati sunt, iudicare nullatenus valeant; cæteras tamen differentias corporum, quæ visu percipiuntur, non minus tactu, alijsq. sensibus consequuntur. Ideoque Lucretius.

De remedijs vtriusque fortunæ lib. 2. de Cæcitate dial. 96.

Lib. 2.

Nam cum cæcigeni solis, qui lumina nunquam
Aspexere, tamen cognoscant corpora tactu
Ex ineunte Aeuo nullo contincta colore,
Scire licet quoque nostra corpora posse
Verti in notitiam nullo circumlita fuco.

QVAESTIO XXIII.

De disciplina scolarium c. 4.



VR sanguinei colloquendo, malencholici verò secum cogitando, magis proficiunt, vt docet Boëtius? Nunquid non facilius viua voce quilibet eorũ instruitur, illeq. præsertim, qui naturali quadã stabilitate, ac persistentia ex atra bile prouenienti, semper ad audiẽdum ac discendum inuenitur paratior? An confabulatione sanguineus minus, quàm sua naturali alacritate distrahitur?

Respondetur, sanguineos, eadem ratione, qua ipsi facile distrahuntur à sensibus per sensationem vocis alterius, ad intelligentiam reuocari, intusq. vires & attentionem colligere. Iuuatur enim animus spirituũ mobilitate inconstans ad persistendum in vno, extrinseca voce ac gestu colloquentis, ac imagines identidem suggerentis; non modo quia magis excitatur ad cogitandum de illo, sed quia interius exteriusq. circa idem versando, minus ad alia distrahitur, insignioresq. intus promit imagines circa illud. Distrahuntur autem facilius à sensibus ipsi sanguinei, quia ad societates, & vitæ tranquillitatem valde sunt natura propensi. Natura enim sanguinis maximè ad lætitiam & voluptatem inclinat, probè afficiendo cuncta sensoria, in quibus sensus omnes benè se habent, & operantur ad proprium finem adipiscendum, vbi delectatio & gaudium constituitur. Continet namque talis natura calorem, quo maximè corpus roboratur, ac disponitur ad operandum. Deinde cum calore nihil acre, nihil austerum habet coniunctum; sed placidum humorem. Quo fit, vt eius exhalatione cum affine sibi aere per respirationem attracto, sicut explicat Galenus, spiritus plurimus, ac tenuis producatur, cuius abundantia, sensuum functiones exactissimè exercentur, & non minus laborum, ac speculationum impatiens, quàm lætabundus animus redditur, assiduaq. alacritate perfunditur, eo quod nouis, præsertim sensibilibus, semper delectemur, vt obseruat Aristoteles.

Lib. 12. de methodo meden. cap. 5.


Lib. 10. Ethic. cap. 4.

Contra verò malencholici, vt qui frigidam, & siccam com-

complexionem habeant,proindeq. ad austeritatem,ac tristitiam potius vergant,solitarij sunt ac taciturni,valentq.potius secum agendo,& consortia fugiendo, multa addiscere & excogitare,assiduè meditantes : tum quia ad intellectũ potius, quàm ad sensuum oblectamenta sunt natura dispositi, si ad temperandam eorum frigiditatem calor aliquis accesserit; cum in his, quæ quilibet consequi potest,delectari etiam ipsum contingat : tum etiam quia perdurare magis possunt, quoniam robur in materia densiore est, imaginesq. tenacissimè asseruantur, & applicatio naturaliter prompta & intensa est, vbi non adest distractio. Quare malencholico locis secretis, & angulosis, strepituq. carentibus, lucisq. parum recipientibus studere opportunum esse, inquit Boetius; sanguineo verò omnibus ædibus, vel locis, quem ludendo (inquit) sæpius nouimus confoueri grauissima quæstione,quàm si obliquantibus irquis parietes solus occilaret; tamen in hoc, ait, semper non esse confidendum.

De disciplina scholarium c. 4.

QVAESTIO XXIV.



CVR qui sublimi intelligẽtia pollent,tactu etiam valeant exquisitissimo?Is enim sensus materialior est omnibus,atque ignobilior; cum ratione tactilis obiecti, ac modi, quo versatur circa illud per materialem adhæsionem absq; vlla distantia; tum ratione organi,seu subiecti, cum per totum corpus,eiusq. vilissimas partes diffundatur,nec non solus in imperfectissimo, ac vilissimo quoque animali reperiatur. Quid igitur commune illi cum nobilissima facultate intellectus,aut sublimitate operationis illius,quæ vix pendet à perfectissimo omniũ sensu,qui intrinsecus residet,perfectissimumq obtinet domicilium,quale statuitur cerebrũ ab omni tangendi facultate solutũ,longèq. diuersa,ac nobiliori dispositione munitũ?

Respondetur,temperamentum ac dispositionem,quæ tangendi instrumenta apta constituit ad suũ munus exquisitissimè obeundum,optimam quoque indicare tẽperiem,dispositionemque,tũ cerebri,tum omnium,quę ad internã sensatio-

nem concurrunt. Nam vnde mollitudo carnis, sanguinis tenuitas, vberior, ac purior spiritus, neruusculorum fibrę aptius disseminatæ, exilis proinde cutis, patentes meatus, & similia, quæ ad exquisitam functionē tactus deseruiunt, oriri dicuntur: inde pariter, & copia substātiæ cerebri, & apta figura, decens raritas, ac mollitudo, spiritus plurimus, expeditę neruorum soboles ad excipiendas rerū imagines, & si quę sunt alia ad rectè sentiendum interius requisita proueniunt: cum hæc omnia sibi constans natura, virtute seminis, ac temperamenti æqualiter moliatur, eademque sit materia disposita, quæ ad vtrumque subministratur. Licet enim ex perfectissima natura totali, non modo sensoriū commune ac sensorium tactus; sed omnia pariter sensoria in suo genere aptè disposita oriantur; peculiaris tamen, ac necessaria est proportio dispositionis inter sensorium cōmune, & sensorium tactus. Etenim hoc per omnes, ac singulas partes sentientes animalis diffunditur, & cum illis cōplicatur, eademq. proinde est dispositio, ac tēperatio illius, ac vniuersi penè corporis animalis. Secus ac reliqua sensoria, quæ priuatam tantum partem obtinent, diuersamq. adhuc dispositionem requirunt, tametsi compossibilem cum illa. Quapropter iuxta dispositionem sensorij tactus, quę simul est dispositio totius ferè animalis; disponi etiam debet sensorium commune, quod cum singulis partibus totius corporis communicat. Eademq. temperatio, & æquabilitas cōplexionis totius corporis animalis, quæ ad perfectam constitutionem cerebri conducit, perfectum etiam constituit organum tactus, qui vt docet S. Thomas, tanto perceptibilior est, quanto magis organum illius reductum fuerit ad æqualitatem complexionis, nempè medium, inquit, inter calidum, & frigidum, humidum, & siccum. Vnde cutis ex interiori parte manus, quæ, teste Galeno, temperatissima est omnium partium animalis, tactu pollet exquisitissimo, eaq. multo melius, quàm cæteris tactilia quæcumque discernimus. Accedit, quod nerui in quibus præcipuè constituitur sensoriū tactus, omnes quidem propagantur ex cerebro, eiusq. naturā participant; & optimus, ac tenuissimus spiritus animalis, qui facti- lius

1. p. q. 76. art. 5.

Lib. 1. de temperam. c. 9.

illius per corporis mēbra diffusus, expeditiusq. discurrēs, viuaciorem tactū constituit, non nisi puriorem, ac temperatiorem cerebri substantiam, vbi conficitur, apertè demonstrat. Cum igitur maior, vel minor præstantia sensus interioris, vt plurimum ex aptitudine organi oriatur, & operatio intellectus in homine, ipsam sensus eiusdem perfectionem sequatur; mirum non est, si ad excellentiam tactus correspondeat intelligentia viri perfectior, atque præstantior; ita vt in genere hominum, ait Aristoteles, secundum sensorium tactus ingeniosos esse, & non ingeniosos reperiamus; secundum autem aliud, nullum. Siquidem reliqua priuata sensoria minimè valent cerebrum ad sui proportionem aliquo modo disponere. Quare in alijs, ait Aristoteles, superatur homo ab animalibus multis, secundum autem tactum multò quam cætera excellentius operatur: Vnde infert, & prudentissimum animalium est; omnes enim cernimus malè, si cum Aquilis, & Lynce comparemur; & confusè, oblæsèq. audimus, si cum Melampode conferamur, ait Galenus. Olfactum etiam hebetissimum omnium animalium habemus, vt notat idem Philosophus; tactum verò certissimum aliorum animantium, ad quem reducit, & gustum. Quod si in genere hominum, viri prudentiores sint mulieribus, in quibus maximè tactus vigere putatur propter lenitudinem, ac mollitiem carnium: obseruandum est, mollitudinem, quæ aptam dispositionem tactus præmonstrat, non esse illam, quæ plerumque in fœminis nascitur ex abundanti humore minus cocto, vel temperato, aut ex pinguefaciente pituita; neque illam, quæ arte, & industria quæritur, vt ait Themistius, sed illam, quæ ex perfecto temperamento, ac partium subtilitate, & raritate, quæ non minus in viris, quàm in mulieribus reperitur; quamuis frequentiori exercitatione, ac labore, maior aliqua durities in viros inducatur. Quapropter plures viri, quàm mulieres disciplinarum capacitate, ac prudentia præstant. Cum alioquin verum sit, quód Socrates aiebat, mulierum quoq; sexum non minus esse docilem, & ad disciplinas, & ad omnem virtutem, si diligenter instituatur.

2. de anima tex. 94.

Ibidem.

De sanit. tuend. lib. 1. cap. 5.

De sensu & sensili. cap. 4. Et sect. 10 problem. quæst. 20.

QVAESTIO XXV.



VR declamatores orando sæpissimè cantilenam quandam efficiunt non sinentes verba, prout naturaliter sonant profluere? Nonne facilius verba suppetunt naturali, & consueto more prolata, seù cum sono, quo ab hominibus communiter consueuerunt proferri? Cur ergo tonus quidam, ac rhythmus inducitur contra pronunciationem hominibus assuetam?

Respondetur, tonum illum, seù voculationem declamatorum propter determinationem, & æquabilitatem soni, quam includit in prolatione verborum, iuuare memoriam non secus ac metrum, aut modulos cantilenæ. Cuncta enim verba, quæ musicum aliquem numerum, & proportionem continent, vt in omni concinendi genere, facilius adhærent memoriæ, promptiusq. propterea sese offerunt proferenda, *Sect. 19. probl. quæst. 38.* mouentq. nos, vt ait Aristoteles, pro sua æquabili serie ordinatè: Motus enim, inquit, familiarior naturæ est ordinatus, quàm inordinatus, ac proinde secundum naturam hic magis esse probatur. Vnde homines priusquam litteras scirent, leges cantabant, ne eas obliuioni mandarent. Quod etiam sua tempestate Agathyrsis in morem fuisse, testatur *Ibidem q. 28.* idem Philosophus. Cum igitur declamatores, & verba ipsa, quæ proferunt, & sensus verborum, pronunciationemque cogantur attendere, nempè actionem, quæ motu corporis, quæ gestu, quæ vultu, quæ vocis conformatione ac varie- *De orat. non longe ab initio.* tate, vt ait Cicero, moderanda est, si minus firmiter, quæ prolaturi sunt, teneant, statim in cantilenam incidunt; vtpotè qui tot, ac tam varias vocum inflexiones, accentus mutationes, ac similia nequeant simul attendere. Sicut enim facilius est citharedando simpliciter deambulare, quàm iuxtà sonum choreas ducere, ac artificiosè simul saltare; ità facilius est vnisona quasi voce reddere, quæ intus in memoria sonant, quàm accurata pronunciatione iuxtà sensum

verborum, ac rerum dignitatem, vocem & actionem multiplici varietate, ex Rhetorum præcepto moderare.

QVAESTIO XXVI.



VR mane proprio marte facilius verba componimus, aut philosophamur; serò autem aptius aliorum scripta intelligimus, aut interpretamur? Eadem namque videtur aptitudo requiri ad iudicium ferendum de alijs, quo pacto procedant, vel quid sibi dicere velint, ac ad proferendum, quæ circa aliquid nos internè sentimus. Non enim alia est occultarum rerum inquisitio naturalis, qua proprio marte philosophamur; alia verò qua aliorum abditos sensus ex verbis indagare conamur. Sicut non est alia interpretatio naturæ ab interpretatione sensus, & vocis; & non minus aliorum interpretando, quàm nostra pangendo de rebus iudicia, placitaque, conceptus probè, vel prauè formamus.

Respondetur ad proprium conceptum intus de rebus formandum, vel promendum exterius, maiorem vtique impressarum specierum suggestionem, maioremq. promptitudinem requiri memoriæ, vt mens proximè fœcundata pariat, habeatq. intus parata, quæ suo iudicio approbare, vel refellere componendo, vel diuidendo, ac discurrendo possit, vt cum placuerit voce foris emittat, verbisque, aut scripto significet. Nàm quod in iudicio ferendo de alijs præstant eorum dicta, vel scripta: in propria compositione præstare tenetur memoria. Idem enim est proprio marte componere, atque discurrere, ac litteras, & syllabas promendo, in libro memoriæ legere. Cum igitur mane promptior se præbeat memoria, faciliusq. suggerantur quæ in ea species asseruantur, mirum non est si aptius quoque proprio marte, & noui conceptus formentur,& verba melius componantur.

Contra verò, quia serò,vel procedente die exiccatur magis ambiens aer, & incalescit, non minus quàm cerebrum

agitatione spirituum, & operationum mentalium: Et quoniam, vt inquit Aristoteles, multa iam perreptauimus; propterea minus tunc deseruit memoria, minusq. intellectus ex se valet promere; magis tamen de ijs, quæ offeruntur iudicium ferre, cum siccitate purgata omni labe, quæ in cerebrum fortè noctis humore deesse non poterat (nam subpingue per accidens nonnunquam redditur saltem ad tempus) aptior sensus redditur ad perspiciendum ea, quæ vice memoriæ, scripta ex se offerunt contemplanda. Quamobrem Aristoteles cum exercitationes litterarias diuisisset in matutinas, ac vespertinas, vt refert Gellius; matutinis horis occultiorem philosophiam speculabatur, ac litteris tradebat; vespertinis autem, Rhetoricæ, & Poeticæ aliorum scripta euoluendo, vt Esiodi, vel Homeri, ac præcepta ab illis desumendo, operam dabat.

Sect. 30. probl. q. 4.

Aul. Gell. lib. 20. cap. 4.

QVAESTIO XXVII.



CVR acuta responsa, vel dicteria, potius illicò in promptu, quàm diù cogitando obueniunt? Nonne inquirendo, ac diutius excogitando plura inueniuntur, eaq. aptius disponuntur, vel certè melius discernuntur, vt quæ magis congruunt proferantur? Aut quid est, quod statim, non autem in tempore sese possint offerre?

Respondetur, id quod acumen, vel etiam sal nuncupatur in dictis, formaliter non nisi in quadam verborum, aut obiectorum relatione consistere, qua nimirum res, quæ significantur peculiari quadam formalitate, aut verba, resonantia quadam, vel collusione ad inuicem comparantur. Siquidem aut in re, aut in verbo venustas dictorum posita est, & vt in grauibus sententijs, sic in facetijs, aiebat Cicero: Nam quod quibusque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur: Quod autem mutatis verbis salem amittit, in verbis habet omnem leporem. At siue in verbis, siue in rebus, siue coniunctè in vtrisque, id quod peracutum, & salsum se

Lib. 2. de oratore longè post med.

præbet,

præbet, ac mirificè audientes delectat, formaliter aliud non est, nisi correspondentia illa proportionis, vel improportionis, quæ secundum quidpiam in obiectis elucet, aut resonat in significatione, quæ concinnis, ac perpaucis verbis continetur; vt obseruare est in cunctis dictis, & apophtegmatibus illustrium virorum, quæ apud multos tantopere celebrantur. Quoniam verò reconditæ, ac subtilissimæ illæ formalitates abstractæ, ex quibus rerum similitudines, ac dissimilitudines, proportiones, ac improportiones, & cætera huiusmodi desumuntur, simul obijci debent ad hoc, vt ad inuicem conferantur, & quò subtiliores, ac abstractiores sunt, eò facilius euanescunt, ac spontè potius oblatæ, quam longo studio requisitæ in mentem venire consuescunt: Hinc est, vt cum obueniunt, non nisi in promptu capiantur, ac sicuti vnico ferè mentis intuitu ad inuicem comparantur, ità statim, ac paucissimis verbis exprimantur. Vnde acumen vno sæpè in verbo positum esse, ait Cicero, maximè respondentis. Omninò enim probabiliora esse dixerat, quæ lacessiti dicimus, quàm quæ priores, nam & ingenij celeritas maior est, quæ apparet in respondendo cum aduersariorum aculeis feritur, & ducitur animus, ipsaq. in altercatione adeò exagitantur simulacra, vt multa, quæ latebant, facillimè, ac citissimè, offerantur. Sicq. aliquando arripitur ab aduersario verbum, & ex eo in eum ipsum aliquid, qui lacessiuit infligitur; vt contigit illi, qui cum Antigono exprobrasset, quod pecunias acriter exigeret, dixissetque, Alexandrum, talem non fuisse: Et meritò (respondit Antigonus) nam ille Asiam demetebat, ego verò spicas lego. Alioquin lacessentes quoque nihil omninò præmeditantes, nonnunquam ita repente verba iaciunt, vel emittunt, atque in dicteria erumpunt, vt ea etiam cupientes tenere nequeant, aut hactenus excogitare; simulacrorum copia tunc ad rem pertinentium confluente, ac interiori sensu intellectui phantasmata vberrimè, ac celeriter ministrante.

Ibidem.

Plutarch. in Regum, & Imperatorũ Apophtegm.

QVAE-

QVAESTIO XXVIII.

De somn. & vigil. cap. 3.



VI fieri potest, vt nonnulli dormiendo surgant, ambulent, multaq. faciant opera vigilantium, vt obseruat Aristoteles? Si somnus in doctrina eiusdem Philosophi est occupatio, atque ligatio interni sensorij, vbi residet sensus communis, & vnde animal habet, & posse moueri, & externè sentire, ac in cunctis suis operationibus regi, & dirigi; quo pacto præoccupato principio sensus, ac motus, & palpare valent homines in somno, & videre eo modo, quo qui vigilant, vt ait Aristoteles, surgere, & arma capere, domum vniuersam lustrare, ac euertere, vel pleraque similia agere, vt de amico suo, qui ad gallinarum locum profectus fuerat, narrat Philoponus.

Lib. 5. de generat. animal. c. 1

Respondetur somnum esse quidem ligationem sensus communis, aut interni sensorij, quatenus per euaporationem ascendentem in cerebrum impeditur transitus spirituũ animalium ad priuata sensoria, quibus mediantibus sensus communis, vt talis est, propriam functionem exercet, proindeq. fieri, vt cessante influxu, & cooperatione sensus interioris, quiescant sensus externi: At hoc vt plurimum non verificari nisi de quatuor sensibus externis, qui sunt in facie, ac per primas neruorum cõiugationes dependent ab anteriori parte cerebri in duos priores ventriculos distributa, vt animaduertit Galenus. Cum alioquin tactus, & motus, qui per cæteras coniugationes neruorum à posteriori parte cerebri ortum, ac dependentiam habent, etiam dormiente animali exerceri valeant. Quandoquidem vapores exhalantes à ventriculo, non nisi anteriorem partem cerebri, quæ maxima est, infestare solent. Ad posteriorem verò, quæ cerebellum dicitur, tanquam valde remotam, vix valent pertingere. Quare mouendi virtus, quæ ibi residet propè ortum spinalis medullæ, indeq. spiritus per neruos distribuit, soluta penè manet, ac libera, nec ab operatione interdicitur: Cumque ima-

Lib. 9. de vsu part. cap. 8. & sequentibus. Et lib. 16. cap. 3.

imaginatione, ac extimatione regatur, quæ inter dormiendum persæpè non aliter ac in vigilia procedunt, vt constat ex pluribus rationabilibus somnijs; hinc est vt etiam dormiendo, moueri possit animal præsertim homo, multaq. facere opera vigilantium, imaginationis ac extimationis ductu, ac si propriè somniaret: Siquidem huiusmodi operationes non nisi in profundo somno ex nimia euaporatione cerebrum penitus obumbrante impediuntur, secus ac operationes, quæ dicuntur sensus communis, quæque ferè omnes, ac semper propter adductam rationem ligantur. Verum per quascumque cognitiones somnambuli regantur, ac dirigantur, nunquam propriè dicentur per illas vigilare, nec somniare, vt expresè patet ex Aristotele: Accidit enim, inquit, dormientibus etiam animalibus sensus, non modo, quæ somnia vocantur, sed etiam præter somnia, vt ijs, qui dormientes resurgunt, & quidem pleraque agunt sine somnio. Ratio autem est, nam quæ per somnium percipiuntur, non percipiuntur nisi solo sensu interiori abstractiuè operante, ac nulla cognita reali præsentia obiecti: à somnambulis verò multa percipiuntur intuitiuè cum reali eorum præsentia per tactum, aut visum oblata, vt patet experientia, & ex eodem Aristotele. Deinde ex alio capite; nam vigilando, animal non solum vno, aut alio sensu, sed omnibus valet sua obiecta dignoscere. Quapropter meritò, ait Galenus, quod vigilia est intentio animæ à principio ad corporis partes omnes atque particulas. Vnde qui aliquibus tantum partibus potest intendere, non dicitur vigilare, vt qui cæteris sopitis sensibus tantum palpat, vel audit. Nam interrogati nonnulli dormientes, respondent, & Loth dormiendo filias cognouit sopitus à vino.

Lib. 5. de generat. animal. c. 1.

Ibidem.

In adscriptis finitionibus medicis non longè ab initio.

Genes. cap. 19. Pererius ibidem disp. 7. num. 41.

Difficile tamen est, quod adduximus ex Aristotele, nonnullos etiam dormientes videre eo modo, quo qui vigilant; sed si ita est, non aliter contingere posse censendum est, quàm cum quis inter caliginem circumfusus, aut nimia ebrietate correptus, nec perspicuè aliquid videre, nec firmiter obtutum in rem determinatam figere valet: Motus

enim

enim plurimus fit in dormientibus circà commune sensorium, calore intus refluente, ac vaporibus ascendentibus, non secus ac in ebrietatibus. Imperfectè igitur eis quandoque, licet rarò videre relinquitur, cum scilicet sedatur aliquantulum motus, enubilaturq. aliqua ex parte cerebrum fumosa caligine circumfusum; ita vt saltem aliquibus spiritibus pateat aditus per neruos opticos ad oculos descendendi: Nam simile quidpiam conceditur gustui, & auditui, vt hactenus notauimus ex Aristotele, qui nonnullos ait in somno sentire aliquo modo, & sonos, & lumen, & saporem, & tactum, languidè tamen, ac veluti procul. Et rursus aliquibus ait contingere, vt melle, ac dulcibus saporibus in somno perfrui videantur, minima pituita defluente. Sed quia de tactu, ac potentia motiua, vt vidimus, ratio est valde diuersa; idcircò frequentius accidit ijs tantum vti dormientes, qui dicuntur somnambuli.

Lib. 1. tract. 3. cap. 3. De somnijs cap. vlt. propè finē. De diuinat. per somnium cap. 1.

QVAESTIO XXIX.



VA ratione nonnulli, id quod apprimè capiunt, exprimere minus, aut nullatenus valent? In lingua enim sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati, ait Ecclesiasticus. Quo igitur pacto eos, qui nec doctrinam, nec scientiam, aut sapientiam in verbis valent ostendere, maximè scire, ac sapere comperiemus?

Cap. 4.

Respondetur mentis conceptum de quaque re distinctè, ac perspicuè, vel obscurè, & confusè ab aliquibus explicari, pluribus ex caussis procedere. Quarum prima est ipsa diuersitas conceptus formalis. Nam sicut idem diuersimodè formaliter concipi, ita diuersimodè explicari contingit. Quidam enim res concipiunt secundum notas omnibus formas, vt sensibiles imagines, & consuetas quasdam abstractiones distinctè, ac dispositè, veluti per cathegoriam digestas: Atque hoc modo res ipsas conceptas perquam facile,

& aper-

& apertiſſimè exprimunt. Alij verò, licet res in principio ſecundum notas omnibus formas concipiant, non tamen ibi ſiſtunt, neque validam illarum impreſſionem admittunt, ſed vlterius pergunt ad noua ſemper abſtracta, nulla veluti ſerie ordinata, ita vt ſemper ad altiora, & vniuerſaliora ſe erigant, & ex eadem vniuerſalitate, ac diuerſitate confuſionem neceſſario contrahant. Et hoc pacto cum ad explicandam animi ſui notionem verba non ſuppetant, complicatè omnia prout norunt, coguntur exprimere.

Idemque deinde ex eo conſtat procedere, quia ad aptam explicationem, & expoſitionem intelligentiæ ſuæ, non ſatis eſt claritas, ac diſtinctio terminorum cum proprietate ſermonis; ſed opus eſt ſæpè variare modos verbales, ſub quibus idem æquè bene multifariam explicatur. Nam cum omnis vis, ratioq. exprimendi penes capacitatem eorum, qui audiunt attendenda ſit, coarctandus non eſt conceptus noſtræ mentis ad peranguſtam quandam, ac determinatam exprimendi formam, ſed potius idem per diuerſa debet ſignificari, vt ſi vno modo audientem lateat, alio non aufugiat.

Huic autem cauſæ accedit alia, quæ eſt ſeries, ac methodus in explicando, quia parum eſt rem apertis, ac varijs verbis amplecti, niſi à primis, & notioribus articulatim, ac diſpoſitè ad vlteriora, ac ignotiora procedatur. Denique etiam in cauſa eſſe poteſt tarditas, aut velocitas, qua conceptus, & verba ſuppeditantur. Nam velocitas obruit ſenſum verborum, atque conceptuum; plura enim veniunt quàm quibus vox vna ſufficiat, ait Seneca, nihilq. eſt ordinatum, quod præcipitatur, & properat. Tarditas verò in ſubminiſtratione conceptuum, vel locum admittit alienis, atque improprijs verbis, quæ ſubſtituuntur vice illorum, quæ præſto eſſe non poſſunt, nè loquutio intermittatur; vel ſaltem ipſamet inopia, & exilitas minus intentum auditorem habet; vt idem Auctor adiecit, tædio interruptæ tarditatis; & ſic ſermo clarus, & explicatus eſſe nullatenus poteſt reſpectu audientis. *Epiſtola 40.*

Ex

Ex quibus omnibus colligitur quo pacto nonnulli multa, quidem, & optimè capere, siue intelligere possint, quæ tamen non satis valent exprimere; nam aliqua ex prædictis causis præpedita vel confusa, expressione non tollitur, quin intelligentia quoad substantiam suum munus perquam facilè obeat. Quod ex eo planum fit, quia semper inter ipsa, verba, quæ multiplici ratione confusè, ac subobscurè iaciuntur, vel potius ruunt, intermicant aliqua, quæ rem ipsam, intelligentiamq. si non dilucidè, verè tamen significant, atque ostendunt. Quamuis perfecta capacitas, atque intelligentia absolutè censenda sit ea, quæ vnà cum substantia, ac formalitatibus rerum abstractis, ordinem etiam, ac distinctionem seruat conceptuum, methodumq. in illis subministrandis, vt oratio ad exprimendos animi sensus reperta, non confusionem, sed scientiam arguat exprimentis; Etenim omnis scientia, omnisq. doctrina peculiari quodam ordine tanquam propria forma construitur. Et hinc meritò iuxta, sacrum eloquium, vtraque in verbo, ac lingua fatemur dignosci; Etenim dicere nemo potest (ait Cicero) nisi qui prudenter intelligit. Siquidem cum verba sint earum, quæ in anima sunt passionum notæ, vt ait Aristoteles, quisque prout loquitur, ita censetur sentire, atque intelligere, talemque intus esse, qualis foris; neque enim vlla, vel breuissima sylla- ba in ordine suo (ait Augustinus) nisi prospecta sonuisset. Vnde loquere, dicebat Socrates, vt te cognoscam. Nec vnquam fuit valdè sensatus vir peracutus, ac prudens, qui prauè, aut confusè loqueretur, vt falsò nonnulli autumant. Nam licet non omnes abundanter, & ornatè sicut Plato, vel Cicero; propriè tamen, distinctè ac illuminatè omnes loquuti sunt, vt patet ex eodem Aristotele, cui obscuritas aliqua in dicendo tribuitur. Nam præter libros in quibus de industria obscuritatem adhibuit, reliqui tanto nitore clarescunt, vt propterea Cicero ipsum Aristotelem aureum eloquentiæ flumen appellauerit. Et Socrates, sicut posteà *Lysias*, Hippocrates, & alij subtilissimè disputando, licet con-

De claris orator. non longè ab initio.

Lib. 1. de interpret. cap. 1.

Lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 23.

 cisionem

cisionem quandam in dictis seruauerint; magnum tamen semper lumen ostendunt, nihilque clarius, aut limatius, ac breuius exprimi potest; graues enim fuerunt verbis, crebri sententijs, compressione rerum breues, sermone tandem proprij, ac peracuti; quamquam forensi amplitudine, Rhetorumq. obseruationibus, ac vberrimis illis ornamentis caruerint. Nam quæ veritati operam dat oratio, incomposita debet esse, & simplex, vt rectè ait Seneca. Verumtamen omni arte seclusa, ipsa natura (inquit Cicero) circumscriptione quadam verborum compræhendit, concluditq. sententiam, quæ cum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerosè; Nam & aures ipsæ quid plenum, quid inane sit iudicant; Et spiritus quasi necessitate aliqua, verborum compræhensio terminatur.

Epist. 40.

De claris Oratoribus non longe ab initio.

QVAESTIO XXX.



CVR qui Ecstasim patiuntur, sani alioquin mente & corpore, multa sese videre, aut audire existimant in vigilia, quæ nullo pacto vident, vel audiunt? Iudicium enim de actuali, ac præsenti sensatione externa pendet ab illius reali, & ab actuali exercitio, ex quo recens semper species resultat, qua intus trāsfusa, discernit animal quod foris agnouit quadam communi particula, vt ait Aristoteles, omnium sensoriorum, nè passim decipiatur in vigilia, sicut in somnis, confundatq. cognitionem intuitiuam cum abstractiua, & apparentiam cum realitate obiecti. Quo igitur pacto Ecstatici quantumuis experrecti, nihil verè exterius sentientes, nullaq. imagine de foris adueniente, tam plura sese videre, & audire putant, nullatenus præsertim desipiendo?

De somno, & vigilia cap. 2.

Respondetur, Ecstasim secundum vim cognoscitiuam in multis quidem cum somniantium somno, similibusq. passionibus conuenire, ratione quorum in dignoscendis obiectis, apparentia cum realitate confunditur. Nam & dormientes

quan-

quandoque sibi vigilare videntur, & multa exterius percipere, quæ non nisi imaginariè sentiunt; Et pueri in tenebris, quamuis omninò expergefacti, multa simulacra tanquam oculis obiecta apprehendunt, timentesq. sibi, faciem velant ne videant: Aliiq. variis passionibus decepti, vt ait Aristoteles, à modica similitudine, ille quidem videtur sibi videre hostes, hic verò dilectum. Quapropter ne in æquiuocum laboremus, sigillatim obseruandum est in quibusnam Ecstasis cum prædictis aliis passionibus conueniat, in quibus verò differant inter se, vt exindè luculentius constare possit causa vniuscuiusque deceptionis.

De somniis c. 3. Et cap. 2.

Supponimus autem Ecstasim aliud non esse nisi excessum quendam siue alienationem, qua quis extra suam ordinationem, & cognitionem sibi propriam ponitur, vt docet S. Thomas; vel vt docuerat Diuus Augustinus, aliud non esse, nisi auersionem mentis à consuetudine corporali ad visum quoddam contemplandum alienum à præsentibus; fieriq. huiusmodi alienationem, seu auersionem, vel passione aliqua naturali cognitionem ad vnum quippiam assumente, quemadmodum accidit Antipheronti Oritæ, & aliis, vt refert Aristoteles, sicut etiam Epimenidi Cretensi, & Aristeæ Proconesio Poetis, & Philosophis clarissimis, vt refert Fulgosius; vel inspiratione aliqua diuina animum rapiente, vt pluribus sanctis viris, ac mulieribus contigisse testantur Historiæ.

S. Thom. 1. 2. q. 28. art. 3. in corp. Et 2. 2. q. 175. art. 2. ad 1
D. Aug. super Psal. 103. concione 3.
De mem. & remin. cap. 2.
Lib. 1. cap. 9.

In hoc igitur primo Ecstasis, vt plurimum cum somniantium somno videtur concurrere, quod vtraque passio sit alienatio mentis à sensatione externa, & conuersio ad aliquid interius intuendum. Quarè Ecstasis Sanctorum à multis vocatur somnus spiritualis.

Deinde quod sicut visa per somnium aliquando sunt vera, aliquando sunt falsa, aliquando perturbata, aliquando tranquilla; ipsa autem vera aliquando futuris omninò similia, vel apertè dicta, aliquando obscuris significationibus, & quasi figuratis loquutionibus prænunciata: sic etiam visa

per

per Ecstasim, vt D. Augustinus aduertit, qui propterea omnia Ecstaticorum visa, visis somniantium comparauit. *De Genesi ad litteram lib. 12. cap. 12.*

Insuper sicut afflatu diuino multa per somnia reuelantur, iuxtà illud, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & iuuenes visa videbunt, & senes somnia somniabunt. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte: Et Angelus Domini apparuit Ioseph in somnis &c. ita etiam per raptum, & Ecstasim, vt illud Apostoli, atque Ezechielis, cum vnum vsque ad tertium cœlum, alterum inter terram, & cœlum legimus eleuatum in visione Dei, multaq. tunc eis fuisse reuelata: Siquidem non corpore, sed spiritu, & intelligentia rapiebantur à se ipsis auulsi, & à sensibus externis omnimodo abducti, & absoluti, iuxta doctrinam D. Thomæ. Raptus enim supra Ecstasim non addit nisi violentiam quandam, quæ nonnunquam contra modum suæ naturæ animæ infertur, cum ad diuinorum inspectionem maxima celeritate eleuatur, vt docet idem S. Thomas. *Iohel. cap. 2.* *3. Reg. cap. 3.* *Matth. cap. 1. & 2.* *2. Corint. c. 12.* *Ezech. 3.* *2. 2. q. 175. art. 6.* *2. 2. quæst. 175. art. 2.*

Denique sicut dormientes quandoque sibi vigilare videntur, & non similia corporibus, sed ipsa corpora intueri se putant: ita similiter Ecstatici multa quoque arbitrantur se exterius percipere, quæ non nisi imaginariè sentiunt.

Differunt autem huiusmodi passiones, nam per somnum, interior sensus ligatur respectu cooperationis, quam alias exercere posset cum sensibus externis; impedimento scilicet existente in ipso communi sensorio per obstrusionem meatuum, ac viarum, quibus spiritus animales mittendi erant ad sensus externos, ac nouæ similitudines intus deberent transfundi: At in Ecstasi nullum adest impedimentum in cerebro, sed desinunt operari sensus externi per applicationem virtutis ad alia, eo modo, quo quis non videt, quia in aliud intendit. Cum enim animus limitatæ sit virtutis, determinatamq. obtineat spirituum vbertatem; statim atque intra se colligitur, ac circa aliquid fixa, vehementiq. imaginatione versatur, necessariò ab vsu sensuum externorum abducitur, tota intentione intus transfusa, totaq. spirituum

copia interius confluente. Vnde & pallor, & squalor apparet in vultu, & frigus per extimos artus tunc serpit, non secus ac in timore magno, atque tremore, vel cum quis repente dilectam nimis, aut odio habitam intuetur personam. Itaque in Ecstasi vehemens occupatio interna est causa abstractionis ab omni sensu externo: in somno autem impotentia circa externa, est causa conuersionis internæ, nimirum, vt anima nonnisi, quæ interius obijciuntur attendat.

Rursus verò ex hoc, aliud apparet discrimen, quoniam visa dormientium seu somnia, naturaliter sua veluti sponte obueniunt, ac nulla adhibita industria; ante oculos mentis obuersantur & facillimè permutantur, quemadmodum in nubibus, quæ similia sunt hominibus, & Centauris (inquit Aristoteles.) At visa, quæ in Ecstasi accidunt; vel à spiritu aliquo extrinsecus suggerente, vel ab aliqua vehementi passione amoris, aut timoris, voluptatis, aut doloris, secum sensum & imaginationem abripiente, & ad vnum determinante, proueniunt.

De somnijs c. 3.

Item consopitis per somnum sensibus externis, membra quoque omnia, motiua sua virtute, vtpotè mutuata ex cerebro, destituuntur; Vnde totum corpus prostratum quiescit; Abstracto verò animo, & per internam occupationem ab externis auulso, non propterea destituuntur membra sua virtute motrice, & rectrice; nam & regitur totum corpus, ac sistitur à se ipso, nec moueri desinit, nisi in quantum opportunitas deest, vel non adest mentis directio; cum alioquin homo in Ecstasi constitutus, & plures edat motus, ac plausus iuxta varias cogitationes; & voces etiam illum emittere, vel suspiria, & exclamare passim contingat.

Tandem somnia ex natura sua, apparitiones sunt valde imminutæ, & imperfectæ, vtpotè vaporum tunc ascendentium caligine circumfusæ, & interruptæ, quamuis per accidens exactissimè secundum partem quandoque accidere consueuerint; Carent enim correctione, quæ fit per liberum vsum intellectus, & cooperationem sensus externi, ideoque defi-

deficiunt in circumstantijs temporis, & loci, ac plurium coniunctorum, in quibus fundatur præsentia rei oblatæ, vt suo loco explicuimus. Vnde qui per somnia motus exercentur, defectu cognitionis non extimantur voluntarij. Visa verò, seu apparentiæ in Ecstasi contingentes, conspicuæ & absolutissimæ natura sua sunt, tanquam à somniantium vaporibus, & sedis infestationibus absolutæ; nam licet experientia quoque careant sensuum externorum, mentis tamen illustratione, ac directione, secus quàm in somnis fulciuntur, & corriguntur.

Ex quibus colligitur vltima differentia, nam in somnis eluditur homo ignoratione, vel confusione circumstantiarum coniunctorum, atque similium, quæ in turbida illa reuolutione simulacrorum, atque phantasmatum, vt talia sunt, exprimi minus commodè possunt, & sic homo videt vt Coriscum, quod non est, nisi quale Coriscus, inquit Aristoteles, similitudinem pro vero accipiens, putatq. se oculis videre, quod sola imaginatione videt, eo quòd non aduertat circumstantias, confundatque realem præsentiam cum imaginaria, propter similitudinem, quæ est inter vtramque. *De somnijs c. 3.*

At in Ecstasi præsertim eorum, qui sano corpore, ac mente à sensibus alienantur, aliter res se habet, cum se videre putant, quæ non vident, & phantasmata, inquit Aristoteles, vt facta, seù gesta enarrant, ac si meminissent. Etenim non impedimento, ac turbatione sensorij, sed applicationis nimietate, ac imaginationis vehementia, tanta expressione obiectum sibi repræsentant, tantaq. intentione in ipsum conantur, vt non attendant conditionem, seù circumstantiam exercitæ, ac realis præsentiæ, quæ tunc illi deest, sed illud tanquam præsens concipiant. Realis enim præsentia obiecti in actu exercito, nihil refundit per sensationem externam in cognitionem internam, & abstractiuam eiusdem obiecti, vt præsentis, nisi maiorem expressionem eiusdem imaginis per nouam, & actualem similitudinem intus impressam, à qua pendet omnis euidentia & certitu- *De mem. & remin. cap. 2.*

do, quam homo habet de ipsa præsentia. Vbi autem, quamuis in absentia, tanta est efficacitas expressionis, ac repræsentationis obiecti tanquam præsentis, quæ superat omnem repræsentationem manantem ab actu exercito eiusdem præsentiæ, non attenditur talis defectus. Imò si verè adesset obiectum, nihil ferè adderet ad expressionem suæ imaginis per nouam speciem, quam immitteret, quæ se haberet sicut iuxta magnum ignem minor, & dolores, & voluptates paruæ secus magnas, vt ait Aristoteles.

De somniis c. 3.

Quare in huiusmodi Ecstasi non contingit propria deceptio, ac proinde nec desipientia: nam aliud est mente, & imaginatione, non secus ac visu conspicere; aliud verò est existimare actu se visu videre. Quapropter Ecstatici quamuis postea sæpè imaginaria cum veris confundant, distinctè tamen nesciunt an talia visu, aut potius mente conspexerint: Siquidem, vt ait D. Augustinus, potest sic raptus id ignorare, si ei & hoc non ostendatur: sicut si quemadmodum raptus est à sensibus corporis, vt esset in istis similitudinibus corporum, quæ imaginatione videntur; ita & ab ipsis rapiatur, vt in illam quasi regionem intellectualium, vel intelligibilium subuehatur, vbi sine vlla corporis similitudine perspicua veritas cernitur, nullis opinionum falsarum nebulis offuscata. Quò ait spectare illud Apostoli, cum siuè omninò exiens de corpore, siue ita auersus, & alienatus à carnalibus sensibus, meritò nesciret, vt ipse scriptum reliquit, vtrum in corpore, an extra corpus fuerit, cum in illam raperetur visionem.

Cap. 26.

Ibidem c. 27.

Ex his autem omnibus patere potest in quibus nam Ecstasis cum cæteris quoque similibus passionibus conueniat, & in quibus differat; Nam siue sint passiones animi, vt amoris, vel odij, mœroris, aut timoris; siue corporis, vt in phrenitide, aut atra bile laborantibus, cum his omnibus conuenit in quodam excessu à sensibus externis, eo quod sic affecti non omninò, nec rectè illis vtantur, sed multa putent se exterius sentire, quæ sola

ima-

imaginatione appræhendunt, vt fertur de Oreste tragico furenti, cui Electra.

Apud Plutarch. de placitis Philos. lib. 4. c. 12.

Tuo quietus in lecto miser, mane
Cernens eorum, quæ cernere putas, nihil.

Tamen quia in istis passionibus, nec totaliter homines abstrahuntur à sensibus, nec deest in ipsismet imaginationibus aliqua occasio externa, multum differt Ecstasis ab illis, quæ simul est conuersio ad interna. Etenim nonnisi à modica similitudine, ille quidem sibi videtur hostes videre, ait Aristoteles, hic verò dilectum, iuxta passiones odij, vel amoris; Ideoque subiungit, & febricitantibus interdum animalia videri in parietibus à modicà similitudine linearum: & magis id hominibus contingere, quanto vtique in passionibus magis fuerint. *De somnijs c. 2.*

Itaque Ecstasis, siue naturalis, siue supernaturalis, importat omnimodam conuersionem interius, & abstractionem à sensibus absque vlla deceptione, vt dictum est. Nam vt refert Diuus Augustinus, quidam Presbyter nomine Restitutus, ad imitatas quasi lamentantis cuiuslibet hominis voces, ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo, vt non solum vellicantes, atque pungentes minimè sentiret, sed aliquando etiam igne vreretur admoto, sine vllo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere. *De Ciuit. Dei lib. 14. c. 24.*

Quoniam verò non est passio humana tam vehemens, sicut amor diuinus; iddircò raro admodum naturales animi, vel corporis passiones ad huiusmodi omnimodam alienationem à sensibus sufficiunt; frequenter autem ardor charitatis ex diuina gratia, quo (vt inquit Bernardus) interdum ita exceditur, & seceditur à corporeis sensibus, vt sese non sentiat anima, quæ verbum diuinum sentit. Idque fieri ait, cum mens ineffabili verbi illecta dulcedine, & abundantia internæ suauitatis potata, quodammodo se sibi furatur; imò rapitur, atque elabitur à se ipsa, vt verbo fruatur. Quo nobis frui liceat in æterna vita, postquam hic ex naturalibus contempla- *Serm. 85. in Cant.*

tionibus ad ſupernaturalia eleuati, ipſum in quo elucent omnia, iugiter meditati, puro corde, totoque animo dilexerimus.

FINIS.



IN-

INDEX
RERUM.

Anser

Aues

Ele-

In

Melencholia

Mas

Memoria

Obiecti

Pueri

Sen-

Sen-

Sensus

Spe-

Synderesis

Tactus

Telescopium

Temperies

Tempus

Tendentia

Terra

Testes

Timor

Tiresias

Vi-

FINIS.